T-1543823 C-73964125

PHILOSOPHIA
NATURALIS
PER QUÆSTIONES,
ET ARTICULOS DIVISA.
IUXTA MENTEM D. THOM.


AUTHORE

R. A. P. M. Fr. FROYLANO DIAZ, LEGIONENSI, FILIO Conventus Sancti Pauli Vallisoletani, quondam in Insigni D. Gregorij Regente, & modo Vespertinam Cathedram D. Th. Moderante in Universitate Complutensi, & in Collegio Sancti Thomæ eiusdem urbis Regente.



Annō 1739.

Cum Privilegio: Vallisoleti. Ex Typog[illegible] Regia apud Viduam Iosephi à Rueda, [illegible]



AD R. A P. M.

FR. ANTONIUM DE SANJURXO, celeberrimi Conventus Sanctæ Pauli Valliſ-Oletani Præclariſsimum filium, & inſignis D. Gregorij fœliciſsimum Almuum, poſt plurimas Theologiæ Cathedras ſua eruditione munitas, & ſapientia decoratas totius Provinciæ Hiſpaniæ Provincialem digniſsimum, & ſupradicti Conventus modo Priorem.

PRÆFVLGET *in terra Valiſ-Oleti nomine dicta, Domus Celeberrimæ Sancti Pauli, ambitis Cœlo, toti clariſsima mundo, ſcientiarum diata Regnis, qua tunctis dominatur in oris, inclita particibus, varijs elata columnijs, figuris decoratæ pluribus, ſoribuſque ſuperbis, ad cuius præſentiam, mutæ fiunt culminæ Tharſis, ſilent miraculæ Memphis. Præfulget quidem, & nullo decore caret, ſed ſemper illæ per orbem, notæ per Æthiopes, nigros auditæ per Indos, cuius in Cœlum ſatis tolluntur athenæ, tot Sophiæ fœcunda bonis, tot lucida claris ſcriptorum ingenijs, quæ tanquam ſyderæ lumen ubique ſpargunt, candoremque novum, & Sol, & Luna mirantur. Præfulget utique dùm eius incolæ lucent, orationi inſtantes, præceſque diffundunt, Muſicæ novæ, ordine miro, cantuque ſonoro, & cum tot ſint, tantique diverſi, laudes divinas intonant uno terminabiles puncto, unico numerabiles echo. O veneranda domus cunctis hilarandæ dielus, quæ reſides veri victima ſacra Dei! O quantum ſtir-*

pis tuæ gaude ome, & germinis eſſe! O veneranda domus Vive, fove, fave, & honora mundum, teque Deus noſter longum conſervet in Ævum.

In hac igitur domo noſtra pretioſum habemus theſaurum doctrinæ, & abyſſum ſcientiæ, exemplar virtutis, normam veritatis, claritate ſydereum, & uſque ad ſydera clarum, inſignem cæleſti munere virum, Mercurij filiura, Palladiſque florentem, cui gloriam dedit Apollo, dedit ore rotundo Minerva loqui: quem omnes uno ore fatentur luminare magnum Guzmanæ gentis, Æmulatorem Iovis, quemquè ingenio ſingularitèr elevatum, per cancellorum uſque hodie ora volitantem conſiderare licèt, & admiratione portentum, ſapientiæ, & eruditione prodigium, & gratiarum omnium cumulum ordinatum, pelagumque profundum, quem quidem Regio Dominicana gaudens perperit, lata protulit: fælicem dico, & magnum illud de quo ſæpè audiſtis Antonium, ſeù R. A P. Mag. Fratrem Antonium de San Jurxo, ſupradicti Conventus Praclariſſimum Alumnum, aſtrea luce micantem, aurora donant Solem, totius Provinciæ Hiſpaniæ quondam Provincialem, in conſilijs altum, in iuſtitia rectum, in præmiando iuſtum, in corrigendo pium, in puniendo ſeverum, in dirigendo charum, & fama teſtificante, Sede Apoſtolica dignum. De præſenti autem eiuſdem Conventus Priorem, & Patrem, Doctorem, & Iudicem, Ducem, & Paſtorem: Priorem: Priorem exercitio, Ducem exemplo, Paſtorem regimine, Iudicem lege, Patrem cuſtodia, Iudicem vigilantia, Iudicem qui pacem trahit, & reos ad aras, & Ducem qui mollit animos, & temporat iras, Priorem, & Patrem, qui generoſum pectus præceptis format amicis, inſtruit exemplis, præit diſciplinis, ducit ad partum, inopem ſolatur, & agrum: Priorem tandem, Patrem, Ducem, & Paſtorem, qui fortunam ſuperat, nullo terrore movetur, qui non miratur opes, nullos ſectatur honores, cui nectit edoratas, & Symrna, & Mantua laureos, nec adhuc po-

teſt

teſt ſcientia, & virtutis tantos deſcribere triumphos. Te ergò fulgentiſsimum lubar, obſervantia Polum, Religionis Phebum, & Theologiæ murum, propter tales gratias, & dotes egregias, te ſolum inter omnes, auctor minus maximum optat, & tibi ſoli librum conſecrat, librum dicat, animum toto pectore iactat.

Fr. Froylanus Diaz.

LICENCIA DE N. M. R. P. PROVINCIAL.

EL Maeſtro Fray Domingo Perez, Cathedratico de Prima de la Univerſidad de Salamanca, y Prior Provincial de la Provincia de Eſpaña, Orden de Predicadores, aviendo remitido à perſonas doctas, y graves de eſta nueſtra Provincia, un libro, que ſe intitula: *Phyloſophia Naturalis per quaſtiones, & articulos diviſa*, compueſto por el R. P. M. Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Viſperas de la Univerſidad de Alcalà, y Regente de nueſtro Colegio de Santo Thomàs, damos licencia al dicho R. P. M. para que le pueda imprimir, guardando los requiſitos, que por Eſtatutos Pontificios, y Regios ſe deben guardar en la impreſsion de los libros. En fee de lo qual lo firmè, y mandè ſellar con el ſello menor de nueſtro oficio, y refrendar de nueſtro Secretario, y Compañero. En nueſtro Convento de San Eſtevan de Salamanca, en 1. de Diziembre de 1691.

Fr. Domingo Perez,
Prior Provincial,

Por mandado de ſu P. M. R.
Fr. Franciſco Garcia de Olivares,
Compañero, y Sec.

APRO-

APROBATIO R. A.P.M.Fr. FRANCISCI DE Lara, Prioris Regalis Conventus Sancti Petri Martyris Toletani, & R. A. P. M. Fr. Bernardi Cano, Catholicæ Maieſtatis Concionatoris eximij.

LIBENTER obtemperantes mandato R. A. P. N. M. Fratris Dominici Perez, Primariæ Cathedræ in Univerſitate Salmantina Digniſsimi Moderatoris, ac Provinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum Provincialis, magna mentis attentione luſtravimus, alacrique animo perlegimus commentarios in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis, ingenioſiſsimè elaboratos à R. A. ac Sapientiſsimo Patre Magiſtro Frater Froylano Diaz, Sacræ Theologiæ in Univerſitate Complutenſi Veſpertino Profeſſore, ac inſignis Collegij Sancti Thomſi Regentis. Opus ſanæ prælo, & laude digniſsimum: In quo nihil à Catholica veritate devium, nec bonis moribus adverſum reperimus; ſed omnia menti noſtri Anglici Præceptoris conſona, utpotè ex ipſius doctrina, magna profunditate, ac ſubtilitate deprompta. Et ſatis demirari non valemus maturum Auctoris ingenium in ſe legendis ſententijs: præclarum iudicium in reijciendis inutilibus: modeſtiam in redarguendo, & impugnando: miram claritatem in explicando tot, tam ingenteſque difficultates, quæ in hoc vaſtiſsimo totius naturæ pelago circa ens mobile ſe offerunt: quæ omnia diſputat, & reſolvit mirabili arte, ita imitante naturam, ut nihil in hoc opere prolixum, aut ſuperfluum reperiatur, quod faſtidiet, nec aliquid neceſſarium, quod deficiat, deſideretur. Quapropter digniſsimum iudicamus, ut ſtatim evulgetur, & in lucem prodeat, in noſtræ Religionis ſplendorem, ſanæ, & Angelicæ doctrinæ præſidium, Auctoris famam, & in communem utilitatem. Sic cenſemus in Conventu Sancti Petri Martyris Regalis Toletani. Die 1. Ianuarij, Anno Domini 1692.

Fr. Franciſcus de Lara,
Mag. & Prior.

Fr. Fernandus Cano,
Sacræ Theologiæ Mag.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Juan Caldera, Prothonotario Apoſtolico, Vicario General en la Audiencia, y Corte Arzobiſpal de eſta Ciudad de Alcalà de Henares, y en todo el Arçobiſpado de Toledo, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia, para que ſe pueda imprimir, è imprima un libro, eſcrito por el Reverendiſsimo P. M. Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Viſperas de la Univerſidad de Alcalà, y Regente en ſu Colegio de Santo Thomàs, que ſe intitula: *Phyloſophia naturalis per quæſtiones, & articulos diviſa.* Atento, que por nueſtro mandato ha ſido viſto, y examinado, y conſta, no aver en èl coſa alguna que ſe oponga à nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en Alcalà à 5. de Enero de 1692.

Doct. Caldera.

Por ſu mandado,
Cuſtodio Valentin,
Notario.

CEN-

CENSVRA R. P. M. Fr. FRANCISCI A SANCTO THOMA, in Collegio Complutenſi Carmelitarum Excalceatarum, ſemel iterumque Rectoris.

GRatiſſimum mihi accepi videndum, ex commiſſione, & mandato D. Doctoris D. Ioannis Caldera, Archiepiſcopatus Toletani in Civitate Complutenſi Generalis Vicarij, librum amplectentem omnia ad octo primos Phyſicorum pertinentia, iuxta mentem Angelici Præceptoris, a R.R. P. M. Fr. Froylano Diaz, quondam in inſigni Collegio D. Gregorij Valliſ Oletani Regente, & modò in Univerſitate Complutenſi Veſpertinæ Cathedræ Moderatore percelebri, & Collegij Sancti Thomæ Regente, elaboratum: accuratèque legi, & vidi non ſolum nulla ex parte Catholicę fidei, aut morum gravitati diſſonum; ſed Scholaſticis omnibus utiliſsimum fore. Siquidem rationum pondere inſtruit, acumine ingenij elevat, eruditione paſcit, principiorum ſtabilitate delectat, roboratque intellectum, ut avidius phyſiſophicis veritatibus iam ditatus, ad alteriores capeſſendas ſcientias dirigatur. Materia etenim communis, ſed tanta modi novitate ab Auctore diſcuſa, ut operi tanto inter aptari queat illud Ovidij:

Eſt quoque cunctarum novitas graviſsima rerum. 8. Poſt.

Gratias igitur Auctori refero, ut qui humilitate ſua, ac modeſtia, diù tantùm opus abſcondit, & ſub ſilentij modio phyloſophicam lucem incluſit (verè Prædicator, & Prædicatorum Familiæ filius, qui præclaram ſapientiam præclaræ uniret virtuti) iam ſub modio extingui non eſt paſſus, ſed ſuper candelabrum ponit, ut luceat omnibus, qui in ſcientiarum domo ſunt, aut eſſe totius niſibus ſatagunt. Laborat fructuoſiſsimè iuventuti, dum præclariſsima hæc in octo Phyſicorum libros commentaria iuxta miram Angelici Præceptoris doctrinam, mandare prælo paraſ; quibus inſtruatur; imò, & omnibus etiam doctiſsimis, quibus delectentur. Quapropter licentiam quam ſcholaſtico zelo petit, iudico pro meritis concedendam. In hoc noſtro Carmelitarum Excalceatarum Complutenſi Collegio.

Fr. Franciſcus à Sancto Thoma,
Rector.

VMA

SUMA DEL PRIVILEGIO.

YO Joſeph Franciſco de Aguiriano, Secretario de Camara del Rey nuestro Señor, de los que reſiden en ſu Conſejo: Certifico, que por los Señores del dicho Real Conſejo, ſe ha dado licencia al Reverendiſsimo P. M. Fray Froylan Diaz, Cathedratico de Prima de la Univerſidad de Alcalà, y Regente en el Colegio de Santo Thomàs, del Orden de Santo Domingo, para que por tiempo de diez años pueda imprimir, y vender el Libro que ha compueſto, intitulado: *Philoſophia naturalis, per quæſtiones, & articulos diviſa*, con que antes, y primero que ſe venda, ſe trayga ante los dichos Señores, con fee del Corrector, de eſtar conforme al original, y guardando en la impreſsion lo diſpueſto por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos, que tratan de la impreſsion de los Libros; y para que conſte, doy el preſente, en Madrid a 25. de Agoſto de 1695.

Joſeph Franciſco de Aguiriano.

APRO-

APROBATIO R. P. M. Fr. PETRI DE Moura, quondàm Rectoris Regalis Colegij Magni Auguſtini Complutenſis, & Conventus Burgenſis eiuſdem Ordinis Prioris, Diffinitoris Provinciæ Caſtellæ, & Regalis Sancti Philippi Matritenſis, ſemel iterumque Prioris.

VESTRÆ iuſſu celſitudinis volumen: *Philoſophiæ naturalis*, inſcriptum à Sapientiſsimo, & Reverendiſsimo P. M. Fr. Froylano Diaz, præclari Ordinis SS. P. N. Dominici, & in Complutenſi Academia Veſpertino Sacræ Theologiæ Moderatoræ concinnatum cernue, iucundèque legi. Gratulor hercle, Veſtræ Celſitudini, quod mihi ante communem lucem, tàm eximium patefecerit opus. Ni ad Lydij centuram lapidis, ni ad cenſoriam trutinam ſubeundam, ex veſtra altiſsima remitteretur providentia, ad illud encomijs ex tollendum mihi miſſum iudicare. Utrique me ineptum muneri fateor ingenuè. Si namque cenſor extitero, nil cenſura lima vè dignum reperio, immò approbatione dignisſimum opus omne pronuncio, & ut typis quamtotius ad publicam mandetur utilitatem ſuplex oro, cùm de ipſo, quod in Canticis de lylio eſt elocutus P. N. Ambroſius dignè aſſeveretur: *Flos ſublimis, immaculatus, innoxius, in quo non ſpinarum offendit aſperitas, ſed gratia circunfuſſa clareſcit.* Si me laudatorem geſſero, ubi mihi valbucienti illa Ciceronis affluentia? Illa Demoſthenis elegantia? Illa Plinij Panegyrica eloquentia? Et ò quam libenter hic ego Sapientiſsimi huius viri Dominicanæ Familiæ ſplendoris, Complutenſis Lycœi deliciæ, noſtræ Europæ decoris, Angelici Præceptoris Aſſeclæ, clariſsimi Philoſophi Expoſitoris in laudes excurrerem, ſi ingeſta in ipſum commendatio verecundum ruborem ad genas non evocaret; patiatur tamen religioſam ipſius modeſtiam, vèl pancioribus vulnerati: nil ignorat, qui Auguſtinum non ignorat, Auguſtinum qui ſapit. Undè meritò ſanè tanti viri mirabor operis fulgorem, qui.

In Cant. Cant. c. 5 & lib. 7. in Lucan.

Suſtus

Sustulit interpres noctem, veterisque nigrore
Detrito, fecit luce nitere nova.

Qui cum ad divina consurgit, hominem excedit: cum ad humana descendit, divinis informat: si scribit naturæ arcana, reddit publica: si retundit mendacia, aperit veritatem: si evolvit errores, confundit labyrintos: dissertissimus cum taceat, eloquentissimus cum agat. Fulgentissimi Ecclesiæ Solis, & divinitatis interpretis, Augustini amantissimus filius à quo ut Occeanus exhaurit flumina, & emittit ut speculum accipit lumen, & refundit: quem Unum si sapientissimorum virorum Dominicana Familia mundo proferret, prodigiosa sapientiæ fœcunditate universum orbem repleret. Si videtur, miraculum objcit oculis: si auditur, oracula infundit auribus: cum semetipsum consumit, alios roborat, & illustrat, laboribus suis quietem pariens studiosorum ingenijs. Si ergò novam lucem, non Moyses, sed Deus, *quod esset bona asseruit*, nam solus illius conditor eam approbare debeat, ad codicem Auctoris novum, qui totus est lux, censura mea, obedientiæ, atque admirationis gressibus debet prevenire. Sic accedit se melior subijciens censuræ. Ita sentio, & subscribo in hoc Regali S. Philippi Matritensis Ordinis S. P. Augustini Cœnobio, die verò 18. Januarij, Anno 1692.

Mag. Fr. Petrus de Moura

ERRA-

ERRATAS SIC CORRIGE.

PAG. 3. col.2.lin.28.ut quo,lege ut quod.Pag.4.col.1.lin.4. prevenit, lege pervenit.Pag.5.col.1.lin.29.univerſales,lege univerſalia.Pag. 9.col.2.lin.24.quí,lege quia.Pag.16.col.2.lin.31.atracto,lege atacto.Pag. 18.col.1.lin.21.atracta,leg.atacta.Pag. 40.col.2.lin.19.alia,leg.aliàs.Pag. 59.col.1.lin.2.diviſibilis,leg.diviſibiles.Pag.67.col.2. lin. 4. ex , lege eſt. Pag.81.col.1.lin.13.remanet,lege remanent.Pag.98.col.2.lin.20. genere, lege gerere.Pag.102.col.2.lin.32.monetit,leg.manent.Pag.111. col. 2.lin.19.terminis,lege terminus Pag. 112.lin.7.format, lege forma. Pag. 130.col.2.lin. 36.creatas,lege creata.Pag.141.col.lin.15.materiam, lege materia.Pag.144.col.1.lin.34.cauſam, legecauſa. Pag. 152. col.2. lin.2. partiali lege partialis.Pag.154.col.1.lin.34.poſitiva,lege poſita.Pag.167. col.2.lin.25.poteſt,lege potens.Pag.178.col 2.lin.4. unam, lege unum. Pag.179 col.2.lin.22.net,iege fieri.Pag. 188.col.2 lin.16. intelliget,lege intelligat. Pag.200.col.1.lin.4.pependet,lege dependent.Pag.212.col.2. col.lin.7.cauſalitantes,lege cauſalitates.Pag.216.col.1.lin. 16. coputantur,lege copulantur.Pag.216.col.1.lin. 25. propriam cauſalitatem , lege proprie cauſalitate Pag.217.col.1.lin. 17. gentium , lege genitum. Pag. 227.col.2.lin.17.utraque,lege utroque.Pag.233.col.1.lin.8. habeat,lege habet.Pag.250.col.2.lin.4. naturalis,lege naturaliter.Pag.254.col.1.lin. 2.talem,lege realem.Pag.272.col.1.lin.2.potentiam , lege potentia. Pag. 278.col.2.lin.23.ipſam,lege ipſum.Pag.290.col.1.lin.17. principij, lege principeo.Pag.312.col.2.lin.24.determinant,lege determinat.Pag.314. col.2.lin.13.recipiatur,leg. recipitur.Pag.317.col.2.lin.33. producit, lege procedit.Pag.318.col.1.lin.18.ſubſtantiam , lege ſubſiſtentiam. Pag. 321.col.2.lin.18.ſubſtantiam,lege ſubſiſtentiam.Pag.322. col.1.lin. 28. Sacerdos,lege Sacerdotes.Pag.324.col.1.lin.23.unita, lege unitur. Pag. 325.col.2.lin.29.pene,lege pane.Pag.328.col. 2. lin. 33. producere,lege procedere.Pag.330.col.2.lin.25.premaria,lege primario.Pag.358.col 2. lin.8 conſtituit,lege conſtitui.Pag.359.col.1.lin.7.cauſalitatis , lege cauſalitates.Pag.359.col.2.lin.9.quod,lege quid.Pag.366.col.2.lin.14.diffinitio,lege diffinitio.Pag.371.col.1.lin.30.conqumatam , lege conſumatam.Pag.371.col.1.lin.20.recipit,lege recipi.Pag.400.col.2.lin. 16.nos, leg non Pag.430.col.1.lin. 8. impetrabilitas, leg. impenetrabilitas. Pag. 430.col.1.lin.28.conſequtio,lege conſecutione.Pag.435.col.1.lin.22.captibis,lege capitibus.Pag.435. col.1. lin. 16. deſtautirm , lege diſtantiam. Pag.442.col.1.lin.21.habere,lege habet.Pag.459.col.1.lin.3.exterminatem,lege extremitatem.Pag.472.col.2.lin.11. motuum, lege mortuum. Pag.472.col.2.lin.26.viventis,lege viventia,

TAS

TASSA.

YO Don Manuel Negrete y Angulo, Secretario de Camara del Rey nueſtro Señor, de los que en ſu Conſejo reſiden: Certifico, que aviendoſe viſto por los Señores del Real Conſejo un Libro intitulado: *Philoſopia naturalis per queſtiones, & articulos diviſa*, compueſto por el Reverendiſsimo P. M. Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Viſperas de la Univerſidad de Alcalà, y Regente del Colegio de Santo Thomàs, que con licencia de dichos Señores ha ſido impreſſo, taſſaron cada pliego à ſeis maravedis, y el dicho Libro, parece tiene ſetenta y cinco pliegos, ſin principios, y tablas; y al dicho precio, y no mas, mandaron ſe venda el dicho Libro, y que eſta certificacion ſe ponga al principio de cada uno. Y para que conſte, doy el preſente en Madrid à 26. de Enero de 1692.

Don Manuel Negrete y Angulo.

AD

AD LECTOREM.

IN Collegio Inſigniſsimo Gregoriano, Athenarum firmamento, & litterarum Olympo, in quo Dominicanæ Familiæ proceres aluntur, & iuvenes totius ævi, & gloria ſæculi noſtri, quorum ſapientiam, dùm Ceres inclinata canit, ſydera laude ferit, quorumque nomina marmore premit ardor, pignore tenet ebur. In illo ergò Palladis campo, Lector benevole, utriuſque Logicæ, & Philoſophiæ doctrinam palam dictavi fortuna dante fœlix: exindè namque ortus eſt clamor, incepit creſcere tumor, oportere quidem, quæ voce dixeram, typis mandari, prælòque diffundi. Quo tamen tempore, ſi verum fatear, invitabat amor, detinebat timor, inclinabat charitas, ſuſpendebat infirmitas, & quantum poterat communis exhortatio iubare, iuventutis etiam ſufficiebat conſideratio confundere: verum uſque modo urgent conſilia, plurimorum augentur placita, creſcunt voces, perſeverant præces, multitudo inſtat, pars bona cuncta rogat: quibus intentus cædit animus, qui fuerat invictus: in libris tamen quos parare prævenimus, non propria utilitas, ſed doctrinæ veritas ſola quæritur, ſola diligitur. Nam, ut optimè Plato de leg. dial. 5. *Qui ſe ipſum magis, quam veritatem amat, quid pulchrum, quid iuſtum ſit, male iudicat.* Quid autem, ut loquitur Aug. in prœmio confeſſ. *Quid de illis alij ſentiant, ipſi viderint: multis tamen eos multum placuiſſe, & placere ſcio.* His ergò mens auxiliata opus iam exercere connatur, & pagina indicium doctis ſubitura movetur. Ovid. lib. 1. faſt. VALE.

PROOE-

PRO OEMIUM:

NOMEN Græcum Philoſophiæ, ſignatione attentâ; idem valere, quod amor ſcientiæ, veritatis affectus, communis conceptio docet, Latinus quoque ſermo declarat. Conſuetudo verò Philoſophiam pro ipſa ſcientia uſurpandi, invaſit iam Peritos, & Sapientes obtinet omnes. Singularitèr tamen, in Moralem, Rationalem, & Naturalem paritur utilitas dividentium inſinuat, & veritas ipſa probat. Moralis, quæ Cœleſtibus digna eſt, conſurgere ſedibus hoſpes, humanos conſiderat actus, mentem fovet, & virtutum agmina cingit. Rationalis autem, horrendas canit ambages, tenebriſque remugit, & obſcuris vera involvens, iuventutem præmit, Palladi minatur, & ipſam inventione loricatam, fortaſsè timet Apollo. Philoſophia naturalis, rationi dulcis, & ſenſuum amica eſt, homini delectabilis valdè: quæ omnia mutabilia ad arcem vocat, & per elementa, & mixta nunquam defeſſa ſatis elevata diſcurrit: lucidum intuetur. Solem fulgentem nitido monſtrat in Æthere circum, & omne movet mobile, ſublime vèl altum: totam denique naturam ambit, Pontumque, Polumque, quidquid terra creat, gignit Mare, parturit aer, quæ freta diffundunt, ſolidum dat corpus in aruis. Hanc ergò priùs, ordine mutato, tacita neceſsitate compulſi, veluti ſpecioſam volumus aſcendere Cedrum, ad quam manibus rapidis opus eſt, & arte magiſtra. Inter omnes tamen ramos virentes illius priorem illum, qui cæteros ſua extenſione circundat, mente contingere licet: in quo ratio naturalis per principia, tàm intrinſeca, quàm extrinſeca entis mobilis in communi, invicto procedit animo, & per omnes motus, & mutationes ſenſibiles ingeminat voces, hilari reſonabiles Eco. Ille autem, à quo bona cuncta procedunt, labori noſtro, Dominus præſto erit, quid autem opus valeat, melior ſapientia notabit. Modo ſit.

Ay Paulina del Señor Nuncio de ſu Santidad, para que ninguna perſona pueda imprimir, ni hazer imprimir eſta Filoſophia ſin licencia del Convento de San Pablo de Valladolid.

QUÆS-

QUÆSTIO PRIMA.

DE ORDINE COGNITIONIS Humanæ.

TANTA eſt humanæ mentis debilitas, ut quæ res minima naturalis ſua valet materialitate concludere, unica non poſsit cognitione utiliter aperire: & ea, quæ unum individuum in rebus implicat, per plures actus intellectus exponat. Propterea que neceſſarium eſt, quod prædicatum magis proportionatum primo percipiat quicumque ad perfectam objecti intelligentiam anhelat. Scire autem quodnam prædicatum tale ſit, in quæſtione iſta præambula deſideramus: in qua modum, & ordinem humanæ cognitionis inquirimus, auxiliante Sanctiſsimo Præceptore, cujus mirabilem ſanctitatem, & ſapientiam cœli prædicant, Eccleſia reſonat, & mundi machina clamat. De cujus munere ſit.

ARTICULUS I.

Utrum primum cognitum ab intellectu noſtro pro ſtatu vitæ præſentis, ſit ſpecies ſpecialiſsima?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur negativa concluſio.

AD Articuli intelligentiam aliqua ſuppone re oportet: quorum primum eſt cognitionem duplicem eſſe, unam intellectivam, & alteram ſenſitivam. Senſitiva ea eſt, quæ fit à potentia ſenſitiva interiori, vel exteriori: qualis eſt operatio, quæ à potentia imaginativa procedit, & viſio, quæ procedit ab oculo corporali. Cognitio verò intellectiva eſt operatio, quæ ab intellectu producitur, & intellectio appellatur: ex quibus cogni-

tionibus prior eſt ſenſitiva cognitio. Nam juxta Philoſophicum probervium, *omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu*. Et quia nvis ea, quæ de cognitione intellectiva dixerimus, poſsint ſimiliter applicari ſenſitivæ, in præſenti ſolum de cognitione intellectiva diſputamus.

Secundo notandum eſt etiam, totum eſſe duplex: unũ actuale, quod habet ſuas partes in actu, ſicut homo phiſice actualiter conſtat corpore, & anima: metaphyſicè verò actu componitur ex conceptu animalis, & differentia rationalis. Aliud autem eſſe totum potentiale, quod ſuas partes tantum continet in potẽcia, ſicut genus continet diffẽrẽtias, & ſpecies individua. Quorum utrumque eſt cognoſcibile cognitione confuſa, & cognitione diſtincta. Cognitio confuſa attingit totum: partes tamen illius ſolum percipit in confuſo, prout continetur in toto, ſicut quando quis cognoſcit hominem, corpus, & animam non cognoſcit clarè, & diſtinctè. Cognitio autem diſtincta oppoſito modo ſe habet. Nam totum attingit, & partes illius clarè etiam, & diſtinctè cognoſcit. Et inter has cognitiones confuſa imperfectior eſt, & naturaliter prior cognitione diſtincta.

3 Supponendum eſt aliquod objectum poſſe eſſe notius ſecundum ſe, & aliud poſſe eſſe magis notum quoad nos. Illud dicitur notius ſecundum ſe, quod majorem perfectionem, & immaterialitatem habet, ſupra quam fundatur cognoſcibilitas paſſiva objecti. In qua conſideratione objecta ſpiritualia ſunt magis notat, quia magis actualia. *De quo D. Th. 1. p. q. 14. art. 1. plura.* Illud autem objectum notius eſt quoad nos, quod cum intellectu noſtro majorem proportionem habet. Et cum intellectus noſter intelligat per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, & à rebus materialibus, indè eſt objecta materialia eſſe magis proportionata cum intellectu pro ſtatu vitæ præſentis, & magis nota quoad nos.

4 Supponendum eſt ſingulare non eſſe illud, quod primò intellectus cognoſcit. Quia ſingulare non cognoſcitur directè, ſed tantum reflexè, ut modo ſupponimus ex illis, quæ *in 3. de Anima latè dicuntur à Noſtris*. Sed cognitio reflexa prima non eſt; ſiquidem ſupponit cognitionem directam: ergò.

Secundo probatur ſuppoſitio noſtra. Quia non datur in intellectu ſpecies per ſe pri-

primò repræſentativa rei ſingularis : ergò ſingulare nequit eſſe primum cognitum. Probatur antecedens. Species in intellectu recepta eſt abſtracta à conditionibus individualibus, & à ſingularitate; ſed ſpecies abſtracta à ſingularitate per ſe primò repræſentat naturam à ſingularitate abſtractam, & ſeparatam; non autem ipſam ſingularitatem : ergò non datur ſpecies per ſe primo repræſentativa rei ſingularis.

Tandem ſupponendum eſt difficultatem præſentem non procedere de primo cognito, *ut quo*. Hoc enim debet eſſe ratio entis. Quia ens eſt objectum ſpecificativum intellectus : objectum autem ſpecificativum intellectus debet ſaltim, *ut quo*, & tanquam ratio formalis attingi per omnem actum illius. Quapropter ſolum de primo cognito, *ut quo* loquimur in præſenti. Et illud eſſe ſpeciem ſpecialiſſimam defendit Doctor Subtilis *in* 1. *diſtinct.* 3. quem diſcipuli ſequuntur. Negat tamen D. Th. Cum quo ſit noſtra concluſio.

§. II.

Species ſpecialiſſima non eſt primum cognitum ab intellectu noſtro pro præſenti ſtatu.

SEntentia iſta probatur primo ratione D. Th. 1. *p. q.* 85 *art.* 3. Quia prima cognitio intellectus pro ſtatu vitę præſentis eſt imperfectiſſima cognitio; ſed cognitio ſpeciei ſpecialiſſimæ imperfectiſſima non eſt : ergò ſpecies ſpecialiſſima non eſt primum cognitum. Minor patet. Quia cognitio entis materialis, & cujuſcumque prædicati ſuperioris ad ſpeciem ſpecialiſſimam imperfectior eſt; ſiquidem eſt magis confuſa, quam cognitio ſpeciei infimæ : & conſequenter cognitio ſpeciei ſpecialiſſimæ, vel infimæ imperfectiſſima non eſt. Major verò, in qua difficultas eſt, probatur. Quia omne agens procedens de potentia ad actum prius pervenit ad actum imperfectum, quam perfectum; ſed intellectus eſt agens procedens de potentia ad actum : ergò prima cognitio intellectus pro ſtatu vitæ præſentis imperfectiſſima eſt. Minor cum conſequentia tenet, & probatur major primo. Agens procedens de potentia ad actum prius pervenit ad actum ma-

gi ſibi proportionatum; ſed actus imperfectus magis proportionatus eſt: ergò prius prevenit ad actum imperfectum. Probatur minor. Actus imperfectus eſt medius inter potentiam, & actum perfectum: ergò magis proportionatus eſt. Quia cum agente procedente de potentia ad actum majorem proportionem habet actus medius, quam ultimus actus; eo quod ultimus actus magis diſtat ab agente.

Secundo probatur major ad hominem contra Scotum. Nam in doctrina ipſius prius pervenit intellectus ad cognitionem confuſſam, quam ad cognitionem claram; ſed hoc ideo eſt; quia agens procedens de potentia ad actum prius pervenit ad actum imperfectum, quam ad perfectum: ergò ita contingere debet, quod agens procedens de potentia ad actum prius debet ad actum imperfectum pervenire. Cui conſonat Axioma commune, *à facilioribus, & imperfectioribus eſt incipiendum.*

Exemplis declaratur major. Homo generans hominem prius producit embrionem, quam introducat animam rationalem: & ſimiliter quæcumque forma prius communicat materiæ gradum corporis, quam alios gradus inferiores. Quia gradu corporis imperfectior eſt. Quod etiam contingit in arte. Nam Artifex imperfectus in principio minus perfecta opera ſua facit, ut generaliter conſtat in omnibus incipientibus autem: ergò agens procedens de potentia ad actum prius debet ad imperfectum pervenire.

Secundo probatur concluſio noſtra ratione. Quia connaturale nobis eſt à notioribus, & magis proportionatis incipere, ut experientia teſtatur, & Ariſtoteles aſſerit in præſenti; ſed ſpecies ſpecialiſſima notior nobis non eſt: ergò non eſt primum cognitum. Probatur minor. Illud prædicatum eſt magis notum, quod inter objecta proportionata eſt magis univerſale; ſed ſpecies ſpecialiſſima talis non eſt, quia ſupra illa inveniuntur prædicata magis univerſalia, videlicèt, ratio corporis ſubſtantiæ, & animalis, &c. Ergò ſpecies ſpecialiſſima notior non eſt. Probatur major. Illud prædicatum eſt magis notum, quod inter objecta proportionata eſt magis confuſum; prædicatum namque magis confuſum eſt minus perfectum, & conſequenter in principio eſt magis notum; ſed prædi-

ca-

catum magis universale est magis confusem ; Quia plura continet, & involuit, & ea non explicat : Ergò prædicatum magis universale est magis notum.

Addimus. Quod totum integrale priùs, quam partes cognoscimus, quia magis confusum est, & priùs cognoscimus diffinitum cognitione confusa, quam partes diffinitionis : & priùs hominem, quam hominem singularem ; v. gr. Patrem, vel fratrem. Undè passim experimur parvulos à principio omnes homines vocare Patres, & omnes mulieres Matres. Et hoc idem à paritate convincimus. Nam in cognitione complexa priùs cognoscit intellectus principia magis universalis ; v. gr. *Quodlibet est, vèl non est. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, &c.* ergò in cognitione simplici, & in complexa priùs intellectus cognoscit universaliora prædicata, quæ magis confusa sunt. Patet consequentia. Quia intellectus in utraque cognitione procedit de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum.

*** *** ***

§. III.

Duobus argumentis contra rationes occurritur.

ARguitur 1. contra rationem primam. Quia principium, in quo nititur, plures patitur instantias : ergò ratio bona non est. Probatur anteced. Actus circa principia perfectior est, quam actus circa conclusiones ; & tamen intellectus priùs habet actum circa principia, quam circa conclusionem, nam intellectus ex assensu præmissarum procedit, & movetur ad assensum conclusionis.

Secundo. Quia essentia perfectior est proprietatibus, & tamen generans priùs producit essentiam, quam illius proprietates. Et similitèr Sol, dum primo incipit illuminare, perfectissimam illuminationem elicit. Et actus perfectior est, quam habitus scientificus, nam habitus specificatur ab actu ; & tamen, quando incipimus acquirere scientiam, priùs habemus actum, quam habitum, quem per actum potiùs adquirimus : ergò principium, in quo nititur ratio. D. Th. plures patitur instantias.

Confirmatur. Si ratio D. Th. procedit de agente naturali non impedito vera non

eſt; ſed intellectus reſpectu primæ cognitionis eſt agens naturale non impeditum: ergò vera non eſt ratio D. Th. Quia ratio prædicta de intellectu in prima cognitione procedit. Major probatur. Agens naturale non impeditum, & debitè applicatum prius elicit actum perfectiſsimum, quem poteſt: ergò ſi ratio D. Th. de tali agente procedit, vera non eſt. Probatur antec. Agens naturale non impeditum operatur ſecundum ultimum ſuæ potentiæ: ergò prius elicit actum perfectiſsimum, quem poteſt, alias non operaretur ſecundum ultimum ſuæ virtutis, neque ageret ia quantum poſſet.

Ad hoc argumentum reſpondetur. Rationem D. Th. intelligendam eſſe quando actus imperfectus non dependet à perfecto, in quo ſenſu nullam paritur inſtantiam. Quia aſſenſus concluſionis eſſentialitèr dependet ab aſſenſu præmiſſarum, & proprietates, ſaltim connaturalitèr, ab eſſentia dependent. Et ita mirum non eſt, quod priùs non producantur. Sicut prius elicit voluntas intentionem, quam electionem, quæ minus perfecta eſt. Et generans priùs producit cor, quam alias partes vivi entis. Et materia priùs recipit formam, quam exiſtentiam. Quia electio ab intentione, & aliæ partes à corde, & exiſtentia à forma dependet. Cognitio verò confuſa non dependet à cognitione diſtincta, neque cognitio prædicati ſuperioris à cognitione inferioris; & ita, cum aliundè cognitio confuſa, & prædicati ſuperioris imperfectiſsima ſit, intellectus procedens de potentia ad actum prius debet cognitionem confuſam magis habere.

Ad alteram inſtantiam adductam in ſole, reſpondetur. Rationem factam procedere de agente acquirente ſucceſſivè perfectionem, & habente utrumque actum perfectum, & imperfectum; quod quidem non reperitur in ſole, qui non habet ſucceſſivè actum perfectum, & imperfectum, ſed unico, & perfectiſsimo actu illuminat à principio.

Poterat etiam dici: rationem eſſe intelligendam de actu procedente ab agente per veram elicientiam; non autem de actu procedente per meram emanationem, qualitèr plures aſſerunt illuminationem à ſole procedere. Et ratio eſt. Quia quando actus per dimanationem procedit, ſtatim cum omni ſua per-

perfectione ab agente dimanat.

Ad aliam inſtantiam de actu, & habitu, reſpondent aliqui: actum productum ab habitu eſſe habitu perfectiorem; non tamen actum productivum habitus, & ita mirum non eſt, quod actus, per quem habitus producitur, ſit prior in intellectu.

Hæc tamen ſolutio vera eſſe non poteſt. Quia ideò actus productus ab habitu perfectior eſt illo: quia eſt magis immaterialis, & majorem actualitatem importat; ſed hoc idem habet actus productivus habitus; ſiquidem etiam eſt exercitium, & actus ſecundus: & conſequentèr magis actualis eſt, quam habitus, & actus primus. Ergò etiam talis actus erit habitu perfectior.

Secundo impugnatur data ſolutio. Quia in Moralibus actus productivus habitus vitioſi majorem malitiam habet, quam habitus ipſe: ergò in Phyſicis actus productivus habitus majorem perfectionem importat. In cuius confirmationem plura adducere poteramus, quæ modo omittimus: quia ea alibi adducemus: undè tali ſolutione relicta.

Aliter juxta dicta reſpondetur. Habitum connaturalem dependentiam habere ab actu, per quem producitur, & ideò agens, quamvis procedat de potentia ad actum, prius debet actum habere.

Ad confirmationem argumenti principalis reſpondetur negando major. Ad probationem diſtinguo antecedens. Perfectiſſimum, quem poteſt pro tunc: concedo antecedens. Quem abſolutè poteſt: nego anteced. Et ad probationem ſimiliter diſting. antec. Secundum ultimum potentiæ, pro illo tunc: conced. anteced. Secundum ultimum potentiæ abſolutè: neg. anteced. & conſequentia. Cognitio namque perfectiſſima, quam intellectus poteſt elicere pro illo tunc, non eſt cognitio ſpeciei infimæ, ſed cognitio entis naturalis, vel entis in communi, quæ eſt magis confuſa, & magis proportionata, & ideò intellectus in principio debet priùs talem cognitionem elicere. Inſtantia eſt in contrariorum doctrina, juſta quam, priùs elicit intellectus cognitionem confuſam, quam diſtinctam, quæ eſt magis perfecta: non ergò debet intellectus perfectiorem cognitionem elicere in principio, quamvis impeditus non ſit.

Secundo ad eandem confirmationem reſpondetur. Diſtinguendo minor. Non impeditum ab extrinſeco: conc. min. Ab intrinſeco: nego min. Et conſequent. Licèt namque intellectus in prima cognitione non ſit impeditus ab extrinſeco; eſt tamen ab intrinſeco impeditus. Quia, ſicut forma priùs actuat materiam ſecundum gradum communem, & poſtea ſecundum gradus particulares: ita ſpecies repræſentativa prius unitur intellectui, quatenùs repreſentat gradum communem, & poſtea ſecundum quod repræſentat gradum particularem, & ideò intellectus per ſpeciem ſibi intrinſecam impeditur ad cognoſcendum objectum perfectius, & ad cognitionem perfectiorem habendam.

Secundo arguitur contra ſecundam rationem. Univerſaliora non ſunt notiora: ergò ratio ſecunda nititur principio falſo. Probatur antec. Univerſaliora in genere ſcibili, vel in ordine ad cognitionem ſcientificam non ſunt notiora: quia objectum Metaphyſicæ, videlicèt ens, non eſt notius, alias Metaphyſica eſſet prima acquiſitione, & tamen objectum Metaphyſicæ eſt univerſalius: ergò etiam in ordine ad ſimplicem cognitionem univerſaliora non debent eſſe notiora. Conſequentia à paritate nota eſt.

Reſpondetur negando ultimam conſequentiam. Quia reſpectu ſcientificæ cognitionis objectum univerſalius, videlicèt ens, non eſt magis proportionatum: eo quod perfectiſſimum eſt inter objecta ſcientiæ naturalis, & perfectiſſima gaudet abſtractione, & ita non eſt priùs cognoſcibile in genere ſcibili; ſed priùs ſcibile eſt objectum minus perfectum, quale eſt objectum logicæ. Reſpectu verò cognitionis confuſæ objectum magis proportionatum priùs debet attingi. Et argumentum contra adverſarios procedit, loquendo formaliter, quia ſi objectum metaphyſicæ non eſt priùs ſcibile, quia eſt magis perfectum, etiam objectum magis perfectum non debet priùs cognoſci per cognitionem confuſam; ſed potiùs objectum minus perfectum debet priùs per talem cognitionem attingi.

Sed inſtabis. Inter cognitiones ſcientificas, & diſtinctas non eſt incipiendum à magis diſtincta, & perfecta, qualis eſt cognitio metaphyſicæ; ergò inter cognitiones confuſas non eſt incipiendum à magis confuſa, con-

ſe-

ſequentèrque prima cognitio non debet objectum magis univerſale, & magis confuſſum attingere.

Reſpondetur negand. conſequentiam. Quia inter cognitiones diſtinctas illa, quæ eſt magis diſtincta, eſt etiam magis perfecta, & conſequentèr cum intellectu incipiente ſcire eſt minus proportionata, & ideò non debet eſſe prima. Inter autem confuſſas, magis confuſſa eſt minus perfecta, & magis proportionata, & ſic debet eſſe prima.

Sed replicabis. Cognitio magis confuſſa non eſt magis proportionata: ergò nulla eſt data ſolutio. Probatur antec. Cognitio confuſſa verſatur circa prædicatum magis univerſale; ſed tale prædicatum non eſt magis notum: ergò, nec ipſa cognitio eſt magis proportionata. Probatur minor. Prædicatum magis univerſale eſt magis confuſſum: ergò non eſt magis notum. Quia eſſe notum, & eſſe clarum idem ſunt; claritas verò opponitur confuſioni: & ideò prædicatum magis confuſſum nequit eſſe magis notum.

Reſpondetur ad replicam diſtinguendo ultimum conſequens: non eſt magis notum objectivè, & in ſe; conc. conſeq Comparativè ad intellectum: neg. conſeq. Præditatum namque magis univerſale in ſe ipſo eſt magis confuſſum, & minus notum; quia plura ſub ſe inferiora continet, & involvit: comparativè tamen ad intellectum eſt magis notum; quia primo offertur intellectui, & ipſum primo repræſentat ſpecies. Neque claritas, quam habet comparativè ad intellectum, opponitur cum confuſione objectiva; eo quod non ſe habet reſpectu ejuſdem, & in ordine ad idem.

Sed inſtabis. Prædicatum magis confuſſum ex parte objecti, eſt minus in actu, minus perfectum, & magis potentiale: ergò non eſt magis notum comparativè ad intellectum. Qui unumquodque eſt cognoſcibile ab intellectu, in quantum eſt ens, & ſecundum quod eſt in actu: conſequentèrque quod eſt minus in actu, non erit magis cognoſcibile, & notum in ordine ad intellectum.

Reſpondetur diſtinguendo conſeq. Magis notum ſecundum ſe: conc. conſeq. Quo ad nos: neg. conſeq. Cognoſcibilitas namque conveniens objecto ſecundum ſe fundatur ſuper actualitatem, & ita quod eſt minus actuale, eſt etiam minus cognoſcibile

ſecundum ſe. Eſſe verò magis notum, & cognoſcibile quo ad nos, provenit à majori proportione cum intellectu incipiente cognoſcere: quæ proportio ſupra univerſalitatem, & potentialitatem fundatur; quatenùs univerſalitas iſta ſpecialem modum immaterialitatis, & cognoſcibilitatis importat. Undè prædicatum magis univerſale, & confuſſum debet eſſe priùs cognitum. Siquidem cum intellectu in principio eſt magis proportionatum.

Sed inſtabis. Prædicatum magis confuſſum, & magis univerſale eſt etiam minus notum quo ad nos: ergò nulla eſt data ſolutio. Probatur anteced. Prædicatum magis univerſale eſt magis perfectum, quia minus accedit ad materiam, & individuationem. Et quod magis diſtat à materia, majorem perfectionem importat: ergò tale prædicatum eſt minus notum quo ad nos. Nam intellectus noſter non à perfectioribus; ſed ab imperfectioribus incipit.

Reſpondetur neg. anteced. & ad probationem dicimus: quod prædicatum magis univerſale non eſt magis perfectum. Quia licèt minus accedat ad materiam: non tamen hoc habet propter ſui perfectionem, & actualitatem, ſed potiùs propter potentialitatem ſuam, & conditionem accidentalem præciſionis intellectus imperfectè intelligentis: vel quia intellectus ipſe non attingit comprehenſivè prædicatum cum conditionibus, & differentijs, quibus invenitur in re, ſed præſcindit ab illis: & tantum prædicatum contrahibile cognoſcit.

§. IV.

Cæteris argumentis occurritur.

TErtio arguitur contra noſtram concluſionem. Priùs cognoſcitur cognitione confuſſa totum, quàm illius partes; ſed quilibet gradus ſuperior ad ſpeciem ſpecialiſsimam eſt pars illius: ergò priùs debet cognoſci ſpecies ſpecialiſsima, quàm gradus ſuperiores ad ipſam, ex quibus tanquam ex partibus componitur.

Facile tamen reſpondetur. Quod ſi partes conſiderentur, ut partes non poſſunt priùs, quàm totum cognoſci, ſed priùs totum cognoſcitur cognitione confuſſa. Sicut à longe ſtantes priùs cognoſcimus Domum, quàm partes ipſam componentes: & priùs cognoſcimus corpus, quod videmus moveri, eſſe

cor-

corpus, quàm eſſe ſenſibile rationale: ſi tamen partes abſolutè conſiderentur, poſſunt prius cognoſci. Et hoc modo aſſerimus primum cognitum non eſſe ſpeciem ſpecialiſſimam, ſed aliquam partem metaphyſicam illius, & ſuperiorem ad ipſam analogicè, vel univocè; non quidem ut partem, ſed ſecundum ſe; & abſolutè, qua ratione eſt magis proportionata. Doctrina eſt D. Th. 1. *p. q.* 85. *artic.* 3. *ad* 3.

Quarto arguitur. Illud priùs cognoſcitur, cujus ſpecies facilius abſtrahitur à ſingularibus. Nam intellectus intelligit per ſpecies abſtractas à ſingularibus: & conſequentèr illud objectum priùs intelligit, cujus ſpeciem facilius abſtrahit; ſed ſpecies repræſentativa ſpeciei ſpecialiſſimæ facilius abſtrahitur: ergò ſpecies iſta priùs, cognoſcitur. Prob. min. Abſtractio ſpecierum facilius fit ab illis, quæ majorem ſimilitudinem habent; ſed ſingularia ſpeciei ſpecialiſſimæ majorem ſimilitudinem habent; ſiquidem ſolo numero differunt: Ergò ſpecies repræſentativa ſpeciei ſpecialiſſimæ facilius abſtrahitur.

Reſpondetur diſting. min. Facilius abſtractione poſitiva; conc. min. Abſtractione negativa: neg. min. & conſeq. Ratio namque communis abſtrahitur abſtractione poſitiva, quando intellectus ex vi convenientiæ plurium inferiorum in aliqua ratione communi abſtrahit ab illis talem rationem communem in qua inferiora conveniunt. Talis enim abſtractio comparativa eſt inferiorum inter ſe: & ab illis, ut ſic convenientibus, abſtrahit naturam communem; & ita abſtractio hæc facilius fit ab illis, quæ majorem ſimilitudinem habent: & conſequentèr abſtractione iſta facilius abſtrahitur ſpecies, quæ ſpeciem infimam repræſentat: alia autem eſt abſtractio, quæ dicitur negativa, quando videlicèt cognoſcitur natura, non cognitis ſingularibus, quæ in natura conveniunt: & abſtractio iſta æqualitèr fit à quibuſcumque ſingularibus, ſivè entis, ſivè corporis, ſivè hominis, vèl alterius ſpeciei imò facilius fit prædicati ſuperioris, quod primo offertur intellectui, & per ſpeciem prius etiam repræſentatur: & hæc abſtractio ſola requiritur ad cognitionem confuſam.

Ultimo arguitur. Illud priùs cognoſcitur, cujus ſingulare fortius movet ſenſum. Nam omnis noſtra cog-

cognitio ortum habet à ſenſu; ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſsimæ fortius movet ſenſum: Ergò ſpecies ſpecialiſsima prius cognoſcitur. Prob. min. Singulare in quantum ſingulare movet ſenſum; ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſsimæ eſt magis ſingulare: ergò fortius movet ſenſum. Patet conſeq. Quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſe habet magis ad magis: unde quia album in quantum tale diſgregat viſum, magis album diſgregat magis, conſequenterque, ſi ſingulare in quantum tale movet ſenſum: & ſingulare ſpeciei ſpecialiſsimæ eſt magis ſingulare, fortius, & magis movebit.

Ad hoc argumentum poterat reſponderi. Singulare in quantum tale movere ſenſum, ita ut ſingularitas ſit ratio formalis movendi. Ex quo ſolum habetur magis ſingulare ſecundum ſe fortius poſſe movere ſenſum: non tamen defacto fortius, & magis movere ſenſum primo incipientem ſentire. Quia ſenſus in principio debilis, & imperfectus eſt, minuſque proportionatus cum ſingulari perfectiori, & ideò facilius à ſingulari minus perfecto movetur. Sicut potentia viſiva debilis, & imperfecta ſuſtinere non poteſt lucem perfectiorem, ut contigit in Veſpertilione, & Noctua: ſed facilius talis potentia à luce imperfecta movetur.

Secundo tamen probabilius reſpondemus. Singularitatem non eſſe rationem formalem movendi ſenſum; ſed ſolum eſſe conditionem movendi. Quia ſenſus eſt potentia materialis, quæ attingere non potest, niſi objectum contractum, & ſingulare: undè major ſecundi ſyllogiſmi diſtinguenda eſt. Et ſi ly in quantum dicat conditionem movendi, eſt concedenda: ſi autem ly in quantum reduplicet rationem formalem, neganda eſt. Ex quo non ſequitur, magis ſingulare fortius movere ſenſum. Undè experientia cognoſcimus, quod ſingulare entis materialis fortius movet, quam ſingulare hominis; nam ſingulare entis materialis magis diſtans percipitur a ſenſu. Priùs namque percipimus de objecto, quod videmus à longe, eſſe aliquod ſingulare materiale; quam eſſe Petrum, vel Paulum; & tamen ſingulare entis materialis minus perfectum eſt, & non ita ſingulare.

Sed inſtabis. Quamvis ſingularitas ſit ſolum conditio, magis ſingulare debet mo-

vere

vere fortius: ergò ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ fortius movebit ſenſum. Prob. antec. Magis univerſale magis movet intellectum, ut concedimus, & tamen univerſalitas ſolum eſt conditio in ordine ad intellectum; quia ſi eſſet ratio formalis, non poſſet intellectus, etiam per reflexionem, attingere ſingularia; eo quod nulla potentia poteſt excedere limites ſuæ rationis formalis: ergò quamvis ſingularitas ſit tantum conditio movendi, comparativè ad ſenſum quod eſt magis ſingulare, fortius movere debet.

Reſp. tamen negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis ea eſt. Quia quamvis univerſalitas ſit ſolum conditio in ordine ad intellectum, prædicatum tamen magis univerſale eſt magis confuſum, & minus perfectum. Et ita magis eſt proportionatum cum intellectu incipiente: & propterea prius debet ab illo cognoſci. Singulare verò quod eſt magis ſingulare, eſt magis perfectum: & ita minus eſt proportionatum cum potentia ſenſitiva in principio: Conſequenterque non debet prius illam movere, nec ab illa ſic incipiente cognoſci.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis ergò in articuli diſcutiu colligitur primo. Quod quando dixit Ariſtoteles, *quod nobis notiora ſunt, quæ ſunt propinquiora ſenſui*, intelligendus eſt de notitia ſenſitiva. Quia, cum ſingularia ſint ſenſibus propinquiora, ſunt etiam magis nota reſpectu ſenſitivæ potentiæ. Propter quod alibi Ariſtoteles aſſirmavit: *quod univerſale notius eſt ratione, ſingulare verò ſenſu.*

Secundo infertur ex dictis, quod dum ipſe Ariſtoteles aſſirmat: *Quod ſimpliciter notiora ſunt, quæ ſunt magis remota ſenſibus, & hæc eſſe univerſaliora*, intelligendus eſt, de univerſalioribus in cauſando, & cognoſcendo, videlicèt de ſubſtantijs ſeparatis, quæ à ſenſibus remotiſſimæ ſunt propter ſuam perfectionem: propter quam ſunt etiam notiores ſimpliciter, & ſecundum ſe; non tamen intelligendus eſt, de univerſalioribus in eſſendo, & prædicando, quæ licèt magis ſeparentur à ſenſibus; non tamen ſunt ſimpliciter, & ſecundum ſe notiora, quam ipſa ſingularia; ſed duntaxat quo ad nos.

Ter-

Tertio colligitur, intellectum procedentem de potentia ad actum poſtquam cognovit prædicatum entis, vel entis materialis, non poſſe immediatè tranſire ad cognoſcendam ſpeciem infimam, ſed priùs debere prædicata intermedia cognoſcere. Quia agens procedens de potentia ad actum priùs debet elicere cognitionem magis ſibi proportionatam: cumque cognitio prædicati intermedij minus perfecta ſit, & conſequenter magis proportionata, priùs debet intellectus talem cognitionem elicere.

Ultimo infertur. Quod quamvis ſpecies à phantaſmatibus abſtracta repræſentet omnia prædicata, quæ in objecto reperiuntur; intellectus tamen propter ſui imperfectionem non omnia ſimul, clarè, & diſtinctè cognoſcit; ſed potiùs ad illa diſtincte cognoſcenda ſucceſſionem temporis requirit. Et hæc de articulo iſto, ad Philoſophum applicanda in 1. phyſicorum textu 3. ad illa verba: *Sunt autem primum nobis manifeſta, &c.*

*** ***
*** ***

ARTICULUS II.

Vtrùm primum cognitum ſit ens materiale formaliter?

§. I.

Status difficultatis apperitur, & ſententiæ referuntur.

IN præſenti difficultate unum ſupponimus, & aliud inquirimus. Supponimus quidem ens univerſaliſſime acceptum eſſe objectum ſpecificativum intellectus; & inquirimus, utrum illud ipſum ſit objectum magis proportionatum cum intellectu noſtro pro vitæ præſentis ſtatu, & primum cognitum ab ipſo: vel hoc ſolum competat enti materiali, vel alteri prædicato ab ente diſtinctio? In qua parte.

Aliqui aſſerunt: Primum cognitum ab intellectu noſtro pro ſtatu vitæ præſentis eſſe ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali. Ita Mag. Soto, quem plurimi Thomiſtæ ſequuntur. Alij autem affirmant: Primum cognitum eſſe ens connotans materialitatem, ut exercitam à parte rei, & in phantaſmatibus, à quibus ſpecies abſtrahitur. Illam defendit in manuſcriptis Illu. Godoy, Mag. Ioannes à Sancto Thoma, & alij eadem via incedentes. Alij tan-

tandem asserunt, primum cognitum ab intellectu nostro esse ens materialitate ingrediente tanquam ratione, quæ cognita, explicitè, & formaliter ex parte objecti. Hujus princeps Cajet. *in Proœmio de ente, & essentia, q. 1. & in 1. p. q. 85. super articul. 3.* cui etiam adhærent plures Thomistæ. Quid autem verum sit, triplici conclusione declaramus.

§. II.
PRIMA CONCLUSIO.

Primum cognitum à nostro intellectu non est ens incommunicabile.

Conclusionem istam efficaciter suademus, ratione desumpta ex doctrina Sanctissimi Præceptoris *in 1. p. à quæst. 84 usque ad 87.* ubi sæpè repetit illam. Quia ens in communi non potest esse objectum proportionatum intellectus pro statu vitæ præsentis: ergò non potest esse primum cognitum ab intellectu. Prob. ant. Nam objectum specificativum essentialiter debet esse distinctum ab objecto proportionato intellectus pro statu vitæ præsentis; sed ens, ut sic, est objectum specificativum intellectus: ergò non potest esse objectum proportionatum. Minor cum consequentia tenet: & major probatur à paritate, & ratione. Paritate quidem. Quia in Angelis, & Anima separata objectum specificativum essentialiter diversum est ab objecto proportionato. Siquidem objectum specificativum tàm Angeli, quàm Animæ separatæ est ens, ut sic: objectum verò proportionatum utriusque est propria substantia, & ita Angelus, & Anima separata ante omnia alia objecta suam substantiam cognoscunt: ergò objectum specificativum essentialiter debet esse distinctum ab objecto proportionato intellectus etiam nostri pro statu vitæ præsentis. Consequentia hæc à paritate nota est. Antec. verò, esse expressum D. Thom. ipsi adversarij fatentur.

Ratione autem probatur major. Objectum proportionatum intellectus secundum se essentialiter debet esse distinctum ab objecto proportionato intellectus pro vitæ præsentis statu; sed objectum specificativum intellectus est objectum proportionatum intellectus secundum se, & quatenùs ab hoc statu, & à statu separationis præscindit: ergò objectum specificativum intellectus essentialiter debet esse diversum ab objecto

jecto proportionato illius pro ſtatu vitæ præſentis. Maj. prob. Ubi eſt diverſus modus cognoſcendi, debet eſſe diverſum objectum proportionatum, nam D. Thom. ex diverſo modo cognoſcendi intellectus noſtri pro hoc ſtatu, & Animæ ſeparatæ probat, *q. 85 art. 1.* objectum proportionatum utriuſque eſſe diverſum; ſed intellectus in hoc ſtatu habet ſpecialem modum cognoſcendi non convenientem intellectui ſecundum ſe, & ut præſentialiter ab hoc, & altero ſtatu: ergò objectum proportionatum intellectus ſecundum ſe eſſentialiter debet eſſe diſtinctum ab objecto proportionato intellectus pro hoc ſtatu.

Reſpondent contrarij. Objectum proportionatum adæquatum intellectus pro ſtatu vitæ præſentis debere eſſe diſtinctum ab objecto proportionato intellectus ſecundum ſe. Quia objectum proportionatum intellectus in hoc ſtatu includit etiam entia materialia, quæ non ſunt objecta proportionata intellectus ſecundum ſe: non tamen eſt neceſſarium quod objectum proportionatum intellectus in hoc ſtatu inadæquate ſumptum, videlicet pro ente in communi ſit eſſentialiter diverſum ab objecto proportionato intellectus ſecundum ſe.

Sed contra eſt. Objectum proportionatum intellectus pro hoc ſtatu inadæquatè acceptum, pro objecto videlicet primò cognito debet eſſe eſſentialiter diſtinctum ab objecto proportionato intellectus ſecundum ſe; ſed objectum ſpecificativum intellectus eſt etiam objectum proportionatum illius ſecundum ſe: ergò non poteſt eſſe objectum proportionatum in prima cognitione pro ſtatu vitæ præſentis. Prob. maj. Ubi eſt diverſus modus cognoſcendi, debet eſſe diverſum objectum proportionatum; ſed modus cognoſcendi, quem intellectus habet in prima cognitione huius ſtatus, non competit intellectui ſecundum ſe: ergò objectum proportionatum intellectus pro hoc ſtatu inadæquate acceptum pro objecto per primam operationem attacto eſſentialiter debet eſſe diſtinctum ab objecto proportionato intellectus ſecundum ſe.

Secundo probatur concluſio noſtra ratione. Objectum proportionatum non poteſt eſſe commune objecto proportionato, & objecto improportionato; nam eſſe ob-

obiectum proportionatum eſſentialiter debet repugnare obiecto improportionato; ſed ens, ut ſic, eſt commune obiecto proportionato, & improportionato; enti videlicèt materiali, & enti ſpirituali, quod cum intellectu pro hoc ſtatu proportionem non habet: ergo ens ut ſic non poteſt eſſe obiectum proportionatum; & conſequentèr nequit eſſe primum cognitum.

Reſpondebis. Obiectum proportionatum in eſſe obiecti, non poſſe eſſe commune obiecto proportionato, & improportionato: poſſe tamen eſſe commune in eſſe rei: & quamvis ens, ut ſic, ſit commune in eſſe rei, non tamen in eſſe obiecti. Et ideò poteſt eſſe obiectum proportionatum.

Sed contra eſt. Ens ut ſic eſt commune in eſſe obiecti obiecto proportionato, & improportionato: ergo non poteſt eſſe obiectum proportionatum. Prob. ant. Ens ut ſic, conſtituitur in eſſe obiecti, per rationem communem entis negativè abſtractam ab inferioribus ſuis; ſed talis ratio, communis eſt omni obiecto proportionato, & improportionato, & de omnibus prædicatur: ergo ens ut ſic eſt commune in eſſe obiecti.

Reſpondebis: Ens ut ſic; non conſtitui in eſſe obiecti, per ipſam rationem entis abſtractam ab inferioribus ſpecificativè ſumptam: qua ratione communis eſt; ſed conſtitui per illam reduplicativè ut abſtractam, & ut non explicantem inferiora, ſecundum quam rationem communis non eſt. Quia in inferioribus non invenitur formaliter, ut abſtracta.

Sed conſtra eſt. Quia, ſi vera eſt data ſolutio, differentia conſtitutiva entis in ratione obiecti proportionati, non erit communis ad omnia obiecta proportionata: ergo non erit conſtitutiva entis in ratione obiecti proportionati. Conſequentia bona eſt. Quia differentia conſtitutiva obiecti proportionati, debet eſſe commuis ad omnia proportionata. Ant. verò prob. Ratio entis reduplicativè ut abſtracta, & non explicans inferiora non invenitur in omnibus obiectis proportionatis intellectus, & alijs inferioribus ſuis; ſed potius in illis contracta, & determinata invenitur: ergo ſi vera eſt data ſolutio differentia conſtitutiva entis in ratione obiecti proportionati, non erit communis ad alia proportionata.

Explicatur impugnatio:

Neceſſario aſsignanda eſt aliqua differentia conſtitutiva obiecti proportionati, in qua omnia obiecta proportionata conveniant; ſed in ratione entis reduplicativè ut abſtracta non conveniunt omnia obiecta proportionata, omnia videlicet entia materialia, quę pro ſtatu vitæ preſentis obiecta proportionata ſunt: ergo ratio entis reduplicativè ut abſtracta non poteſt eſſe differentia conſtitutiva obiecti proportionati, ſed alia differentia aſsignanda eſt, in quo omnia proportionata conveniant: quæ quidem erit ratio formalis omnia proportionandi, & per primum actum attracta.

Tandem impugnatur data ſolutio. Obiectum proportionatum, & obiectum ſpecificativum intellectus noſtri debent eſſe diſtincta, diſtinctione gradus ad gradum; ſed ens ut ſic, quod eſt obiectum ſpecificativum intellectus, & ipſum ens reduplicativè, ut abſtractum, non differunt diſtinctione gradus ad gradum; ſed potiùs ſunt formaliter idem gradus, ſuperadita tantum reduplicatione abſtractionis; ergo ens reduplicativè ut abſtractum non poteſt eſſe obiectum proportionatum. Min. cum conſeq. tenet, & prob. mai. Obiectum ſpecificativum Angeli, & Animæ ſeparatæ differunt diſtinctione gradus ad gradum, quia ens ut ſic, quod eſt obiectum ſpecificativum illorum, gradus diverſus eſt à propria illorum ſubſtantia, quæ eſt obiectum proportionatum: ergo inter obiectum ſpecificativum, & obiectum proportionatum intellectus pro hoc ſtatu eadem differentia conſtituenda eſt.

§. III.
Secunda Concluſio.

Ens connotans materiam nequit eſſe primum cognitum.

PRobatur concluſio iſta: Primum cognitum non eſt ens commune ad ens materiale, & ens ſpirituale; ſed ens connotans materiam, eſt ad utrumque commune: ergo non eſt primum cognitum. Prob. min. Ens analogum ad materiale, & ſpirituale eſt ad utrumque commune; ſed ens connotans materiam eſt analogum ad materiale, & ſpirituale. Quia illa implicitè continet, & nullum illorum explicat: ergo ad utrumque commune eſt.

Reſpondent contrarij. Ens connotans materiam non continere implicitè entia ſpiritua-

ritualia. Quia ratio entis connotantis materiam ſolum eſt abſtracta ab ente materiali, non tamen ab ente ſpirituali. Et ideò hoc ſecundum, nec continet implicitè, neque ad ipſum analoga eſt.

Contra tamen eſt. Quia ratio analoga ab aliquo in inferiori ſemel abſtracta continet implicitè omnia inferiora, & ad illa manet analoga: ut communitèr Logici dicunt: ergo ſi ratio entis connotantis abſtracta eſt ab ente materiali, continebit implicitè ens ſpirituale; & erit ad utrumque communis.

Secundò impugnatur iſta ſolutio. Ratio analoga ab uno inferiori ſemel abſtracta manet indifferens pro explicito ad omnia inferiora: ergo implicitè continet illa, & manet ad omnia communis. Prob. ant. Ratio analoga ab uno inferiori abſtracta manet indifferens; ſiquidem ſic abſtracta ſepatata manet à ſingularitate determinante; ſed indifferens in quantum tale æqualitèr ſe habet ad omnia inferiora: ergo ratio analoga ſemel abſtracta ab uno inferiori manet indifferens pro explicito ad omnia inferiora.

Tertiò impugnatur ſolutio. Ratio univoca ab uno inferiori ſemel abſtracta ad omnia manet indifferens. Undè ratio animalis abſtracta ab homine manet indifferens ad hominem, & equum, & ad omnia animalia communis. Et in opinione probabili Thomiſtarum, quam nos etiam in Logica habemus, natura Angelica ſemel abſtracta ab unico individuo, quod habet, manet ex conceptu naturæ indifferens ad plura individua; ergo idem de ratione analoga dicendum.

Secundò reſpondent alij. Rationem entis abſtractam ab ente materiali, eſſe quidem communem ad ipſum, & ad ens ſpirituale; non tamen ex parte rei, ſed ſolum ex parte modi: quatenus non explicat ens materiale, neque ens ſpirituale: ſicut Logici dicunt, iſtam propoſitionem, ſubſtantia eſt ens, non eſſe ſuperioris de inferiori ex parte rei conceptæ, ſed ſolum ex parte modi: quia ens ſolum quantum ad explicitum, à ſubſtantia præſcindit.

Sed contra eſt. Quia nullum analogum præſcindit ab analogatis, niſi quantum ad explicitum: vel ſaltim plura analoga aliam præciſionem non habent. Et tamen ratio analoga, ſemel abſtracta, verè, & propriè communis eſt: ergo licèt ratio entis ſolum quantum ad explicitum præſ-

cindat ab ente materiali, & ſpirituali, ſemel tamen abſtracta, verè, & propriè erit ad utrumque communis. Alia autem circa concluſionem iſtam dabimus infra.

§. IV.

Tertia Concluſio reſponſiva quæſito.

Primum cognitum ab intellectu noſtro eſt ens formaliter materiale.

COncluſio iſta eſt ſententia D. Thom. 1. *p.* à *q.* 84. *uſque ad* 88. ubi paſſim affirmat, ens materiale eſſe ſolum obiectum proportionatum, & primo cognitum ab intellectu noſtro, pro ſtatu vitæ præſentis. Et in ultima *q. citata, artic.* 3. adducit verba ſequentia: *Primum autem, quod intelligitur à nobis ſecundum ſtatum præſentis vitæ, eſt quidditas rei materialis, quæ eſt noſtri intellectus obiectum.* In quibus procedit Angelicus Doctor de obiecto proportionato; ſiquidem articuli interrogatio fit de primo cognito, quod idem eſt, ac interrogare de obiecto proportionato.

Reſpondent contrarij. D. Thom. ibi loqui de quidditate rei materialis inadæquatè ſumpta ſecundum aliquod prædicatum quidditativum ipſius, videlicèt ſecundum rationem entis, quæ eſt de quidditate cujuſcumque rei materialis. Et ideò ex littera D. Thom. non infertur ens materiale, ſecundum differentiam materialis eſſe obiectum magis proportionatum intellectus, & priùs ab intellectu conceptum. Quam explicationem veram eſſe perſuadere conantur aliis locis D. Thom. de quibus in argumentorum ſolutione dicemus. Modo autem

Explicatio prædicta reijcitur. D. Thom. abſolutè aſſerit, quidditatem rei materialis eſſe primum cognitum ab intellectu noſtro, pro ſtatu vitæ præſentis; ſed in doctrina D. Thom. quidditas inadæquatè ſumpta, vel pars quidditatis, non poteſt abſolutè quidditas nominari: ergò non loquitur D. Thom. de quidditate inadæquatè ſumpta, & ſecundum aliquam partem; ſed de illa adæquatè conſiderata. Mai. cum conſequentia tenet. & probat. min. D. Thom. *q.* 75. *art.* 4. probat hanc propoſitionem, Anima eſt homo, eſſe falſam: quia anima non eſt tota quidditas hominis, ſed pars quidditatis: & ibidem etiam in corpore affirmat, quod quidditas ſignificat id, quod diffinitio. Diffi-

nitio

nitio autem totam quidditatem ſignificat, & non partem quidditatis: ergo in doctrina D. Tho. pars quidditatis non poteſt abſolutè quidditas nominari. Sicut ſola materia non dicitur abſolutè quidditas hominis, nec ſola forma. Conſequenterque dum D. Tho. affirmat, quidditatem rei materialis eſſe primum cognitum, & obiectum proportionatum, de quidditate rei materialis adæquatè ſumpta, etiam ſecundum propriam differentiam, intelligendus eſt. Nec amplius immorari oportet in doctrina D. Thom quæ pro noſtra, & oppoſita ſententia non difficilè explicatur.

Ratione autem concluſionem noſtram probant aliqui Thomiſtę. Illud, quod in omni actu intellectus noſtri pro vitæ præſentis ſtatu ingreditur in obliquo, debet in recto attingi per primum actum tanquam ratio quæ ſignatè, & expreſsè cognita. Sed materialitas in omni actu intellectus noſtri attingitur in obliquo. Nam quidquid intellectus cognoſcit ipſum attingit admodùm rei materialis: ergo ens materiale debet eſſe primum cognitum, & attactum per primum actum in recto. Minor cum conſequentia tenet, & maiprob. Nam, quia Deus in dilectione charitatis, qua diligimus creaturas, ſemper attingitur in obliquo, per primum actum charitatis attingitur ſemper in recto. Et idem de primo actu fidei, & ſpei, qui Deum attingunt in recto: quia in omni alio actu fidei, & ſpei, debet Deus ſaltim in obliquo attingi. Sicut etiam intellectus cognitione abſoluta priùs attingit ens reale quam ens rationis. Quia omnis cognitio abſoluta entis rationis ad ens reale in obliquo terminatur: ergo etiam quod in omni actu intellectus noſtri attingitur in obliquo, per primum actum in recto debet attingi.

Hæc tamen ratio manifeſtè inſtatur. Quia malum ingreditur in obliquo in quocumque actu doni timoris; & tamen per primum actum non attingitur in recto: eo quod nullus actus doni, vel virtutis poteſt attingere malum in recto, aliàs bonus, & virtuoſus non eſſet: Ergo quamvis materialitas in omni actu noſtri intellectus ingrediatur in obliquo, non inde infertur, quod per primum actum attingatur in recto.

Inſuper etiam ad rationem prædictam facilè reſpondebunt contrarij: Illud eſſe in-

telligendam, quando obiectum attractum per alios actus in obliquo, habet proportionem cum primo actu: ſicut illam habet Deus cum primo actu fidei, charitatis, & ſpei, & ens reale cum primo actu intellectus, & talem proportionem non habere ens materiale in ordine ad primum actum. Et ideò aliter.

Probatur concluſio noſtra ex doctrina D. Tho. contenta in locis antecedenter relatis. Nam illud primo pro præſenti ſtatu ab intellectu cognoſcitur, quod per ſe primo repræſentatur per ſpeciem à phantaſmatibus abſtractam; quia per talem ſpeciem cognoſcit intellectus obiectum: & ita illud primo debet cognoſcere, quod primo repræſentat ſpecies. Sed ſpecies à phantaſmatibus abſtracta per ſe primo, & explicitè repræſentat ens materiale; ergo ens materiale pro præſenti ſtatu, primo ab intellectu cognoſcitur. Prob. min. in qua difficultas eſt. Illud primò, & per ſe repræſentat ſpecies abſtracta, cuius ſingulare primò, & per ſe repræſentatur in phantaſmate, eo quod iuxta doctrinam D. Tho. *q. 85. art. 5.* in corp. Idem ordo cognitionis in ſenſu, & in intellectu ſervari debet; ſed in phantaſmate non repræſentatur niſi ſingulare entis materialis formaliter: ergo quod per ſe primò repræſentat ſpecies abſtracta à phantaſmate debet eſſe ens materiale formaliter. Minor prob. Phantaſma in eſſe repræſentativo eſt intrinſicè, & formaliter materiale: ut omnes fatentur: ergo in phantaſmate non tepræſentatur niſi ſingulare entis materialis formaliter. Conſequentia bona eſt, & ant. etiam conſtat. Quia ſpecies in eſſe repræſentativo non poteſt propriam potentiam, & illius immaterialitatem excedere, Sed phantaſia eſt potentia eſſentialiter, & intrinſice materialis: ergo phantaſma, quod eſt ſpecies phantaſiæ, debet in eſſe repræſentativo eſſe materiale formaliter. Quod etiam eo conſtat. Quia phantaſia ſolum cognoſcit ens explicitè materiale in individuo: hoc autem ſignum eſt in phantaſmate ſolum repræſentari ens materiale formaliter. Si namque aliud reptæſentaret, illud etiam phantaſia cognoſceret.

Ad rationem iſtam reſpondent contrarij. Speciem à phantaſmatibus abſtractam repræſentare omnes gradus, & prædicata omnia, quæ in obiecto reperiuntur: cumque inter omnia prædicata ratio entis ſit magis confuſa, & ma-

magis universalis, consequens sit speciem per se primò debere repræsentare rationem entis, & intellectum illam cognoscere.

Hæc tamen solutio nititur principio falso. Quia species à phantasmate abstracta solum repræsentat explicitè omnes gradus materiales; sed inter omnes istos ratio communis entis materialis magis confusa, & universalis est: ergo illam primò repræsentat species. Prob. mai. Species illa secundum repræsentationem adæquatam est intrinsicè materialis: ergo solum repræsentat explicitè omnes gradus materiales. Prob. ant. Nihil repræsentat species illa nisi quod prius in singulari repræsentatur per phantasma; sed phantasma est intrinsece materiale secundum repræsentationem adæquatam: ergo species illa secundum adæquatam repræsentationem intrinsicè materialis est. Min. cum consequent. tenet. & mai. similiter constat. Quia species intellectus, & phantasma tantum distinguntur in eo, quod species repræsentat in communi, quod phantasma in singulari repræsentat: & consequenter nihil repræsentat species, quod prius in singulari phantasma non repræsentet.

Respondent contrarij. Quod singulare entis, implicitè repræsentatur in phantasmate, & consequenter species à phantasmatibus abstracta, repræsentare debet rationem communem entis: cumque alias ratio entis sit magis confusa, magis etiam debet esse proportionata, & primò etiam ab intellectu cognita.

Contra tamen est. Quamvis singulare entis implicitè repræsentetur in phantasmate; hæc tamen repræsentatio purè materialis est: ergo non sufficit, ut à phantasmatibus possit abstrahi species repræsentativa entis. Prob. antec. Phantasma nec implicitè, nec explicitè potest repræsentare formaliter, nisi illud quod est formaliter materiale; sed singulare entis non est formaliter materiale, alias esset singulare, non quidem entis, sed entis materialis: ergo repræsentatio illius implicita in phantasmate purè materialis est. Probo mai. Nihil potest formaliter repræsentare phantasma, nisi sub ratione sui obiecti; sed obiectum phantasmatis est formaliter, & intrinsicè materiale; sicut, & obiectum phantasiæ: eo quod species extendi non potest ultra obiectum suæ potentiæ: ergo phantasma nec implicitè,

tè, nec explicitè, poteſt repræſentare formaliter, niſi quod formaliter materiale eſt.

Secundò impugnatur ſolutio data. Eo modo per ſpeciem intellectus poteſt repræſentari ens in communi, quo ſingulare entis per phantaſma repræſentatur; ſed ſingulare entis, tantum implicitè materialiter per phantaſma repræſentatur: ergo ſpecies abſtracta à phantaſmate ſolum implicitè materialiter poteſt repræſentare rationem entis.

Explicatur impugnatio. Ita proportionabiliter repræſentat ſpecies intellectus rationē communem, ſicut phantaſma repræſentat ſingulare; ſed phantaſma non repræſentat ſingulare entis, ut hoc ens, ſed ut hoc ens formaliter materiale: ergo ſpecies intellectus non repræſentat ens, formaliter ut ens, ſed potius ut ens formaliter materiale. Min. probatur. Quia ſingulare entis tantum repræſentatur in phantaſmate propter identitatem, quam habet cum ſingulari entis materialis: ergo non repræſentatur, ut hoc ens, ſed ut hoc ens materiale. Sicut ſpecies potentiæ viſivæ non repræſentat formaliter ens, quia in obiecto potentiæ viſivæ ſolum reperitur ens materialiter, & per identitatem cum colore formaliter terminante viſionem.

Secundò probatur ratione concluſio noſtra. Abſoluta cognitio entis debet neceſſario præſupponere cognitionem entis materialis: ergo ens materiale debet eſſe primum cognitum. Prob. antec. Omnis cognitio entis abſoluta debet eſſe connotativa, & ad modum rei materialis: ergo debet neceſſariò præſupponere cognitionem entis materialis. Quia propterea Deum, & Angelos non primo cognoſcimus: quia ſemper Deum, & Angelos connotativè attingimus ad modum rei materialis. Ant. verò ſolùm contra manifeſtam experientiam poterit negari: omnes namque experimur nihil nos cognoſcere, niſi ad modum rei materialis: & ipſum prædicatum entis non aliter apprehendimus, niſi ad modum alicuius materialis: & ſi ſemel prædicatum entis poſſemus cognoſcere, & non ad modum rei materialis, etiam Deum, & Angelos eodem modo poſſemus attingere: ergo omnis cognitio entis abſoluta debet eſſe connotativa, & admodum rei materialis.

Confirmatur, & urgetur ratio prædicta. Materialitas

eſt

eſt ratio formalis conſtituendi obiectum proportionatum: ergo ſolum ens materiale poteſt eſſe obiectum proportionatum, & primum ab intellectu cognitum. Prob. antec. 1. Ea eſt ratio formalis proportionandi, vel conſtituendi obiectum proportionatum, quę ſe ipſa proportionata eſt, ſicut patet in luce, quæ eſt ratio formalis videndi alia, & ſe ipſa viſibilis eſt: & univerſaliter ratio formalis reſpectu aliorum eſt etiam ratio formalis ad ſe ipſam; ſed materialitas per ſe ipſam proportionata eſt, ſiquidem illam attingimus per ſpeciem propriam quidditativè, & non ad modum alterius: ergo materialitas eſt ratio formalis proportionandi, vel conſtituendi obiectum proportionatum.

Secundò prob. antec. Non intellecta materialitate ſolum remanet obiectum ſpecificativum intellectus; ipſa namque non intellecta, ſolum remanet ens ad materiale, & ſpirituale commune; ſicut non intellecta rationalitate in homine, tantum remanet animal commune ad hominem, & ad equum: ergo materialitas eſt ratio formalis conſtituendi obiectum proportionatum.

Tertiò prob. antec. Immaterialitas eſt ratio formalis proportionandi obiectum intellectus Angelici: ergo materialitas eſt ratio formalis proportionandi obiectum intellectus humani pro ſtatu vitæ præſentis.

Reſpondebis: Secluſa materialitate, vel illa non intellecta, remanere ens connotans materialitatem: & prædictam connotationem materiæ eſſe rationem formalem conſtituendi obiectum proportionatum.

Sed contra eſt. Ea eſt ratio formalis conſtituendi obiectum proportionatum, quæ per ſe ipſam proportionata eſt; ſed materialitas per ſe ipſam proportionata eſt: ut probavimus: ergo materialitas ipſa non autem connotatio materiæ, erit ratio formalis conſtituendi obiectum proportionatum.

Secundò impugnatur data ſolutio. Immaterialitas, non autem connotatio immaterialitatis, eſt ratio formalis proportionandi obiectum intellectus Angeli: ergo ab oppoſito materialitas erit ratio formalis proportionandi obiectum intellectus humani. Et quidem, ens materiale non redditur obiectum proportionatum per connotationem materiæ; ſed per ipſam materiam, quam formaliter

licèt importat: ergo connotatio materiæ non eſt ratio formalis proportionandi, vel conſtituendi obiectum proportionatum. Et certè mirum eſt, quod connotatio materiæ conſtituat obiectum proportionatum, & quod ipſa matetia per ſe ipſam proportionata non ſit: neque conſtituere poſsit obiectum proportionatum.

§. V,

Argumentis primæ ſententiæ reſpondetur.

IN favorem primæ ſententiæ, arguitur primo authoritate Sanctiſsimi Præceptoris in proœmio de ente, & eſſentia. Et 1. 2. *q.* 94. *art.* 2. in corpor. In quibus locis expreſsè aſſerit: ipſum ens eſſe, quod primo concipit intellectus, & quod primo cadit in intellectus apprehenſione: ergo ens eſt primum cognitum ab intellectu, pro ſtatu præſentis vitæ.

Reſpondent aliqui: D. Th. in locis relatis loqui de obiecto proportionato intellectus ſecundum ſe, quod quidem eſt ens in communi; non tamen loqui de obiecto proportionato, pro ſtatu vitæ præſentis.

Hæc tamen ſolutio expreſsa eſt contra mentem D. Th. Ipſe namque loquitur de obiecto, quod intellectus cognoſcit in actu ſecundo. Siquidem loquitur de obiecto, quod primò cadit in apprehenſione intellectus: & ſolum apprehenditur, quod cognoſcitur. Sed intellectus ſecundum ſe non intelligit in actu ſecundo. Quia intellectus ſecundum ſe non operatur; ſed ſolùm importat prædicata eſſentialia, & habitudinem ad obiectum ſpecificativm, quod comparativè ad intellectum prout ſic, eſt etiam proportionatum: ergo non loquitur D. Thom. de obiecto proportionato intellectus ſecundum ſe. Et ideò hac ſolutione relicta.

Reſpondetur D. Th. loqui de ente; non tamen ſecundum expreſsionem entis, ſed ſolum ſecundum expreſsionem entis materialis. Cujus ea eſt ratio. Nam quando Angelicus Præceptor de eadem re in pluribus locis ſermonem facit, verba, quæ adducit in locis extraneis intelligenda ſunt juxta ea, quæ habet in proprio loco, in quo rem expreſsè diſputat: ſed in proprio loco, videlicèt in 1. *p.* à *q.* 84. *uſque ad* 88. ſemper aſsignat pro obiecto proportionato quidditatem rei materialis: ergo verba quæ alibi habet in hoc ſenſu intelli-

telligenda ſunt. Et maximè quia in *quæſt.* 87. *art.* 3. explicans, quodnam ſit obiectum proportionatum, & quid ſit quidditas rei materialis, aſſerit: quod eſt *natura materialis.* Quibus verbis, & non alijs clarioribus, poſſumus nos mentem noſtram declarare. Rurſus etiam ad primum in eodem articulo reſponder: *Quod obiectum intellectus eſt commune quoddam ens, & verum, ſub quo comprehenditur etiam ipſe actus intelligendi. Undè intellectus poteſt ſuum actum intelligere, ſed non primo. Quia nequè primum obiectum noſtri intellectus ſecundum præſentem ſtatum eſt quodlibet ens, & verum, ſed ens, & verum conſideratum in rebus materialibus.* Juxta quam doctrinam alia loca D. Thom. intelligenda ſunt.

Secundo arg. à ratione. Prima cognitio intellectus noſtri pro ſtatu vitæ præſentis eſt cognitio imperfectiſsima omnium; ſed cognitio entis materialis imperfectiſſima non eſt: ſiquidem imperfectior eſt cognitio entis in communi: ergo ens materiale primum cognitum non eſt. Minor cum conſeq. tenet. & prob. maior. Quia agens procedens de potentia ad actum priùs elicit actum imperfectiſsimum; ſed intellectus eſt agens procedens de potentia ad actum: ergo prima cognitio illius imperfectiſsima eſt.

Reſpondetur diſting. min: Non eſt imperfectiſsima abſolutè: conced. min. Imperfectiſsima circa obiectum proportionatum: neg. min. & conſeq. Intellectus namque procedens de potentia ad actum non debet priùs elicere cognitionem imperfectiſsimam abſolutè; ſed illam quæ imperfectiſsima eſt circa obiectum proportionatum: & cum talis ſit cognitio entis materialis, (ut jam vidimus) illa debet eſſe prima.

Sed inſtabis. Cognitio entis, ut ſic, eſt etiam circa obiectum proportionatum; ſed hæc imperfectior eſt cognitione entis materialis: ergo cognitio entis materialis imperfectiſſima non eſt circa obiectum proportionatum. Prob. mai. Ens, ut ſic, quidditativè cognoſcitur à nobis pro ſtatu vitæ præſentis: ergo eſt obiectum proporcionatum, alias non poſſet quidditativè cognoſci, ſed ſolum connotativè, & admodum obiecti proportionati: conſequenterque cognitio entis ut ſic circa obiectum proportionatum verſatur. Prob. antec. Ens materiale

riale cognoſcitur à nobis quidditativè pro ſtatu vitæ præſentis; ſed non poteſt quidditativè cognoſci, quin ens ut ſic quidditativè attingatur: ergo ens ut ſic quidditativè cognoſcitur.

Min. ſyllogiſmi, in qua difficultas eſt, prob. 1. Ens materiale conſtat ex ratione entis, & ratione materialis: ergo non poteſt quidditativè cognoſci, niſi ratio entis quidditativè atingatur. Prob. conſeq. Non poteſt res aliqua quidditativè cognoſci, niſi prædicata quidditativa, & eſſentialia ipſius quidditativè attingantur. Cognitio namque quidditativa eſt cognitio clara, & diſtincta: & non poteſt eſſe diſtincta, niſi prædicata conſtitutiva rei quidditativè cognoſcat: ergo, ſi ens materiale conſtat eſſentialiter ex ratione entis, & ratione materialis, non poterit quidditativè cognoſci, niſi ratio entis quidditativè attingatur.

Secundò prob. min. Quia animal eſt prædicatum eſſentiale hominis, non poteſt homo quidditativè cognoſci, quin etiam animal quidditativè attingatur: ergo non poteſt res aliqua cognoſci quidditativè, quin etiam prædicata conſtitutiva illius quidditativè attingantur.

Reſpondetur, neg. mai. ad probationem neg. antec. & ad probationem, diſting. minor. Quidditativè attingatur exercitè, & in concreto: conced. min. In ſua communitate: neg. min. & ſub eadem diſtinctione neg. conſeq. Ut enim aliqua res quidditativè cognoſcatur, neceſſarium non eſt, quod prædicata eſſentialia, & conſtitutiva ipſius quidditativè cognoſcantur in ſua communitate, & amplitudine; ſed ſatis eſt, quod inconcreto, vel ut contracta cognoſcantur quidditativè: quo modo, quando ens materiale quidditativè cognoſcitur, etiam ratio entis cognoſcitur quidditativè, ut contracta videlicèt, & determinata per materiam contrahentem. Per quod patet ad ſecundam probationem minoris principalis. Cujus etiam plures habemus inſtantias.

Prima inſtantia reperitur in Angelo, qui propriam ſubſtantiam cognoſcit quidditativè per primam operationem; & tamen rationem entis in communi non cognoſcit quidditativè in ſua communitate: nam omnis cognitio Angeli circa naturalia inferiora, vel æqualia, comprehenſiva eſt, & ad rem in ſingulari terminatur.

Et

Et etiam anima ſeparata, per primam operationem ſe ipſam attingit quidditativè: & non attingit ens in ſua communitate, alias cognitio ſui ipſius non eſſet prima cognitio.

Secunda inſtantia invenitur in communi Dialecticorum doctrina aſſerente: primam cognitionem quidditativam Dialectici, eſſe circa terminum: & tamen non ſupponitur quidditativè cognita antecedentèr ſecunda intentio in communi, quæ pertinet ad Metaphyſicam. Et in ſententia contrariorum ipſum ens in communi quidditativè cognoſcitur; & tamen ens ſpirituale, quod eſt de eſſentia entis pro implicito, non attingitur quidditativè.

Sed inſtabis 1. Implicat aliquid ſcientificè cognoſci, niſi etiam quidditativè attingatur; ſed ens in ſua communitate ſcientificè cognoſcimus: Siquidem paſſiones illius verè in Metaphyſica demonſtramus: ergo ens ut ſic quidditativè cognoſcimus. Prob. maior. Ante aſſenſum ſcientificum debet de obiecto ſcibili præcognoſci, *an ſit, & quid ſit*. Nam *quod quid* eſt ſubiecti eſt unum ex præcognitis ad ipſam demonſtrationem; ut Ariſtoteles docet; ſed cognoſcere de obiecto quid ſit, eſt ipſum quidditativè cognoſcere: ergo implicat aliquid ſcientificè cognoſci, niſi etiam quidditativè attingatur. Quibus addimus demonſtrationem fieri per diffinitionem ſubiecti; diffinitio autem, & quidditas idem ſunt: & conſequentèr non poterit aliquid ſcientificè cognoſci, niſi etiam quidditativè cognoſcatur.

Secundò inſtabis. Conceptus formalis repræſentans ens in communi, ut imperfectè præciſſum ab inferioribus ſuis, repræſentat ipſum quidditativè; & non admodum alterius: ergo ens in communi quidditativè cognoſcitur.

Tertiò inſtabis. Ita nominamus, ſicut concipimus; ut aſſerit D. Sanctus 1. *p. q.* 13. *artic.* 9. ſed nominamus ens per nomen abſolutum, & quidditativum ipſius: ergo ipſum quidditativè cognoſcimus.

Quartò inſtabis. Ens eſt repræſentabile per ſpeciem propriam: ergo poteſt quidditativè cognoſci. Probatur antec. Species, qua ens per cognitionem metaphyſicæ attingitur, eſt propria entis: ergò ens eſt repræſentabile per ſpeciem propriam. Probatur antec. Species, qua Metaphyſica utitur, repræſen-

ſentat ens ſecundum expreſſum entis, & nullo modo materiam: ergo ſpecies illa eſt propria entis. Probat. ant. Eo modo ſpecies repræſentat ens, quo Metaphyſica ipſum attingit; ſed Metaphyſica attingit ens ſecundum expreſſum entis; non verò attingit materiam, quia Metaphyſica abſtrahit ab omni materia: ergo ſpecies, quâ Metaphyſica utitur, repræſentat ens ſecundum expreſſum entis, & nullo modo materiam.

Reſpondetur tamen ad primam inſtantiam. Negando maiorem. Et ad eius probationem diſtinguo mai. *An ſit, & quid ſit*, per propriam vel alienam ſpeciem: conc. mai. Per propriam ſemper: neg. mai. Et diſtinguo min. *Quid ſit*, per propriam ſpeciem: concedo min. Per alienam: neg. min. & conſeq. Licèt namque, ut obiectum ſcientificè cognoſcatur, debeat cognoſci de illo quid ſit, vel quidditas, & ipſius diffinitio; non tamen requiritur quidditatem per propriam ſpeciem cognoſci, vel aliam rei ſuperioris, quod eſt neceſſarium, ut obiectum quidditativè attingatur; ſed ſatis eſt quidditatem cognoſci per ſpeciem alienam. Quia hoc ſufficit, ut intellectus de tali obiecto proprietates demonſtret. Doctrina eſt D. Th. 1. *p. q.* 88. *art.* 2. Inſtantia clara invenitur in Deo, & Angelis, & in anima ſeparata: quorum in hac via veram ſcientiam habemus. Et tamen nullum illorum per propriam ſpeciem, & quidditativè cognoſcimus.

Ad ſecundam inſt. Reſpondemus. Conceptum formalem entis non repræſentare ens quidditativè, ſed ſolùm connotativè, & admodum rei materialis.

Dices, quod ens in communi eſt diffinibile, & de facto diffinitur: ergo quidditativè cognoſcitur.

Reſpondetur diſtinguendo conſeq. Quidditativè ex parte rei cognitæ: conc. conſeq. Ex parte modi: neg. conſeq. Ut enim res diffiniri poſsit, neceſſum non eſt cognoſcere illam quidditativè, & per propriam ſpeciem: ſed ſatis eſt quidditatem illius, quamvis per alienam ſpeciem attingere, ſicut conſtat in Angelis, & Anima ſeparata.

Ad tertiam inſtantiam, neg. min. Ad quid enim tale nomen ſi non poſſumus ipſum ens cognoſcere quidditativè? Undè nomen ens ſolùm ſignificat quidditatem entis ex parte rei, non tamen ex parte modi ſignificandi. Sicut namque ipſum connotativè con-

cipi-

cipimus, ita ipſum connotativè nominamus. Et ita univerſaliter verum eſt, quod ſicut concipimus, ita nominamus. Et entis, Dei, & Angelorum, ſicut nec ſpecies, ita nomina quidditativa non habemus.

Ad quartam reſpondetur, negando duo antecedentia prima, & ad probationem, diſt. ant. Secundum expreſſum entis ex parte rei repræſentatæ: concedo ant. Ex parte modi repræſentandi: nego ant. & conſeq. Species namque, qua Metaphyſica utitur, eſt abſtracta à phantaſmatibus, & ideò non repræſentat ens, niſi admodum rei materialis: quamvis ex parte rei repræſentet expreſſum entis: & quando dicitur, Metaphyſicam abſtrahere ab omni materia, de rebus ex parte rei cognitæ intelligendum eſt, non tamen ex parte modi attingendi, propter ſpeciem ipſam, qua utitur, quæ quidem ſolum eſt propria rerum terminativè, non tamen motivè, ſed potiùs ab ente materiali producitur, & ab eodem Metaphyſica movetur. Sicut etiam per Theologiam non attingimus Deum niſi modo materiali motive. Et tamen Theologia abſtrahit ab omni materia. Et idem de Logica dicendum.

Quod alijs terminis poterat dici Metaphyſicam videlicèt attingere ens ſecundum expreſſum entis in recto; non tamen in obliquo. Quia licèt ens attingat ſecundum conceptum entis; ipſum tamen attingit admodum rei materialis. Eo quod ſpecies entis ab ente materiali producitur, & ita repræſentat cum connotatione ad ipſum quidquid ipſa repræſentat.

Tertiò arguitur. Obiectum ſpecificativum intellectus neceſſario debet attingi per primum actum illius. Sed ens ut ſic eſt obiectum ſpecificativum intellectus: ergo debet primo attingi.

Reſpondent aliqui. Obiectum ſpecificativum intellectus pro hoc ſtatu non eſſe ens ut ſic, ſed ſolum ens materiale. Et ideò ſolum hoc debet eſſe primum cognitum.

Hęc tamen ſolutio falſiſſima eſt. Nam ſi obiectum ſpecificativum intellectus pro hoc ſtatu non eſſet ens ut ſic, ſed ſolum ens materiale, intellectus pro hoc ſtatu eſſet potentia eſſentialiter diſtincta ab intellectu ſecundum ſe, cujus ſpecificativum eſt ens, ut ſic: eo quod per ſpecificativa formaliter diſtincta, potentiæ etiam diſtinguuntur formaliter; ſed talis diverſitas eſſentialis in intellectu non eſt admittenda: ergo ſolu-

ſolutio admittenda non eſt. Et ideò alitèr.

Reſpondetur. Diſt. mai. Debet attingi, *ut quo*: concedo mai. *ut quod*: nego maior, & conceſſa min. nego conſeq. Quia obiectum ſpecificativum potentiæ debet attingi, *ut quo*, & ut ratio formalis attingendi per actum primum illius; non tamen eſt neceſſarium, quod attingatur, *ut quod*. Inſtantia eſt in potentia viſiva, cujus obiectum eſt coloratum in communi, vel communiter, quod in omni colorato reperitur. Et tamen coloratum, prout ſic, non attingitur per primũ actum potentiæ prædictæ.

Sed inſtabis. Obiectum ſpecificativum intellectus, eſt proportionatum cum intellectu proportione accidentali: ergo per primum actum debet attingi, *ut quod*. Probatur antec. Eſt magis confuſum inter omnia prædicata, quia eſt univerſalius: ergo eſt proportionatum proportione accidentali, & magis proportionatum inter omnia. Probatur conſeq. Cum intellectu procedente de potentia ad actum, prædicatum magis confuſum eſt proportionatum proportione accidentali, & maiori proportione, quam alia prædicata: ergo ſi obiectum ſpecificativum intellectus eſt magis confuſum, erit proportionatum proportione accidentali, & magis proportionatum inter omnia. Probatur antec. Cum materia procedente de potentia ad actum, gradus magis confuſus eſt etiam proportionatus proportione accidentali, & magis proportionatus; & ideò materia priùs recipit gradum corporis, quam viventis: ergo idem de prædicato magis confuſo in ordine ad intellectum dicendum eſt.

Reſpondetur negando ultimam conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt. Quia materia ratione ſui recipit gradus provenientes à forma: & cum ratione ſui, & in ſe ipſa ſit pura potentia maiorem proportionem habet cum gradu, qui eſt magis potentialis, qualis eſt gradus magis confuſus; & ideò ante alios iſtum recipere debet: intellectus verò proportionatur cum obiecto media ſpecie. Et ideò quod per ſpeciem non repræſentatur primo, non eſt proportionatum cum intellectu in prima cognitione proportione accidentali, nec magis proportionatum: & tale eſt prædicatum confuſiſſimum entis. Nam ſpecies à phantaſmatè abſtracta ſolum poteſt per ſe primò repræſenta-

ſentare entia materialia ; non tamen ens ſecundum rationem entis. Inſtantia eſt in ſententia plurium contrariorum aſſerentium : objectum magis proportionatum, & primum cognitum eſſe ſolum ens commune ad omnia entia realia ; non vero ens commune ad ens reale, & rationis ; quamvis univerſaliſsimum ſit : eo quod tale ens non ſpecificat intellectum: ergò proportio accidentalis, & major proportio ex majori univerſalitate deſumenda non eſt.

Quarto arguitur. Ex immerſione intellectus in materia non infertur primum cognitum non eſſe ens ad materiale, & ſpirituale commune : ergò tale ens poteſt eſſe primum cognitum. Prob. antec. Voluntas noſtra eſt immerſa in materia ; & tamen primum volitum voluntatis eſt bonum, ut ſic, ad materiale, & ſpirituale commune: ergò ex immerſione intellectus in materia non infertur primum cognitum non eſſe ens ad materiale, & ſpirituale commune.

Reſp. neg. antec. & ad probationem diſt. maj. Immerſa in materia in eſſe entis: conced. maj. In ratione principij volitionis : neg. maj. & conceſſa min. neg. conſeq. Intellectus namque eſt immerſus in materia formaliter in ratione principij intellectivi ; eo quod in ratione talis conſtituitur per ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus, quæ quidem in eſſe repræſentativo adæquatè materialis eſt. Voluntas verò, licèt cognitionem & ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus præſupponat ; non tamen per talem ſpeciem conſtituitur in ratione principij ; quia voluntas non eſt potentia apprehenſiva, quæ trahit res ad ſe : & ita in ratione principij præſupponit ſpecies ; per illas tamen non conſtituitur.

Et aliter, & aliter eſſe immerſum intellectum in materia, & potentiam voluntatis debent adverſarij concedere. Siquidem intellectus Deum, & alia ſpiritualia cognoſcit per fidem admodum rei materialis, & cum connotatione ad phantaſmata: voluntas verò per charitatem amat prædicta objecta ſine tali connotatione, & tendit in Deum prout in ſe ipſo eſt.

Sed inſtabis. Si ex immerſione provenit primum cognitum intellectus non eſſe ens ad materiale, & ſpirituale commune, etiam primum volitum voluntatis non erit bonum commune

ad materiale, & ſpirituale; ſed hoc negamus: ergò ex immerſione intellectus non poterit provenire objectum primo cognitum ab illo non eſſe ens ad materiale, & ſpirituale commune. Minor cum conſequentia tenet. Et maj. ſimiliter conſtat. Quia voluntas nihil poteſt amare, niſi quod intellectus proponit, & cognovit juxta commune proverbium: *Nihil volitum quin præcognitum*: ergò ſi ex immerſione intellectus infertur benè primum cognitum ab intellectu non eſſe ens in communi: inferetur etiam primum voluntatis volitum non eſſe bonum ad materiale, & ſpirituale commune.

Reſpondetur facile. Voluntatem amare non poſſe, niſi quod fuerit ab intellectu cognitum: cæterum prima operatio voluntaris non ſequitur ad primam operationem intellectus, ſed ad ſecundam, vel tertiam. Nam operatio voluntatis ſequitur ad operationem practicam Intellectus, quæ quidem operatio non eſt prima in intellectu. Quapropter, ex quo voluntas per primam operationem attingat bonum in communi, non infertur, quod ipſum primo cognoverit intellectus; ſed quod cognoverit ipſum. Quod in re ita eſt. Nam licèt intellectus primo cognoſcat ens materiale, poſtea tamen admodum rei materialis intelligit ens, & bonum in communi, & ipſum voluntati proponit.

Quinto poterat argui. Primum cognitum in cognitione complexa eſt principium univerſaliſſimum, videlicèt *quodlibet eſt, vel non eſt*: ergò primum cognitum per ſimplicem cognitionem erit gradus communiſſimus entis. Quia cognitio complexa ſequitur ordinem ſimplicis cognitionis: & ſecunda operatio, quæ eſt compoſitiva, immitatur ordinem primæ operationis, quæ eſt apprehenſiva ſimplicium.

Reſpondetur diſt. ant. Univerſaliſſimum inter proportionata: conced. antec. Univerſaliſſimum abſolutè; neg. antec. & conſeq. Prima namque cognitio complexa non attingit principium illud *quolibet eſt, vel non eſt*, in ſumma univerſalitate, quatenùs componitur ex ente, & illius negatione; ſed ſolum attingit illud principium ſecundum expreſsiones entis materialis, & ſecundum quod componitur ex ente materiali, & illius negatione: eo quod ſolum ens materia-

tetiale repræſentatur per ſe primo per ſpeciem intellectus. Inſtantia eſt in eodem principio, *quodlibet eſt, vel non eſt*, quod univerſaliſſimum eſt, quatenùs componitur ex ente abſtrahente à reali, & rationis; & tamen prout ſic, non eſt primum cognitum in cognitione complexa in ſententia aliquorum ex contrarijs.

Sexto poterat argui. Intellectus ad attingendum objectum accidentaliter non proportionatum indiget elevatione; & ideo Deus clarè viſus non poteſt attingi ab intellectu non elevato; quia Deus clarè viſus non eſt objectum proportionatum; ſed intellectus ad attingendum ens ut ſic elevatione non indiget: nec ullius talem elevationem neceſſariam eſſe concedit: ergò ens ut ſic objectum proportionatum eſt reſpectu intellectus.

Reſpondetur etiam facile. Intellectum ad attingendum ens, ut ſic, non indigere formaliter elevatione ſubjectiva conferente virtutem: quia ens, ut ſic, formaliter ſupernaturale non eſt; ſed ſolum dicit conceptum entis ad naturale, & ſupernaturale communem; indigere tamen intellectum elevatione objectiva ad cognoſcendum ens, ut ſic: quod quidem non eſt improportionatum defectu virtutis intellectivæ; ſed ſolum defectu ſpeciei repræſentativæ illius, qua indiget ut ab intellectu cognoſcatur; eo quod ſpecies, quæ de facto reperitur, eſt abſtracta à phantaſmatibus: & conſequenter ſolum entia materialia formaliter repræſentat, & alia ſolum ad modum rei materialis. Inſtantia eſt in anima rationali, quæ proportionata non eſt cum intellectu noſtro proportione accidentali: & tamen licèt intellectus ad illam cognoſcendam indigeat ſpecie ſuperaddita, defectum cujus proportionata non eſt; non tamen indiget ſupperaddita virtute: & ita in ſtatu ſeparationis, ubi intellectus utitur ſpeciebus non abſtractis à phantaſmatibus, ſine virtute ſupperadita animam rationalem quidditativè cognoſcit.

§. IV.

Argumentis ſecundæ ſententiæ occurritur.

IN favorem ſecundæ ſententiæ arguitur fundamento, quo utuntur illius Patroni. Eos connotans materialitatem eſt magis proportionatum: ergò primum cognitum eſt. Prob. ant. Ens

connotans materiam convenit cum intellectu noſtro in modo eſſendi: & aliundè eſt magis confuſſum, quam ens materiale: ergò eſt magis proportionatum. Prob. maj. Intellectus noſter non eſt intrinſicè materialis; ſed ſolum connotat materiam tanquam ſubjectum immediatè receptivum animæ, & mediatè intellectus, & tanquam terminum à quo abſtrahuntur ſpecies intelligibiles: ergò ens connotans materiam convenit cum intellectu noſtro in modo eſſendi.

Hoc argumentum, ſi convinceret, probaret primum cognitum eſſe ens ſpirituale entitativè connotando materiam; quia intellectus noſter entitativè ſpiritualis eſt: probaret etiam accidens ſpirituale, ut ſic, eſſe primum cognitum; quia magis convenit cum intellectu in modo eſſendi. Nam intellectus etiam eſt accidens. Et probaret ens explicitè materiale non eſſe objectum proportionatum: quia intellectus entitativè non eſt materialis formaliter.

Reſpondetur tamen, quod licèt intellectus noſter non ſit intrinſicè materialis in eſſe entis; eſt tamen intrinſicè materialis in ratione principij operativi, & prout ſic etiam maiorem proportionem habet cum ente materiali.

Dices: quod operari ſequitur ad eſſe: ergò ſi intellectus eſt immaterialis in eſſe entis, erit etiam immaterialis in eſſe principij operativi.

Reſpondetur tamen. Quod operari ſequitur ad eſſe formæ, & non ad partem materialitèr ſumptam: cumque intellectus conſtituatur tanquam per formam per ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus, quæ in eſſe repræſentativo materialis eſt; inde fit, quod intellectus in eſſe operativo eſt formalitèr materialis, & cum ente materiali proportionem majorem habet.

Sed inſtabis. Species, qua intellectus conſtituitur, non eſt materialis in eſſe repræſentativo: ergò intellectus in eſſe operativo materialis non eſt. Probatur antec. Repræſentatio ſpeciei debet proportionari cum intellectu, in quo recipitur, quia unumquodque recipitur ad modum recipientis; ſed intellectus, quamvis in re ſit conjunctus cum materia; intrinſicè tamen materialis non eſt: ergò ſpecies in eſſe repræſentativo materialis non erit.

Reſ-

Reſpondetur tamen neg. antec. ad probationem, diſt. maj. Proportionari cum intellectu tantum: neg. maj. Cum intellectu, & phantaſmatibus ſimul: conced. maj. & diſt. min. Intellectus ſolus: conced. min. Simul cum phantaſmatibus: neg. min. & conſeq. Illa namque ſpecies recipitur in intellectu; producitur tamen ſecundum determinationem phantaſmatum, & cum ipſis proportionari debet: cumque phantaſmata materialia; etiam ſpecies in eſſe repræſentativo debet eſſe materialis.

Angelicus Doct. *q.* 10. *de Veritat. art.* 6. ita ad ſimile argumentum reſpondet ad 7: per hæc verba: *In receptione, quæ intellectus poſsibilis ſpecies rerum accipit à phantaſmatibus, phantaſmata ſe habet, ut agens inſtrumentale: intellectus verò ut agens principale, & primum. Et ideò actionis effectus relinquitur in intellectu poſsibili ſecundum conditionem utriuſque, & non ſecundum conditionem alterius tantum. Et ideò intellectus poſſibilis recipit formas ut intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, ſed ut ſimilitudines determinatarum rerum ex cognitione phantaſmatum.* In quibus clariſsimè docet D. Th. ſpeciem in eſſe repræſentativo debere proportionari cum phantaſmatibus, & repreſentare naturam materialem in communi, quam phantaſma in ſingulari repræſentat.

Sed inſtabis: Species non debet proportionari cum phantaſmatibus: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Species in eſſe repræſentativo poteſt eſſe ſpiritualis, quamvis phantaſmata in eſſe repræſentativo materialia ſint: ergò non debet proportionari cum illis. Prob. antec. 1. Species in eſſe entis ſpiritualis; & phantaſma materialia ſunt: ergò poterit eſſe ſpiritualis in eſſe repræſentativo, quamvis phantaſmata in repræſentando materialia ſint.

Secundo prob. ant. Phantaſmata in repræſentando ſingularia ſunt; & tamen ſpecies in repræſentando eſt univerſalis: ergò poterit eſſe ſpiritualis in repræſentando, quamvis phantaſmata in repræſentando materialia ſint.

Reſpondetur negando duo antecedentia prima. Et ad primam probationem negatur conſeq. Quia entitas ſpeciei provenit ab intellectu agente, ut à cauſa principali: & cum intellectus agens, ſit ſpiritualis in eſſe entis: etiam ſpecies in eſſe entis debet eſſe ſpiritualis. Repræſenta-

tio verò non provenit ab intellectu ſolum, ſed ab illo ex determinatione phantaſmatum: cumque phantaſmata in repræſentando materialia ſint, etiam ſpecies hoc debet habere.

Reſpondetur ſecundò præbendo aliam diſparitatem conſiſtentem in eo, quod phantaſma eſt cauſa principalis repræſentationis ſpeciei, cuius ſignum eſt, quod ſpecies in repræſentando aſſimilatur phantaſmati: Undè ſi phantaſmata in repræſentando materialia ſunt, talis etiam erit ſpecies: cæterum phantaſma non eſt cauſa principalis entitatis ſpeciei, ſed ſolus intellectus, in quo etiam recipitur. Et ita in eſſe entis debet eſſe ſpiritualis, & aſſimilari cum intellectu, à quo producitur, & in quo etiam recipitur: & debet habere eſſe, juxta modum recipientis.

Addimus: Paritatem de genere entis ad genus repræſentativum rectam non eſſe. Quia ſpecies in eſſe entis eſt accidens, & ens reale, & in eſſe repræſentativo poteſt eſſe ſubſtantia, & ens rationis. Species inſuper in eſſe repræſentativo non eſt ſpiritualis intrinſicè; ſiquidem rem ſpiritualem per ſe primo non repræſentat; & tamen in eſſe entis intrinſicè ſpiritualis eſt: habet ergò ſpecies in eſſe repræſentativo majorem convenientiam cum phantaſmate, quam in eſſe entis.

Ad ſecundam probationem antecedentis principalis neg. conſeq. Et ratio diſparitatis eſt. Quia ſpecies debet proportionari cum phantaſmate modo poſsibili: impoſſibile autem eſt proportionari cum illo in repræſentando primo, & per ſe ſingulare; eo quod ſingulare non eſt intelligibile in actu, ſed potius intellectus abſtrahit naturam à ſingularitate, & alijs conditionibus individuantibus, ut intelligat: non tamen abſtrahit à materia communi; quia ſpecies abſtracta à phantaſmatibus repræſentat naturam materialem, quam phantaſma in ſingulari repræſentat: & ita quantum ad hoc poſſunt proportionem habere.

§. VII.

Difficile argumentum ſolvitur.

TAndem arguitur, in favorem eiuſdem ſententiæ; quidquid ſpecies à phantaſmatibus abſtracta repræſentat, eſt objectum cum intellectu proportionatum. Sed ſpecies repræſentat gra-

gradum entis, ut connotantis materiam: ergò ens connotans materialitatem eſt objectum proportionatum. Probat. min. Illum gradum repræſentat ſpecies, cuius ſingulare phantaſma repræſentat. Sed phantaſma repræſentat ſingulare entis: ergò ſpecies abſtracta gradum entis repræſentat. Probatur min. Phantaſma non ſolum repræſentat hoc ens materiale; ſed etiam repræſentat hoc ens. Quia hoc ens includitur in hoc ente materiali, & de illo prædicatur: ergò phantaſma etiam ſingulare entis repræſentat.

Reſp. neg. 1. & 2. min. & ad prob. diſt. ant. Hoc ens identice, & materialiter: conc. antec. Formaliter: neg. antec. & conſequent. Quia phantaſma eſt adæquatè materiale. Et ita repræſentare non poteſt niſi objectum, ut materiale formaliter: cumque ſingulare entis non ſit formaliter materiale. Aliàs non eſſet ſingulare entis; ſed eſſet ſingulare entis materialis formaliter. Inde eſt non poſſe ſingulare entis repræſentari formaliter in phantaſmatè, ſed ſolùm materialitèr, & identicè: quatenùs ſingulare entis in objecto phantaſmatis, in eſſe rei, & identicè continetur.

Sed inſtabis. Ut poſsit à phantaſmatibus abſtrahi ſpecies repræſentativa entis, neceſſarium non eſt, quod ens in phantaſmatè repræſentetur formaliter: ergò quamvis ſingulare entis formaliter, & explicitè in phantaſmatè non ſit, poterit abſtrahi ſpecies repræſentativa entis. Prob. ant. 1. Singulare ſubſtantiæ non repræſentatur formaliter in phantaſmatè: quia phantaſma eſt adæquatè materiale, & ſenſibile, & ita ſolùm poteſt repræſentare formaliter ſingulare ſenſibile accidentis, non tamen ſingulare ſubſtantiæ. Eo quod ſubſtantia ratione ſui non eſt ſenſibilis. Et tamen à phantaſmatibus abſtrahitur ſpecies repræſentativa ſubſtantiæ; ergò poterit etiam abſtrahi ſpecies repræſentativa entis, quamvis ſingulare entis non repræſentetur in phantaſmatè formaliter.

2. Prob. antec. Per ſpeciem ſenſus Ovis non repræſentatur inimicitia lupi. Et tamen per ſpeciem æſtimativæ, quæ potentia ſuperior eſt, repræſentatur inimicitia prædicta: ergò, ut poſsit à phantaſmatibus abſtrahi ſpecies repræſentativa entis, neceſſarium non eſt, quod ſingulare entis repræſentetur in phantaſmatè formaliter.

Illuſtriſ. Herrera in manuſcripto brevi ad artic. iſtum reſp. ſingulare ſubſtantiæ explicitè in phantaſmatè re præſentari, & formaliter à phantaſia cognoſci. Quia licèt phantaſia ratione ſui non poſsit formaliter, & explicitè cognoſcere ſingulare ſubſtantiæ, poteſt tamen phantaſia, ut ſubordinata intellectui, ad talem cognitionem pertingere.

Hæc tamen ſolutio argumentum inſolutum relinquit. Quia ſi phantaſia, ut ſubordinata intellectui, poteſt cognoſcere formaliter ſingulare ſubſtantiæ, cum eadem ſubordinatione poterit formaliter cognoſcere ſingulare entis. Conſequenterque aſsignata diſparitas nulla erit.

Inſuper etiam ſolutio vera non eſt. Quia phantaſia, etiam ut ſubordinata intellectui, non poteſt formaliter attingere quod non continetur intra eius objectum ſpecificativum, ut latè probamus in 2. Logicæ lib. Sed objectum ſpecificativum phantaſiæ eſt materiale ſenſibile: ergò phantaſia, etiam ut ſubordinata intellectui, non poteſt cognoſcere formaliter niſi ſenſibile ſingulare, quod non habet ſingulare ſubſtantiæ formaliter. Et ideò aliter.

Reſp. diſt. antec. Ens, vel virtus illius: neg. antec. Ens præciſſe: conced. antec. Et ad primam prob. diſting. mai. Singulare ſubſtantiæ in ſe: conc. mai. In ſui virtute: nego mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Licèt namque ſingulare ſubſtantiæ explicitè, & formaliter non repræſentetur in phantaſmate, repræſentatur tamen formaliter in phantaſmate accidens ſenſibile, quod quidem eſt virtus ſubſtantiæ, & entis materialis, non verò entis. Quia accidentia ſenſibilia non ſunt virtutes entis, ſecundum quod ens. Alia eſſent virtutes cuiuſcumque entis; ſed tantum ſunt virtutes ſubſtantiæ, & entis materialis. Et ideò ſicut accidens in virtute ſubſtantiæ poteſt producere ſubſtantiam, ita accidens ſenſibile quod eſt virtus ſubſtantiæ, & entis materialis ſpeciem repræſentativam utriuſque producere poteſt.

Ad 2. prob. ant. Neg. mai. quamvis namque ſenſus Ovis propter ſui materialitatem non percipiat inimicitiam lupi; revera tamen inimicitia illa repræſentatur per ſpeciem ſenſus exterioris, ſaltim virtualiter in accidentibus ſenſibilibus lupi, in quibus talis inimicitia continetur. Et ideò æſtimativa, quæ

quæ perfectior eſt, talem inimicitiam cognoſcit.

Addimus tamen æſtimativam poſſe formare tertiam ſpeciem repræſentantem inimicitiam lupi. Quia non cognoſcit inimicitiam illam ſtatim, & in prima cognitione; ſed in ſecunda, vel tertia. Ex quo ſolùm ſequitur, quod ens poſſit cognoſci in ſecunda, vel in tertia cognitione, media ſpecie ab intellectu formata repræſentante ens ad modum rei materialis.

Sed inſtabis. Accidens in eſſe repræſentativo non eſt virtus ſubſtantiæ: ergò à ſingulari accidentis non poterit abſtrahi ſpecies repræſentativa ſubſtantiæ, vel poterit etiam abſtrahi ſpecies repræſentativa entis. Prob. antec. Accidens non repræſentatur ut virtus ſubſtantiæ: ergò non eſt virtus ſubſtantiæ in eſſe repræſentativo. Probatur anteced. Non repræſentatur ut ſimile ſubſtantiæ: ergò nec ut virtus illius. Conſequent. videtur bona. Et ant. probat. Potentia, cui repræſentatur unum, ut alteri ſimile, poteſt utrumque cognoſcere: cum ſimilitudo ſit quædam comparatio, & connexio, quæ non poteſt cognoſci, quin utrumque extremum attingatur; ſed phantaſia non poteſt ſubſtantiam cognoſcere: ergò in ſpecie illius non poteſt accidens, ut ſimile ſubſtantiæ, repræſentari.

Secundo urgebis. Quia in ſolutione data, videtur admitti, phantaſmata inſtrumentaliter concurrere ad ſpeciem intellectus, ſecundum eſſe repræſentativum; ſed hoc ipſo poſſunt producere ſpeciem, quæ in eſſe repræſentativo intrinſicè materialis non ſit: ergò poterunt producere ſpeciem repræſentantem gradum entis, ut connotantis materiam. Probatur min. Quia phantaſmata inſtrumentaliter concurrunt ad ſpeciem in eſſe entis, poſſunt producere ſpeciem, quæ in eſſe entis materialis non ſit: ergò propter ſimilem concurſum ad ſpeciem ſecundum eſſe repræſentativum poterunt producere ſpeciem, quæ in repræſentando intrinſicè materialis non ſit.

Tertio replicabis. In phantaſmatè reperiuntur accidentia materialia, quæ ſunt virtutes rei ſpiritualis: ergò poterit ab illis abſtrahi ſpecies repræſentativa entis, quod formaliter materiale non ſit; ſed ſolùm materiam connotet. Probatur anteced. In phantaſmatè repræſentantur ſenſus externi, & potentiæ

tiæ materiales, quæ ſunt virtutes animæ rationalis, mediis quibus ipſa operatur: ergo verum eſt antecedens.

Reſp. tamen neg. antec. ad prob. diſt. ant. Ut virtus ſubſtantiæ ſignatè: conc. antec. Exercitè: nego ant. ad prob. diſt. ant. Ut ſimile ſignatè: conc. ant. Exercitè: nego ant. Et ad prob. ſub eadem diſtinctione neg. mai. Potentia namque, cui repræſentatur unum ut ſimile alteri exercitè, neceſſarium non eſt, quod utrumque formaliter attingat; ſed ſatis eſt, quod attingat exercitè extremum ſimilitudinis, qualiter phantaſia attingit ſubſtantiam. Eo quod attingit ipſum accidens in concreto, & in ſubſtantia. Et ideò exercitè attingit formaliter ipſam rationem virtutis in accidenti; quamvis non attingat ſignatè accidens, ſecundum rationem virtutis; ſed ſolum ſecundum rationem ſenſibilis. Sicut notitia attingens objectum ut præſens, quamvis non attingat ſignate præſentiam ut plures affirmant, ſemper tamen illam attingit exercitè.

Ad 2. replicam, admiſſa mai. ut conformi doctrinæ D. Th. neg. min. & ad prob. neg. cauſalem. Quia non ideò præciſſe illud contingit, ſed inſuper quia phantaſma ad ſpeciem in eſſe entis concurrit juxta diſpoſitionem, & capacitatem intellectus, in quo ſpecies accipitur. Cumque unum quodque recipiatur ad modum recipientis: & intellectus ſpiritualis ſit: indè ſit, quod ſpecies producta ſpiritualis debet eſſe. Ad ſpeciem verò in eſſe repræſentativo concurrit phantaſma ſecundum repræſentationem propriam determinando intellectum: & cum repræſentatio phantaſmatis materialis ſit: etiam ſpecies producta debet eſſe in repræſentando materialis.

2. Reſp. neg. mai. Quia nos non admittimus phantaſma inſtrumentaliter concurrere ad ſpeciem in eſſe repræſentativo, ſed potius ſatis probabiliter dicimus concurrere tanquam cauſam principalem. Sicut namque ſpecies in eſſe entis minus perfecta quàm objectum poteſt ipſum adæquare in eſſe repræſentativo, ſicut patet in ſpecie ſubſtantiam repræſentante: ita ſimiliter accidens, quod eſt virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ in eſſe entis, poteſt in eſſe repræſentativo eſſe virtus principalis, & ſpeciem ſubſtantiæ principaliter producere.

Ad 3. replicam, neg. antec. Quia ſenſus, & omnes potentiæ

tiæ materiales non dimanant ab Anima ut ſpiritualis eſt; ſed ſecundum gradum corporis formis corporeis communem. Et ideo non ſunt virtutes entis ſpiritualis formaliter.

Sed inſtabis. In phantaſmate reperitur virtus entis ſpiritualis formaliter, ut talis: ergò poterit ab illo abſtrahi ſpecies repreſentativa entis ſpiritualis, vel non materialis formaliter ut connotantis materiam. Prob. ant. Sententia probabilis eſt intellectum agentem illuminare phantaſmata communicando illis virtutem ſpiritualem intrinſecam, qua redduntur illuſtrata, ut poſſint producere ſpeciem: ergò in phantaſmate reperitur virtus entis ſpiritualis formaliter ut talis.

Reſpond. diſt. ant. Reperitur ſubjectivè: conc. ant. Objectivè: neg. ant. & conſeq. Quamvis namque in phantaſmate reperiatur ſubjectivè virtus ab intellectu agente producta; non tamen ibi eſt per modum objecti repræſentati: ſicut accidens ſenſibile, quod eſt virtus ſubſtantiæ, repreſentatur in phantaſmate, & hoc erat neceſſarium, ut à tali virtute poſſet abſtrahi ſpecies repræſentativa entis non materialis formaliter. Quia phantaſma ad abſtractionem ſpecierum intellectum determinat ſecundum repræſentationem, quam in ſe ipſo habet. Et replica iſta, ſi probaret, convinceret etiam poſſe abſtrahi à virtute prædicta ſpeciem propriam repræſentativam Angeli, & alterius rei ſpiritualis; licèt connotando materiam.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu, infertur primo, quod licèt intellectus noſter ſemper intelligat per ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus, quæ primò, & per ſe repræſentat ens materiale; hoc tamen non obſtante, in cognitionibus quæ ſequuntur ad primam, poteſt attingere res ſpirituales admodum rei materialis, per cognitionem, quæ non abſoluta, ſed connotativa eſt.

Secundo infertur, quod ens connotans materiam, quamvis conveniat cum intellectu noſtro in eodem gradu generico immaterialitatis, non poteſt ab illo quidditativè cognoſci. Quia ad cognitionem quidditativam requiritur ultra con-

venientia in modo eſſendi.

Sed inſtabis. Ideò Angelus inferior poteſt Angelum ſuperiorem quidditativè cognoſcere, imò, & attingere comprehenſivè, in probabili ſententia, quia convenit cum illo in gradu generico immaterialitatis; ergò idem in noſtro caſu dicendum.

Reſp.neg.cauſalem ant. ut adæquatam, ſed ultra cauſam aſsignatam requiritur convenientia in modo eſſendi, quàm habent omnes Angeli univocè convenientes in abſtractione à materia phyſica, & quorum intellectus per ſpeciem ſpiritualem formaliter conſtituitur in ratione principij ad propriam intellectionem.

Tertio colligitur ex dictis, materiam communem non eſſe rationem formalem proportionandi objectum, niſi ſecundum modùm aliquem immaterialitatis, quem importat; quatenùs videlicèt abſtrahit à materia ſingulari.

Dices, ex hoc ſequi, prædicatum magis univerſale magis etiam eſſe proportionatum. Quia magis abſtrahit à materia ſingulari.

Sed facile Reſp. Rationem formalem proportionandi eſſe abſtractionem à materia ſingulari ſecundum propriam rationem, in qua omnia ſic abſtrahentia conveniunt; maiorem autem, vel minorem abſtractionem de materiali tantum ſe habere. Sicut ratio formalis proportionandi Angelos ſuperiores cum intellectu inferioris ad cognitionem quidditativam, eſt abſtractio ab omni materia phyſica, intra quam major, vel minor elongatio à materia de materiali ſe habet, & hæc de articulo iſto ad Philoſophum, ubi articulus præcedens applicanda,

QUES:

QUÆSTIO SECUNDA.

De Objecto, & unitate Phyloſopiæ.

NATURALIS Phyloſophia, diffuſsione variegata, & varietate diffuſſa, mira pulchritudine lata, latitudine mirabili pulchra, ſinum vaſtiſsimum periculoſa intrat, quando rerum exercitum, quem natura formar, intrepida calcat. Quæ tamen, dum totum Orbem perambulare cernitur, quaſi lux emiſſa procul diffunditur. Cum omni generabili, & corruptibili, cum Cœlo, mundo, cum plantis, & animalibus ofiicioſa laborat: & omnia candida luſtrat. Quorum Doctrina, ſenſum demum licèt, Animam paſcit. Quia tamen tàm diverſis objectis delectata conſpicitur, merito quæritur. Quodnam ex illis primarium ſit? Et an ſcientia quæ fertur ad tanta, perſeveret una? Ad quod dirigitur quæſtio iſta. Adjubet ergò nos Angelicus Doct. totius univerſi Magiſter, quem laudare nequit quiſque, quamvis illi linguæ centum ſint, oraque centum: quia Cœlo affinis, & famam terminat Aſtris. De cuius luce ſit.

ARTICULUS I.

Vtrùm ens mobile ſubſtantiale ſit objectum primarium quod adæquatum Phyloſophiæ?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur noſtra concluſio.

AD intelligentiam iſtius difficultatis, quæ levis non eſt, quædam ſuppononenda ſunt. Quorum primum eſt, nos in præſenti non diſputare de ratione formali, ſub *qua*, vel de objecto formali *quo*. Nam de hoc, articulo ſequenti dicemus; ſed ſolum de objecto formali *quod* inquirimus in præſenti.

Secundo notandum eſt, quod propriè, & in rigore loquendo, non eſt idem objectum ſcientiæ, atque ſubjectum illius. Quia ſcientia, ut diſtinguitur ab habitu principiorum, habet pro objecto veritates mediatas: habitus autem primorum principiorum pro objecto reſpicit immediatas veritates: ſubjectum vero ſcientiæ illud eſt, quod radicat paſſiones, & proprietates, quæ in ſcien-

ſcientia demonſtratur, & hoc ſubjectum, cujus proprietates ſcientia demonſtrat, cujuſque perfectam, cognitionem intendit, communiter Philoſophi objectum appellant, & quodnam tale objectum ſit? Articulus noſter inquirit.

• Tertio ſupponendum eſt, objectum Philoſophiæ eſſe ens mobile motu ſenſibili. Quapropter Deus, & Angeli non per ſe pertinent ad Philoſophiam, ſed tantum per accidens, & ſecundario: quatenus Deus eſt prima cauſa omnium motuum ſenſibilium: & Angeli movent Cœlum, cujus motus etiam ſenſibilis eſt.

• Quarto ſupponendum eſt, ſcientiam Philoſophiæ eſſe ſcientiam naturalem: & conſequenter objectum illius eſſe etiam ens mobile motu naturali. Unde motus violentus, & præter naturalis, & alij motus ſenſibiles tantum ſecundario attinguntur à Philoſophia: eo quod conducunt ut ipſa melius propriam objectum intelligat.

•• Tandem ſupponendum eſt, duplex dari ens mobile naturale: unum quidem ſubſtantiale, & accidentale aliud. Subſtantiale, illud eſt, quod componitur ex partibus ſubſtantialibus: ſicut homo componitur ex materia, & forma, quarum quælibet eſt ſubſtantia. Accidentale vero eſt illud, cujus aliqua pars accidentalis eſt; ſicut album, cujus forma eſt accidens, licèt habeat pro materia ſubſtantiam; & utrumque horum dividitur in ens mobile ſubjectivum, quod eſt proximè, vel remote receptivum motus, & ens mobile terminativum ad quod motus terminatur.

•• His igitur præſuppoſitis, difficultas eſt, an ſolum mobile ſubſtantiale, vel accidentale ſimul, ſit objectum primarium, quod adæquatum Philoſophiæ? Prima namque ſententia aſſerit utrumque mobile primario ad Philoſophiam pertinere. Hujus Princeps Cayetanus in opuſculo de objecto Phyſicæ. Quem etiam ſequuntur Ferrera, 1. *phyſicorum*, *q.* 2. Iavellus, Prado, RR. Mag. Sancto Thoma, & noſter SS. Lince: & plures in manuſcriptis. Secunda ſententia affirmat: ſolum ens mobile ſubſtantiale ad objectum primarium pertinere. Ita Magiſter Soto. Venerandi Patres Carmelitæ Complutenſes, Hortiz, Parra, Lerma, & noſtrum, ſemper Inſigne Collegium Complutenſe, quod pro milibus

po-

poterat computari. Cum quibus ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Solum ens mobile ſubſtantiale eſt objectum primarium Phyloſophia.

SEntentiam iſtam docet expreſſe D. Th. *libro de Cœlo ad cap. 1. textu 1. & 6. Metaphyſica, textu 1.* ubi quædam verba Phyloſophi exponit, per ea quæ ſequuntur: Dicit ergò, *quod ſcientia naturalis non eſt circa ens ſimpliciter; ſed circa quoddam genus entis, ſcilicèt circa ſubſtantiam naturalem, quæ habet in ſe principium motus, & quietis.* Quæ verba ponderatione non indigent.

Ratione verò prob. concluſio noſtra. Quia objectum Phyloſophiæ eſt ens naturale: ſed ſolum ens mobile ſubſtantiale eſt ens naturale: ergò ſolum hoc eſt objectum Philoſophiç. Maj. cum conſeq. tenet. Et prob. min. Ens naturale illud eſt, quod ex principijs naturalibus conſtat; ſed ſolum ens mobile ſubſtantiale ex principijs naturalibus conſtat: ergò ſolum mobile ſubſtantiale eſt ens naturale. Prob. min. Principia naturalia ſunt primum, & radicale principium motus, & quietis; ſed ſolum principia entis mobilis ſubſtantialis ſunt prima, & radicalia principia: ergo ſolum ens mobil ſubſtantiale ex principijs naturalibus conſtat. Prob. min. Principia entis mobilis accidentalis non ſunt prima, & radicalia: ergò ſolum principia entis mobilis ſubſtantialis ſunt prima, & radicalia principia. Prob. antec. Principia entis mobilis accidentalis ſupponunt alia priora; ſiquidem ſupponunt principia entis mobilis ſubſtantialis: ergò non ſunt prima, & radicalia principia. Quia principium ſupponens aliud priùs, nequit eſſe primum. Juxta regulam namque dialecticorum, hæc propoſitio, *hoc eſt primum principium*, ſic exponenda eſt, *hoc eſt principium, & non eſt aliud ante ipſum.* Sicut Adam eſt primus homo, exponitur per iſtam, Adam eſt homo, & non eſt alius ante ipſum. Et hæc, Deus eſt prima cauſa determinans, idem eſt ac dicere, Deus determinat, & nullus determinat ante Deum.

Reſpondent contrarij. Principia entis mobilis accidentalis ſupponere alia priora in eſſe entis; non tamen formaliter, & in ratione prin-

principij. Quia materia entis mobilis accidentalis, videlicèt totum ſubſtantiale in ratione totius compoſiti ex partibus ſubſtantialibus, ipſas quidem præſupponit; in ratione tamen ſubjecti receptivi formæ accidentalis primum principium eſt: eo quod non ſupponit aliud priùs, in quo forma accidentalis recipi poſsit. Et idem de forma accidentali diſcurrunt, quæ abſolutè formam ſubſtantialem ſupponit; in ratione tamen conſtituentis compoſitum accidentale non ſupponit alteram formam. Et ideò in hac linea primum principium eſt.

Hæc ſolutio turris Davidica eſt, ex qua contrariorum Clypei pendent; non tamen ita firma, ut exiſtimant adverſarij; quin potiùs ſupra arenam facile mobilem fabricata conſiſtit. Undè reijcitur primo. Quia principia mobilis accidentalis, etiam in ratione principij motus naturalis, ſupponunt principia ſubſtantialia: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. antec. Naturalitas, vel violentia motus non ſumitur per ordinem, & conformitatem ad accidens; ſed ſolum ad principia ſubſtantialia: ergò principia mobilis accidentalis, etiam in ratione principij motus naturalis ſupponunt ſubſtantialia principia. Ant. probatur primo. Ideò motus deorſum in lapide naturalis eſt: quia conformis eſt ſubſtantiæ lapidis, quæ in centro exigit conſervari. Et ideò motus ſurſum violentus eſt: quia eſt contra ſubſtantiam lapidis oppoſitum exigentem: ergò ant. verum eſt.

2. Prob. ant. Ideò intenſio caloris in igne naturalis eſt; non verò in aqua: quia eſt conformis ſubſtantiæ ignis, non verò aquæ, quæ paulatim per calorem ad propriam corruptionem diſponitur. Et ſimilitèr ſi Cœlum moveretur motu augmentationis, vel alterationis, talis motus non eſſet violentus: quia oppoſitus quantitati, vel qualitati Cœli: ſed quia ſubſtantiæ opponeretur. Quia quantitas ex ſe augmentabilis eſt uſque in infinitum: & quæcumque qualitas ex propria ratione ſemper intenſibilis eſt: ergò idem quod priùs.

2. Reijcitur data ſolutio. Nam intellectus eſt primum principium in linea accidentali reſpectu intellectionis, & voluntas reſpectu volitionis; & tamen quia ſupponunt aliud priùs in linea ſubſtantiali, non dicitur intellectus primum, & radicale principium

pium intellectionis, nec voluntas volitionis: ergo, ſi principia mobilis accidentalis ſupponunt alia priora, quamvis in linea accidentali prima ſint, non dicentur abſolutè prima, & radicalia principia.

3. impugnatur. Quamvis accidens ſit ſeparatum à ſubſtantia, ſicut contingit in Sacramento Euchariſtiæ, ſemper tamen eſt principium motus naturalis dependentèr à ſubſtantia: ergo in ratione principij ſemper ſupponit ſubſtantiam. Prob. ant. Motus deorſum in accidentibus Euchariſtiæ eſt naturalis: quia conformis ſubſtantiæ panis, vel vini: ergo accidens, etiam ſeparatum, eſt principium motus naturalis dependentèr à ſubſtantia.

4. impugnatur. Quia in definitione naturæ abſolutè, & ſine addito dicitur, quod ſit primum principium motus, & quietis: & conſequentèr ly *primum* de primo abſolutè intelligendum eſt; ſed principia mobilis accidentalis non ſunt abſolutè prima; ſiquidem ſupponunt principia ſubſtantialia: linea autem ſubſtantialis abſolutè dicitur prima: ergo principia mobilis accidentalis principia naturalia non ſunt.

5. impugnatur. Ut principia mobilis accidentalis non ſint prima, & radicalia ſatis eſt, quod in eodem genere cauſæ ſupponant alia priora; ſed ita de facto contingit: ergo prima, & radicalia non ſunt. Patet minor. Compoſitum ſubſtantiale in genere cauſæ materialis, & receptivæ ſupponit materiam primam, quæ eſt primum ſubiectum: & forma accidentalis in genere cauſæ formalis formam ſubſtantialem, quæ eſt prima cauſa formalis: ergo principia accidentalia ſupponunt alia in eodem genere cauſæ.

Reſpondebis forraſsè. Talia principia ſupponere alia in eodem genere cauſæ ſubalterno diviſibili per varios modos cauſandi; non tamen ſupponere alia in eodem genere cauſæ infimo. Et hoc erat neceſſarium, ut prima, & radicalia non eſſent.

Sed contra eſt. Quia Intellectus tantum ſupponit aliud principium intellectionis in eodem genere cauſæ ſubalterno. Eo quod ſupponit animam, quæ eſt principium radicale, non verò proximum ſicut intellectus eſt; & tamen intellectus non dicitur primum, & radicale principium intelligendi: ergo idem in præſenti dicendum.

Secundò reſpondent alij.

Quod, ut aliquid habeat rationem naturæ, ſufficit eſſe primum principium paſsivum motus: forma autem accidentalis licèt non ſit primum principium activum, eſt tamen primum paſsivum: quatenùs eſt ratio formalis, ut compoſitum ſubſtantiale recipiat motum intenſionis, & remiſsionis. Et ideò forma accidentalis eſt naturale principium.

Contra tamen eſt. Quia quamvis, ut aliquid ſit natura, ſufficiat eſſe primum principium paſsivum; non tamen forma accidentalis poteſt hoc habere: ergo ſolutio nititur principio falſo. Prob. antec. Ideò juxta ſolutionem iſtam forma accidentalis poteſt eſſe primum principium activum: quia ſupponit formam ſubſtantialem quæ in linea activa eſt primum principium; ſed etiam ſupponit materiam primam, quæ in linea paſsiva eſt primum principium: ergo forma accidentalis nequit eſſe primum principium paſsivum.

2. Impugnatur. Licèt forma accidentalis ſit ratio proxima recipiendi motum intenſionis, ratio tamen prima, & radicalis eſt ſola materia: ergo forma accidentalis, in linea paſsiva, prima non eſt. Prob. ant. Ratio prima, & radicalis recipiendi eſt prima potentia, à qua oritur omnis mutabilitas; ſed ſola materia eſt prima potentia: ergo ratio prima, & radicalis recipiendi eſt ſola materia.

Addimus: Quod ſi accidens eſſet primum principium paſsivum, Phyſica demonſtraret motum naturalem de ipſo accidenti ſecluſo reſpectu ad ſubſtantiam, & independenter ab illa. Et conſequenter non differret à Metaphyſica, quæ accidentia omnia, & illorum propria demonſtrat independenter à ſubſtantia formaliter.

Ultimo reſpond. reſpondent alij Quod naturalitas motus non ſolum à ſubjecto, ſed etiã à termino deſumenda eſt; & accidens ratione ſui, & independenter à ſubſtantia habet terminare motum: quantitas namque ratione ſui terminat augmentationem, & qualitas alterationem: & ita ad objectum primarium Phyſicæ pertinere debent.

Contra tamen eſt. Quia D. Tho. *q. 6. de potent. art. 8.* in corp. ait: quod actio propriè ſpeciem habet à termino, à principio autem propriè habet, quod ſit naturalis; motus namque naturalis dicitur à principio intrinſeco: ergo naturalitas motus non ſumitur à termino.

2. Im-

2. Impugnatur. Si naturalitas motus à termino ſumeretur, augmentatio hominis uſque ad Cœlum eſſet naturalis; ſiquidem eſſet conformis termino, videlicèt quantitati, quæ ex propria ratione uſque in infinitum ſincathegorematicè augmentabilis eſt. Et intenſio caloris in aqua eſſet naturalis, ſicut eſt in igne; quia terminus ſcilicèt calor idem terminat utrumque motum: ergò naturalitas motus à termino delumenda non eſt.

§. III.

Argumentis contrariorum reſpondetur.

CONTRA concluſionem noſtram, arguitur primo ex D. Thom. 1. & 3 Metaphyſicæ, lect. 6. & lib. 4. lect. 5. & in 6. lect. 1. aſſerente: quod, ſi non eſſet aliqua alia ſubſtantia præter eas, quæ conſiſtunt ſecundum naturam, de quibus eſt Phyſica, Phyſica eſſet prima ſcientia: & ſi non eſſent ſubſtantiæ ſpirituales, ſcientia naturalis eſſet Philoſophia prima; ſed ſi obiectum Philoſophiæ eſſet ens mobile ſubſtantiale, quamvis non darentur ſubſtantiæ ſpirituales, adhuc tamen Phyſica naturalis non eſſet Philoſophia prima: ergo obiectum Philoſophiæ non eſt tantum ens mobile ſubſtantiale. Prob. minor. Si obiectum Philoſophiæ eſſet ſolum ens mobile ſubſtantiale, quamvis non eſſent ſubſtantiæ ſpirituales, daretur alia ſcientia, quæ per ſe primo ageret de ente mobili abſtrahente à mobili ſubſtantiali, & accidentali: ergo adhuc Phyſica naturalis prima non eſſet.

Hoc tamen argumentum à contrarijs ſolvendum eſt. Quia ſi aliquid probaret, convinceret etiam Philoſophiam non fore primam ſcientiam, quamvis obiectum illius eſſet ens mobile prout abſtrahit à ſubſtantiali, & accidentali; eo quod adhuc poſſet dari altera ſcientia prior, quæ ageret de mobili abſtrahente à mobili motu naturali, & mobili motu præternaturali, & violento. Quod ergo ipſi ad hoc reſpondere debent, nos etiam ad eorum argumentum reſpondemus: & aliquid ſequi contra noſtram ſententiam, ex authoritate D. Thom. negamus, & pro omnibus.

Reſp. neg. min. Quia licèt ſubſtantiæ ſpirituales deficerent, non eſſet neceſſaria ſcientia, quæ primario ageret de ente mobili abſtrahente à ſubſtantiali, & accidentali. Eo

quod Philoſophia per ſe primò agit de ente mobili ſubſtantiali, ſecundario verò, & ex conſequenti agit de mobili accidentali, & de mobili abſtrahente, tanquam de ratione communi, & quaddam parte metaphyſica, ex qua componitur ens mobile ſubſtantiale, quod per ſe primo conſiderat Philoſophia.

Sed inſtabis. Ex quo mobile accidentale ſecundario conſideretur à Phyſica, non infertur, quod non poſsit ab alia ſcientia primario conſiderari; ſed illa ſcientia eſſet prior Philoſophia: ergo Philoſophia naturalis in illo caſu prima ſcientia non eſſet. Prob. mai. 1. Ens rationis ſecundario à Metaphyſica attingitur; & tamen primario conſideratur à Logica: ergo quamvis ens mobile accidentale ſecundario conſideretur à Phyſica, non infertur, quod non poſsit ab alia ſcientia primario conſiderari.

2. Prob. mai. Theologia ſecundario attingit creaturas: nam obiectum primarium Theologiæ eſt ſolus Deus ſub ratione Deitatis; & tamen creaturæ primario per Metaphyſicam attinguntur: ergo idem quod priùs.

Reſp. tamen ad primam prob. mai. neg. conſeq. & ratio diſcriminis eſt. Quia enti rationis correſpondet ſpecialis abſtractio, ſub qua à Logica attingitur formaliter diſtincta ab ea, per quàm attingitur à Metaphyſica. Et ideò licèt ſecundario à Metaphyſica conſideretur; poteſt tamen à Logica primario conſiderari: cæterum ens mobile, prout abſtrahit non poteſt ſpecialem abſtractionem habere, ſub qua ab aliqua ſcientia attingeretur primario. Si namque aliquam habere poſſet, maximè abſtractionem à materia ſingulari, quæ eſt propria entis naturalis: quæ tamen abſtractio eſſentialiter illi repugnat; ſiquidem ens mobile accidentale convenire non poteſt cum mobili ſubſtantiali in radicando motum naturalem, (ut probabimus) & conſequenter non poteſt cum illo in ratione entis naturalis formaliter convenire.

Ad 2. prob. mai. ſimiliter reſp. Creaturas per Theologiam attingi lumine divinæ revelationis, & per principia fidei: per Metaphyſicam verò attinguntur ſub alia ratione formali, abſtractione, videlicèt, ab omni materia, cujus creaturæ ſunt capaces; & ideò diſpar eſt ratio. Solutio eſt D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. *& 3. & art.* 3. *ad* 2. ubi ſimi-

ſimile argumentum proponit.

2. Arguitur. Accidens eſt primum, & radicale principium motus naturalis: ergo ens mobile accidentale intrat obiectum primarium Phyloſophiæ. Prob. antec. Motus intenſionis radicatur in qualitate: ergo accidens eſt principium radicale motus naturalis. Prob. antec. In illo principio radicatur motus naturalis, quod denominatur intenſibile, & remiſſibile; ſed qualitas, & non ſubſtantia, intenſibilis, & remiſſibiles eſt: ergo motus naturalis radicatur in qualitate. Prob. min. Forma intenſibilis, & remiſſibilis debet habere latitudinem gradualem, & ſuſcipere magis, & minus; ſed ſola qualitas habet latitudinem gradualem, non verò ſubſtantia, quæ non ſuſcipit magis, & minus: ergo ſola qualitas intenſibilis, & remiſſibilis eſt.

Reſp. neg. duo antec. prima, & ad prob. diſt. mai. Quod eſt intenſibile, & remiſſibile radicaliter: conc. mai. Proximè: neg. mai. & diſt. min. Intenſibilis, & remiſſibilis proximè: conc. min. Radicaliter: neg. min. & conſeq. Licèt namque qualitas ſit intenſibilis, & remiſſibilis proximè, non tamen radicaliter; ſed hoc ſolum competit ſubſtantiæ, in qua motus radicatur. Nec ad hoc neceſſaria eſt latitudo gradualis, ſed tantum requiritur in ea forma, quæ proximè intenſibilis eſt: principium verò radicale ſolum radicaliter importat latitudinem gradualem, & eodem modo ſuſcipit magis, & minus.

Sed inſtabis 1. Si ſubſtantia radicaret intenſionem, & remiſſionem, diceretur abſolutè intenſibilis, & remiſſibilis; ſed ſubſtantia non dicitur abſolutè intenſibilis, & remiſſibilis: ergo non radicat intenſionem. Prob. mai. Quia anima rationalis radicat intellectionem, dicitur abſolutè intellectiva: ergo ſi ſubſtantia radicaret intenſionem, diceretur abſolutè intenſibilis, & remiſſibilis.

2. Inſtabis. Intendi, & remitti eſt proprium quarto modo qualitatis, ſicut conſtat ex his, quæ dicuntur in prædicamento ipſius; ſed proprietas radicatur in eſſentia cujus eſt: ergo intenſio radicatur in qualitate.

Reſp. ad primam inſtantiam, neg. mai. & ad prob. neg. conſeq. Ratioque diſcriminis eſt: quia ſicut intelligibile, & amabile non ſignificant principium intelligendi, & amandi; ſed potiùs terminum intellectionis, & amoris;

riſsita intenſibile, & remiſsibile non denotant principium intenſionis, & remiſsionis: ſed illius terminum: cumque terminus intenſionis, & remiſsionis non ſit ſubſtantia, ſed qualitas: inde ſit ſolam qualitatem intenſibilem, & remiſsibilem abſolutè denominari. Intellectivum verò ſignificat principium intelligendi: & cum anima ſit principium primum, & radicale intelligendi, debet denominari abſolutè intellectiva.

Alia eſt etiam ratio diſcriminis. Quia forma, quæ in ſe habet denominationem oppoſitam, non debet denominari ab eo, quod radicat. Sicut Anima rationalis, quæ eſt intrinſicè ſpiritualis, non denominatur corporea, quamvis corporeitatem radicet, nec appellatur quanta, & extenſa, licèt ſi radix extenſionis, & quantitatis. Habet autem Anima denominationem oppoſitam cum denominatione intenſibilis; eo quod Anima indiviſibilis eſt, & ita non poteſt abſolutè, intenſibilis denominari: cum denominatione verò intellectivæ nihil oppoſitum habet; & ideò poteſt dici abſolutè intellectiva.

Adeſt etiam alia diſparitas. Quia non oportet cauſam æquivocam denominari ab eo, quod cauſat: ſicut ſol non denominatur formaliter calidus, quamvis ſit cauſa æquivoca caloris. Subſtantia verò cauſa æquivoca eſt reſpectu intenſionis, & remiſsionis; & ita neceſſarium non eſt intenſibilem abſolutè denominari.

Ad 2. inſt. reſp. diſt. conſeq. Motus intenſionis, quatenùs phyſicè naturalis eſt: neg. conſeq. Abſolutè, & metaphyſicè ſumptus: conc. conſeq. Licèt namque motus intenſionis abſolutè, & metaphyſicè conſideratus, ſit proprietas qualitatis; Philoſophicè tamen, & ut naturalis eſt, non radicatur in illa, ſed in ipſa ſubſtantia, per ordinem ad quam motus dicitur naturalis.

Sed inſtabis 1. Ratio motus, & ratio naturalis realiter identificantur in motu naturali intenſionis: ergo, ſi quatenùs motus eſt, radicatur in qualitate, etiam radicabitur in illa quatenùs naturalis eſt. Prob. conſeq. Quando duo prædicata identificantur realiter, utrumque reducitur in idem principiũ, & in eandem cauſam. Undè, quia in viſione beata ratio vitalitatis, & ſupernaturalitatis realiter identificantur, utraque reducitur in idem

lumen

lumen gloriæ: & quia intellectus non poteſt ſupernaturalitatem producere, neq; etiam propria virtute producere vitalitatem: ergo, ſi ratio motus, & formalitas naturalis identificantur in motu intenſionis, ſi intenſio, quatenùs motus eſt, radicatur in qualitate, etiam quatenùs naturalis radicabitur in illa.

2. Inſt. Quando duo identificantur realitèr, ex independentia unius ab aliquo principio, benè infertur alterius independentia. Et ita, quia in anima rationali gradus vegetativus, & ſenſitivus identificantur cum gradu rationali; & anima, quatenus rationalis non dependet à materia, etiam quatenus vegetativa, & ſenſitiva à materia non dependet; ſed ratio motus, & formalitas naturalis identificantur realiter in motu intenſionis: ergo ſi intenſio, quatenùs motus eſt, non dependet formaliter à ſubſtantia, nec radicatur in illa; etiam quatenùs naturalis eſt non radicabitur in ſubſtantia, nec ab illa formaliter dependebit.

Ad uttamque impugnationem eadem doctrina reſp. Quod ea quæ realiter identificantur, licèt non poſſint in eſſe entis reduci in principia radicalia diverſa: quia radicatio rei in eſſe entis tendit ad illius entitatem, quæ non poteſt in diverſis principijs radicaliter contineri; poſſunt tamen prædicata realiter identificata reduci in eſſe ſcibilis, ad principia radicalia diverſa. Sicut hæc concluſio, *terra eſt rotunda*, radicatur in principijs diverſarum ſcientiarum, à quibus attingitur propoſitio prædicta: & veritas accidentis, & illius bonitas in eſſe ſcibilis à Metaphyſica radicatur in accidenti, quamvis in eſſe rei, radicetur in ſubſtantia, quod, & univerſalitèr contingit. Et ideò motus intenſionis in eſſe ſcibilis poteſt ſecundum diverſas conſiderationes in qualitate, & in ſubſtantia radicari.

2. Reſp. Alij. Quod in viſione beata vitalitas trahitur ad eſſe ſupernaturalitatis: & ſimilitèr omnes gradus in anima trahuntur ad eſſe gradus rationalis. Et ita in quocumque principio continetur unus gradus, debet alter contineri: ſecus autem contingit in ratione motus, quæ non trahitur formaliter ad eſſe naturalis in motu intenſionis.

Sed contra eſt. Ideò in viſione beata trahitur vitalitas ad eſſe ſupernaturalis, & omnes gradus in anima ad eſſe gra-

gradus rationalis, quia identificantur realiter; ſed etiam in motu intenſionis prædicata ſupradicta, & motus, & naturalis identificantur realiter: ergo idem in utroque caſu dicendum: & conſequenter diſparitas nulla erit.

Reſp. Tamen ſolutionem traditam ad mentem noſtram explicando: quia doctrina illius deſervit ad plurima. Et intelligentia doctrinæ conſiſtit in eo, quod prædicata aliqua poſſunt identificari quantum ad ſubſtantiam, & modum: quando videlicèt unum prædicatum ſubinduit modum alterius: & quæ ſic identificantur ad idem principium reducuntur. Sic autem identificantur prædicata, quæ in inſtantijs adducuntur; quia vitalitas ſit formaliter ſupernaturalis, & omnes gradus animæ ſubinduunt etiam modum gradus rationalis. Omnes namque ſunt per ſe ſubſiſtentes.

Aliquando verò prædicata ſolum identificantur quantum ad ſubſtantiam, vel in eſſe rei, non verò quantum ad modum; & tunc poſſunt benè ad diverſa principia reduci: ſicut entitas peccati identificata cum malitia reducitur in Deum, in quem malitia non reducitur; quia entitas non ſubinduit modum deformitatis. Et Pater Divinus producit realiter filiationem, non tamen naturam divinam; quia natura non ſubinduit modum relativum filiationis. Et quia gradus corporis in homine non fit formaliter vivens, vel non ſubinduit modum viventis poteſt Cœlum producere rationem corporis; quin rationem viventis formaliter producat. Talem igitur identitatem habent ratio motus in intenſione, & formalitas naturalis; quia ratio motus non fit formaliter naturalis, adhuc identificata cum motu. Et ideò mirum non eſt, quod ad principia diverſa, videlicèt ad ſubſtantiam, & accidens, poſsint reduci, & in diverſis radicari.

Cæterum, quamvis hæc omnia ſatis probabilia ſint, placet tamen aliter reſpondere negando rationem motus identificari realiter cum ratione naturalis. Qua ſolutione adhibita, vim non habent replicæ factæ. Ratio verò ſolutionis ea eſt. Quia diviſio motus in naturalem, & violentum, eſt diviſio ſubiecti in accidentia; non tamen eſt eſſentialis diviſio; eo quod diviſio eſſentialis fit per intranea, & eſſentialia diviſi; cumque motus habeat à termino ſpeciem, & eſſen-

eſſentiam : ſit inde, quod eſſentialis diviſio motus ſolum poteſt fieri penes ordines diverſos, & ad terminos diſtinctos. Naturalitas autem, & violentia motus non à termino, ſed à ſubiecto ſumuntur : & conſequenter diviſio motus in naturalem, & violentum, accidentalis eſt, & ratio motus realiter à naturalitate diſtincta ; ſicut ſubiectum realiter à ſuo accidenti diſtinguitur.

Sed inſtabis. Diviſio motus in naturalem, & violentum fit per ordinem ad terminum : ergo diviſio eſſentialis eſt. Prob. ant. Naturalitas motus, ut motus eſt ſumitur à termino : ergo diviſio motus in naturalem, & violentum fit per ordinem ad terminum. Prob. ant. Naturalitas motus, ut actio eſt, ſumitur à principio : ergo naturalitas illius, ut motus eſt, ſumitur à termino. Prob. conſeq. Ideò primum contingit : quia actio, ut actio, ſpecificatur à principio ; ſed ut motus ſpecificatur à termino : ergo habet ab illo naturalitatem, ſicut actio à principio.

Reſp. diſt. mai. A principio intrinſeco : conc. mai. A principio, tanquam ab aliquo extrinſeco : neg. min. Et diſt. min. A termino extrinſeco : conc. min. Tali quam ab aliquo intrinſeco : neg. min. & conſeq. Motus namque, licèt habeat ſpeciem eſſentialem à termino ; non tamen habet naturalitatem. Hanc enim non debet habere à termino extrinſeco, à quo habet ſpeciem ; ſed à principio intrinſeco in ipſum motum inclinante. Motus autem, ut actio reſpicit principium tanquam quid intrinſecum, à quo intrinſicè procedit : & ita mirum non eſt, quod à principio habeat naturalitatem. Et quidem, ſi motus haberet naturalitatem à termino, nullus motus eſſet violentus. Siquidem omnis motus eſt via ad terminum extrinſecum, cui non poteſt non eſſe conformis, quando quidem eſſentialiter ordinatur ad ipſum.

Sed inſt. Generatio ſubſtantialis non ſolum eſt naturalis ratione materiæ ; ſed etiam ratione formæ ſubſtantialis : & motus lapidis ad centrum ideò naturalis eſt, quia in centro reperiuntur aliquæ qualitates conſervativæ ipſius lapidis : ergo naturalitas motus etiam à termino ſumitur.

Reſp. diſt. ant. Ratione termini conſiderati abſolutè : neg. ant. Ratione termini ut conformis eſt inclinati ni

ſubiecti; conc. antec. & neg. conſeq. Licèt namque motus ſit naturalis ratione termini generationis non tamen eſt naturalis ratione illius abſolutè; ſed ſolum ratione illius, quatenùs conformis eſt ſubiecto generationis, ſcilicèt materiæ inclinatæ ad novam formam. Et ſimilitèr motus lapidis naturalis eſt ratione qualitatum ſenſibilium, quatenùs tales qualitates ſunt conformes ſubſtantiæ lapidis, & ejus inclinationi. Et ideò naturalitas motus per ſe, & radicalitèr deſumitur à ſubiecto.

3. arg. Accidens in eſſe ſcibilis à Philoſophia non dependet à ſubſtantia: ergo intrat obiectum primarium Philoſophiæ Prob. ant. Accidens in eſſe ſcibilis à Metaphyſica non dependet à ſubſtantia: ergo in eſſe ſcibilis à Phyloſophia à ſubſtantia non dependet.

Reſp. neg. conſeq. Quia Metaphyſica eſt univerſaliſſima ſcientia, & agit de rebus ſecundum univerſaliſſimam rationem entis, ut radicantem unitatem, bonitatem, & veritatem: in ratione autem entis radicantis paſsiones prædictas accidens non dependet à ſubſtantia: quia, ſi per impoſsibile ſubſtantia ipſa redderetur impoſsibilis, adhuc accidens paſsiones aſsignatas radicaret. Et ideò accidens in eſſe ſcibilis à Metaphyſica non dependet à ſubſtantia: In radicando verò motum naturalem à ſubſtantia dependet, ut vidimus. Et propterea in eſſe ſcibilis per Phyloſophiam dependet à ſubſtantiam.

Sed inſt. 1. Accidens dependet à ſubſtantia in eſſe entis, quod eſt obiectum Metaphyſicæ; & tamen in eſſe ſcibilis à Metaphyſica non pendet à ſubſtantia: ergo, quamvis accidens in ratione radicis motus naturalis, quæ ſpecificat Phyloſophiam, dependeat à ſubſtantia, poterit in eſſe ſcibilis à ſubſtantia non dependere.

2. Inſt. Etiam accidens in radicando motum Phyloſophicum non dependet à ſubſtantia: ergo diſparitas nulla eſt. Prob. antec. Motus ſenſibilis abſolutè conſideratus radicatur in quantitate, ſicut antecedentèr conceſsimus; ſed motus iſte pertinet ad Phyloſophiam: ergo accidens in radicando motum Phyloſophicum non dependet à ſubſtantia, prob. min. Phyloſophia demonſtrat augmentationem de quantitate, & probat illi convenire; quia quantitas eſt accidens ma-

materiale habens partes diviſibilis, quod totum concernit materiam ſenſibilem. Et conſequenter continetur ſub abſtractione Philoſophiæ: ergo motus iſte pertinet ad Philoſophiam.

3. inſt. Motus naturalis Cœli reducitur ultimò in privationem accidentalem, *ubi*, vel *loci*: ergo accidens habet radicare motum naturalem independenter à ſubſtantia. Prob. antec. Motus localis Cœli non reducitur in privationem ſubſtantialem, quæ in Cœlo non poteſt reperiri: cum Cœli materia nunquam fuerit ſine forma: ergo ſolum ultimo reducitur in accidentalem privationem.

Reſp. diſt. mai. In eſſe entis pro implicito: conc. mai. In eſſe entis pro expreſſo, & ſecundum rationem radicis proprietatum: neg. mai. Et conc. min. neg. conſeq. Licèt namque accidens in ratione entis, pro implicito conſiderata, deprndeat à ſubſtantia, ſicut ens in alio ab ente per ſe, in ratione tamen explicita entis non explicatur dependentia iſta; ſed ſolum exprimitur conceptus eſſendi, & radicis veritatis, & bonitatis, in quo accidens à ſubſtantia non dependet, ſed implicita dependentia purè de materiali ſe habet: ſecus autem dependentia accidentis à ſubſtantia in ratione ſcibilis per Philoſophiam; quia dependentia accidentis à ſubſtantia exprimitur in ipſa ratione radicis motus naturalis formaliter. Inſtantia eſt in dependentia, quam creatura habet à Deo in ratione entis; quæ tamen, quia non exprimitur in ratione entis, non tollit creaturam ſimul cum Deo pertinere ad obiectum Metaphyſicæ primarium.

Ad 2. inſt. reſp. Motum augmentationis abſolutè conſideratum pertinere ad Metaphyſicam, quæ licèt primario non poſsit agere de rebus concernentibus materiam ſenſibilem; ſecundariò tamen propter univerſalitatem ſuam poteſt agere de illis per ordinem ad ſuum obiectum primarium, quod abſtrahit ab omni materia poſsitivè. Sicut ſecundariò agit de ente rationis, quod non poteſt abſtrahere ab omni materia poſsitivè; quia Metaphyſica ipſum conſiderat per ordinem ad ens reale, quod poſsitivè abſtrahit ab omni materia.

Etſi dicas. Quod concernit materiam ſenſibilem, & non abſtrahit ab omni materia, non continetur ſub abſtractione

tione Metaphyſicæ: ergo non poteſt abilla etiam ſecundario attingi. Quia nulla ſcientia etiam ſecundario poteſt excedere ſuam rationem formalem.

Reſp. diſt. ant. Non continetur ſubiectivè: conc. antec. Terminativè; neg. antec. & conſeq. Licèt namque obiectum, quod non abſtrahit ab omni materia poſitivè, non contineatur ſubiectivè ſub abſtractione Metaphyſicæ, poteſt tamen ordinem dicere ad ipſam. Et hoc ſatis eſt, ut per Metaphyſicam attingatur: ſicut attingitur ens rationis à Metaphyſica per ordinem ad ens reale, quamvis ens rationis non poſsit abſtrahere poſsitivè ab omni materia.

2. Reſp. ad 2 replicam principalem. Motum augmentationis ſecundum rationem communem motus ſenſibilis in quantitate radicari per ſe primo, & independenter à ſubſtantia formaliter ſubiectivè: & ſimul etiam pertinere ad Phyloſophiam; non tamen per ſe primo, ſed ſolum ex conſequenti, & ſecundario: quatenùs illius cognitio conducit ad perfectam intelligentiam obiecti primarij, entis videlicèt ſubſtantialis & illius proprietatis, ſcilicèt motus naturalis, qui formaliter, ut naturalis ſolum in ſubſtantia radicatur. Nec doctrina nova eſt ſcientia namque, quæ agit de ratione particulari, poteſt agere de ratione communi conducente ad perfectam intelligentiam rationis particularis, quam per ſe primo reſpicit ſcientia. Sicut Logica primario reſpicit modum ſciendi, & ſecundario etiam attingit rationem communem entis rationis, cujus cognitio conducit ad modum intelligendum perfectè: ita phyſica primario agit de motu ſenſibili, ut naturali, & ſecundario attingit rationem communem motus ſenſibilis, cujus notitia ad perfectam cognitionem motus naturalis requiritur.

Ad 3. inſt. reſp. Motum non dici naturalem, vel violentum per ordinem ad privationem, quæ extrinſecè tantum comparatur ad motum; ſed ſolum dici motum naturalem, vel violentum per ordinem ad principia intrinſeca in motum poſitivè influentia. Et ideò, ex quo in Cœlo ſolum deſit privatio accidentalis, non infertur naturalitatem motus in principium accidentale reduci; ſiquidem in privationem non reducitur naturalitas motus.

Po-

Poterat etiam dici ad veram privationem non requiri prioritatem temporis, ſed ſufficere præcedentiam naturæ: quæ præcedentia fuit de facto in materia Cœli reſpectu formæ ſubſtantialis. Et ita fuit privatio ſubſtantialis, inquam reducitur motus.

4. arg. Motus localis ultimo reducitur in quantitatem: ergo accidens eſt principium radicale motus. Et conſequentèr pertinet ad obiectum primarium. Prob. antec. Ideò corpus poteſt moveri localitèr: quia eſt diviſibile, & extenſum in ordine ad locum: ſed diviſibilitas, & extenſio in ordine ad locum reducitur ultimo ad quantitatem: ergo etiam motus localis ultimo in quantitatem reducitur. Min. cum conſeq. conſtat, & probat. mai. Ideò corpus poteſt moveri localitèr: quia poteſt mutare locum. Et ideò locum mutare poteſt: quia poteſt etiam eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Et ideò hoc ultimum poteſt habere: quia eſt diviſibile, & extenſum in ordine ad locum: ergo ideò poteſt moveri localitèr, quia eſt diviſibile, & extenſum.

Reſp. ſicut ad alia argumenta. Motum localem ut diviſibilem, & ſenſibilem in quantitatem reduci; non tamen ut naturalem.

Sed contra. Motus localis deorſum in Hoſtia Conſecrata naturalis eſt; ſed talis motus ut naturalis non reducitur in ſubſtantiam, quæ in Hoſtia Conſecrata non eſt, ſed potiùs converſa eſt in ſubſtantiam Corporis Chriſti: ergo ille motus ut naturalis, ultimo in quantitatem reducitur.

2. inſt. Si Deus auferret gravitatem à lapide, ipſamque poneret in igne, motus deorſum in igne eſſet naturalis; ſed illa naturalitas non reduceretur in ſubſtantiam ignis; ſiquidem ille motus eſſet oppoſitus cum ignis ſubſtantia: ergo idem quod priùs.

3. inſt. Calefactio in aqua eſt naturalis; ſed naturalitas iſta non reducitur in ſubſtantiam aquæ, ſed potiùs tendit calefactio iſta ad deſtructionem aquæ: ergo idem.

Ad 1. reſp. Motum naturalem deorſum in Hoſtia Conſecrata ultimo reduci in ſubſtantiam panis, quæ licèt ibi non ſit formaliter, eſt tamen virtualiter ibi: quatenùs ibi remanent accidentia, quæ ſunt virtutes ſubſtantiæ: ſi-

cut

cut, quando ſemine deciſſo moritur generans, proles ſequuta attribuitur generanti, quod quamvis formaliter jam non ſit, in ſemine tamen deciſſo virtualiter perſeverat.

Ad 2. reſp. Ignem in illo caſu non fore movendum motu naturali deorſum. Quia motus iſte eſſet verè contra naturam ignis.

Poſſet etiam dici probabiliter: motum illum fore naturalem; non per ordinem ad ſubſtantiam ignis, ſed per ordinem ad ſubſtantiam lapidis virtualiter exiſtentem in ipſa gravitate, quæ in illo caſu eſſet igni communicata. Melior tamen eſt prima ſolutio.

Ad 3. reſp. Quod, ſi calefactio non producit calorem ut octo, eſt quidem violenta aquæ; quia tendit ad illius deſtructionem, cui aqua per ſuam formam reſiſtit: ſi verò calefactio calorem ut octo producit, erit naturalis aquæ, propter conformitatem ad materiam, quæ ultimò per illam calefactionem diſponitur ad habendam formam novam, quam materia naturaliter appetit.

Sed inſt. Si conformitas cum materia ſufficit ad naturalitatem motus, quilibet motus diſponens ad introductionem novæ formæ, erit motus naturalis; ſiquidem eſt conformis materiæ, quæ ſemper appetit novam formam; ſed hoc eſt contra experientiam manifeſtantem aquam pati violentiam, quando incipit calefieri: ergo conformitas cum materia non ſufficit, ut motus ſit naturalis.

Hæc replica ſolvenda eſt à contrarijs. Ipſi namque aſſerunt, motum augmentationis eſſe naturalem per ordinem ad quantitatem; ſed omnis augmentatio eſt conformis quantitati: ergo omnis eſt naturalis. Quam conſequentiam concedere non poſſunt. Et conſequenter tenentur ad replicam reſpondere in ſimili forma.

Pro omnibus tamen dicimus. Motum alterationis diſponentem ad novam formam in principio eſſe violentum. Quia prædominatur inclinatio formæ, quæ eſt pars principalis in compoſito, & naturaliter appetit propriam conſervationem, & in materia perſeverare. Quando verò alteratio plures diſpoſitiones introducit, vel ſaltim ultimam diſpoſitionem eſt calefactio naturalis, quia non eſt contra inclinationem materiæ, quæ jam prædominatur; eo quod for-

forma in via corruptionis exſtitit.

§. IV.

Ultimum argumentum ſolvitur.

TAndem arg. Ens mobile accidentale eſt ens naturale: ergo pertinet ad obiectum primarium Phyloſophiæ. Prob. ant. Ens naturale illud eſt, quod ex principijs naturalibus conſtat, videlicèt materia, forma, & privatione; ſed mobile accidentale habet hæc tria: ergo eſt ens naturale.

Reſp. Quod principia naturalia ſunt materia, forma, & privatio non reducibilia in alia priora: & talia ſunt materia, forma, & privatio de linea ſubſtantiæ; non autem illa, ex quibus mobile accidentale componitur.

Contra eſt 1. Forma conſtitutiva mobilis accidentalis, v. g. albedo, qua conſtituitur album, & frigiditas, qua conſtituitur frigidum, in ratione radicis alicujus proprietatis Phyloſophicæ non ſupponit aliam priorem: & idem de materia talis compoſiti dicendum: ergo verè conſtituit ens mobile accidentale in ratione entis naturalis. Prob. ant. Proxima intenſibilitas naturalis frigiditatis non eſt proprietas ſubſtantiæ. Et conſequenter non radicatur in illa, ſed in ſola frigiditate: ergo forma illa conſtitutiva mobilis accidentalis in ratione radicis proprietatis phyloſophicæ non ſupponit aliam priorem. Prob. ant. Proprietas prædicatur de ſubiecto, & de eſſentia cujus eſt, ſed proxima intenſibilitas naturalis ſumpta complexivè non prædicatur de ſubſtantia. Quia hæc propoſitio eſt falſa, *ſubſtantia eſt proximè intenſibilis naturaliter*: ergo proxima intenſibilitas naturalis, ſumpta complexivè formaliter, non eſt proprietas ſubſtantiæ.

2. inſt. Ut principia aliqua naturalia ſint, ſufficit eſſe prima in ſua linea; ſed principia mobilis accidentalis hoc habent: ergo naturalia ſunt. Min. patet. Quia compoſitum ſubſtantiale in ratione ſubiecti proximè receptivi accidentium non ſupponit aliud; ſiquidem ante ipſum non datur aliud proximè receptivum accidentium. Et forma accidentalis in linea accidentali eſt prima forma. Mai. verò prob. Sicut natura diſſinitur per eſſe primum principium motus: ita cauſa efficiens diſſinitur, *eſſe id, à quo primo im-*

incipit motus. Sed ly *primo* in diffinitione cauſæ efficientis intelligitur de primo in ſua linea; ſiquidem principium proximum, quod non eſt primum abſolutè, eſt vera cauſa efficiens: ergo eodem modo intelligendum eſt ly *primum* in diffinitione naturæ. Et conſequentèr, ut aliqua principia ſint verè naturalia, ſufficit eſſe prima in ſua linea.

Reſp. ad 1. replic. neg. duo ant. & ad prob. diſt. mai. Proprietas, quæ non reduplicat pro ſubſtracto, quod eſt proprium principij proximi, vel alterius ab eſſentia diverſi: conc. mai. Si talem reduplicationem involvat: neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Proxima namque intenſibilitas naturalis reduplicat pro ſubſtracto naturalitatis rationem proximæ. Et ideò quamvis in ſubſtantia radicetur, non poteſt prædicari de illa. Sicut riſibilitas eſt proprietas naturæ humanæ; & tamen riſibilitas proxima non poteſt prædicari de natura; quia reduplicat pro ſubiecto aliquid, quod eſt proprium principij proximi ridendi.

Ad 2. inſt. neg. mai. & ad prob. neg. conſeq. Ratioque diſcriminis eſt. Quia diffinitionum intelligentia ex Antiquorum explicatione deſumenda eſt: & omnes ly *primum* in diffinitione naturæ intelligunt de primo, quod eſt abſolutè primum, nec ullus principium proximum, ut tale radicale principium appellavit. E contra verò ly *primum* in diffinitione cauſæ efficientis omnes intelligunt de principio, quod eſt primum comparativè ad alias cauſas, à cauſa efficienti diſtinctas, hoc autem convenit tàm proximo, quàm radicali principio efficientèr influenti.

Sed inſtabis 1. Quamvis principium accidentale ſupponat aliud priùs, poteſt eſſe primum, & radicale principium: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. antec. primò. Principia ſcientiæ ſubalternatæ ſupponunt principia ſcientiæ ſubalternantis; & tamen ſunt prima, & radicalia principia reſpectu concluſionum, quas ſcientia ſubalternata demonſtrat: ergo paritèr, quamvis principium accidentale ſupponat aliud priùs poteſt eſſe primum, & radicale principium.

2. prob. ant. Veritas prima in dicendo ſupponit naturam divinam, & in illa radicatur; & tamen eſt prima, & radicalis ratio credendi, in quam ultimo reſolvitur af-

aſſenſus fidei : ergo idem, quod priùs.

3. prob. ant. Forma totalis, v.g. humanitas habet rationem naturæ, in probabili ſententia; & tamen ſupponit alia principia priora, videlicèt materiam, & formam, ex quibus componitur : ergo idem quod antè.

2. inſt. Ut compoſitum accidentale ſit ens naturale, ſufficit habere unam partem, quæ ſit radicale principium motus; ſiquidem Cœlum eſt ens naturale; & tamen motus Cœli ſolum in materia radicatur, ut videbimus infrà; ſed compoſitum accidentale habet unam partem radicantem motum, videlicèt compoſitum ſubſtantiale, in quo omnis motus radicaliter continetur : ergo mobile accidentale eſt ens naturale.

Reſp. ad 1. replic. neg. antec. & ad 1. prob. diſt. mai. Supponunt materialiter, & in eſſe rei : conc. mai. Formaliter in ratione radicis, vel principij concluſionum ſcientiæ ſubalternatæ. neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Principia namque ſcientiæ ſubalternatæ, in eſſe rei, ſupponunt principia ſcientiæ ſubalternantis : formaliter tamen, ut ſtant ſub abſtractione ſcientiæ ſubalternatæ, ſunt prima, & radicalia : & ſub hac ratione non ſupponunt alia formaliter : eo quod principia ſubalternantis non continentur ſub abſtractione ſcientiæ ſubalternatæ, ſed ſub alia formaliſsimè diverſa, ſicut & ipſæ ſcientiæ formaliter diverſæ ſunt.

Ad 2. ſimiliter reſp. Veritatem in eſſe rei ad naturam divinam reduci; non tamen in ratione moventis ad aſſenſum infallibilem fidei, ad quem ſufficit cognoſcere Deum eſſe ſummè veracem, & primam veritatem in dicendo, undecumque hoc illi competat.

Ad 3. reſp. Humanitatem, vel formam totalem, verè, & propriè fieri ex alijs, nempè ex materia, & forma : & ita falſum eſt, quod habeat rationem naturæ. Admiſſa tamen probabilitate ſententiæ, reſp. formam totalem ſupponere alia materialiter; non tamen formaliter, & in ratione principij. Quia humanitas, v.g. radicat aliquas proprietates, & operationes non potentes convenire materiæ, vel formæ, ſicut ridere, & flere; & alias hujuſmodi. Accidens verò in ratione principij motus naturalis ſupponit ſubſtantiam, & ab illa dependet formaliter, ut pro-

batum relinquimus. Et ita di par eſt ratio.

Ad 2. replic. reſp. Mobile accidentale non habere aliquam partem verè, & propriè radicantem. Quia compoſitum ſubſtantiale quatenùs componit accidentale, non radicat ratione ſui, & ut pars compoſiti accidentalis; ſed tantum radicat ratione materiæ, vel formæ ſubſtantialis, ex quibus ipſum componitur. Materia verò Cœli ratione ſui exigit motum, ut vel in proprio loco dicemus. Et ideo mirum non eſt, quod Cœlum ex tali materia compoſitum ſit ens naturale.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX his, quæ in artic. diſcurſu dicuntur, colligitur 1. quod mobile ſubſtantiale idem eſt in re, quod corpus mobile, ſubſtantia mobilis, & ens naturale. Quia mobile ſubſtantiale illud eſt, quod habet in ſe principium radicale motus; & hoc idem eſt corpus mobile, ſubſtantia mobilis, & ens naturale, ut per ſe manifeſtum eſt. Undè licèt omnia iſta differant in modo ſignificandi, in re tamen ſignificata conveniunt, & ſupponunt pro eodem.

2. Infertur. Objectum Philoſophiæ melius explicari, per hoc complexum, *ens mobile*, quam per quodlibet aliùd. Quia illud nomen convenientius explicat objectum Phyloſop. de quo omnes unanimiter aſſerunt, eſſe Phyloſophiæ objectum. Sed omnes unanimiter affirmant, ens mobile eſſe objectum Phyloſophiæ: aliqui tamen negant ſolam ſubſtantiam mobilem eſſe objectum, aſſerentes, objectum Phyloſophiæ abſtrahere ab ente ſubſtantiali, & accidentali: & alij etiam dicunt: objectum Phyloſophiæ non eſſe determinatè corpus mobile; ſed etiam ſubſtantias in corporeas, & ſpirituales eſſe objectum primarium Phyloſophiæ: ergò objectum Phyloſophiæ melius explicatur per hoc complexum, *ens mobile*, quam per quodcumque aliùd.

Prob. inſuper. Quia nulla ſcientia probat ex proprijs dari ſuum objectum. Nam ſubjectum, vel objectum ſcientiæ eſt præcognitum ad demonſtrationem ſcientiæ neceſſarium, ut habemus in poſterioribus Logicæ. Sed Phyloſophia probat ex proprijs omne mobile eſſe corpus;

pus; non tamen omne mobile eſſe ens. Nam in 6. phyſicorum prob. omne mobile debere eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Et conſequenter eſſe diviſibile, & corpus: ergò objectum Philoſophiæ melius explicatur per nomen aſsignatum, quam per aliud quodcumque.

Deindè prob. Illud explicat melius ſubjectum, vel objectum Philoſophiæ, quod ponitur indiffinitione primæ paſsionis, quam Philoſophia demonſtrat; ſed indiffinitione primæ paſsionis, quam Philoſophia demonſtrat, ponitur ens; non verò corpus, ſubſtantia, vel aliud: ergò objectum Philoſophiæ melius explicatur per ens mobile: probat. min. Prima paſsio, quam phyſica demonſtrat, eſt mobilitas, vel motus. Sed motus diffinitur, *actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia*; non verò diffinitur actus corporis, vel alterius: ergò in diffinitione primæ proprietatis, quam Philoſophia demonſtrat, ponitur ens, non verò corpus ſubſtantia, vel aliud. Addimus Præcep. Ang. quoties loquitur de objecto Philoſophiæ, illud ſignificare per aſsignatum nomen, quod ſignum eſt per tale nomen congruentius explicari.

Dices. Illud eſt objectum Philoſophiæ, quod ex radix omnium paſsionum, quæ in ea demonſtrantur. Sed ens mobile non eſt radix omnium paſsionum, quæ demonſtrantur in Phyſica. Nam quieſcibile in Phyſica demonſtratur; & ens mobile non dicit radicem quietis; ſed motus: ens verò naturale importat utrumque: ergò melius explicatur objectum Philoſophiæ per ens naturale, quam per ens mobile, vel quocumque aliud.

Reſp. neg. min. Quia motus tendit ad quietem; & ita ens mobile, quod importat radicem motus, ſufficienter etiam explicat radicem quietis. Et conſequenter ex impugnatione non probatur, melius per ens naturale ſignificari objectum Philoſophiæ.

Dices 2. Illud nomen melius explicare objectum Philoſophiæ, quod exprimit ſubjectum, cui per ſe primo competit motus Philoſophicus; ſed ſubjectum cui per ſe primò competit motus philoſophicus eſt corpus; non verò ens: Quia ens movetur motu phyſico: non quia ens, ſed quia corpus: ergò melius explicatur ob-

jectum per corpus mobile, quam per aliud.

Reſp. diſt. mai. Si illi per ſe primo convenire apud omnes ſupponatur, & in ſcientia non probetur: conc. maj Si talis convenientia in ſcientia probatur: neg. mai. & diſt. min. Convenientia ſuppoſita: neg. min. Convenientia probata: conc. min. & neg. conſeq. Objectum namque ſcientiæ non debet in ſcientia ex proprijs probari, ſed ad ſcientiam præſupponi. Motum verò corpori convenire probat, ut vidimus, Phyloſophia. Et ideò licèt motus phyloſophicus per ſe primò competat corpori, objectum Phyloſophiæ melius explicatur per ens mobile, cui motum Phyloſophicum convenire non probatur in Phyloſophia, ſed ſupponitur ad ipſam. Et hæc de articulo iſto, ad Philoſophum applicanda 1. phyſic. cap. 1. ad illa verba: *Manifeſtum quidem eſt, quod quæ ſunt circa principia ſcientiæ, quæ de natura eſt, priùs determinare tentandum.*

*** ***
*** ***

ARTICULUS II.

Vtrum Phyloſophia ſit una ſecundum ſpeciem athomam?

§. I.

Referuntur ſententiæ, & alia qua ſupponuntur.

ANte concluſionem noſtram brevitèr notandum eſt contra Heraclium, & Cratillum Phyloſophiam eſſe verè, & propriè ſcientiam. Quia ſcientia eſt habitus certus, & evidens, per demonſtrationem acquiſitus. In Phyſica autem plures fiunt demonſtrationes, ſicut mixtum eſſe corruptibile: quia componitur ex qualitatibus contrarijs. Viventia à ſe moveri: quia habent animam, & conſtant partibus æthereogenejs, quarum una poteſt eſſe principium movendi aliam: & omnia naturalia moveri: quia in ſe habent naturam, quæ eſt primum principium motus. Per quas demonſtrationes aliquis habitus generari debet, qui alius eſſe non poteſt, niſi habitus Phyloſophiæ. Contra quam doctrinam, quæ poterant opponi, ex his, quæ in Logica dicuntur,

tur, ſolutionem facilem habent.

2. Not. eſt. Phyloſophiam eſſe verè ſpeculativam. Quia non ordinatur ad res naturales efficiendas, ſed ad illas contemplandas. Et ordinari, non ad opus, ſed ad contemplationem veritatis ſolum poteſt competere ſcientiæ, quę verè ſpeculativa eſt. Si tamen aliquando rerum naturalium cognitio excitat ad opus aliquod bonum, vel ad amorem Dei, hoc non habet talis cognitio per ſe; ſi quidem Phyloſophia non tradit regulas, & præcepta ad agendum quod erat neceſſarium, ut per ſe ordinaretur ad opus; ſed illa motio, & excitatio ad amorem, vel aliud opus, provenit à cognitione phyloſophica occaſionaliter, & per accidens: quatenùs ex illa originatur cognitio practica, quæ proponit Deum ut amandum, vel aliquod opus faciendum.

His breviter prælibatis, duplex, in puncto difficultatis, ſententia reperitur. 1. quidem aſſerit: Phyloſophiam, quatenùs extenditur ad omnes libros, & ad omnes partes, eſſe tantum genericè unam. Quam defendit Cayetanus in 1. phyſicorum q. 2. quamvis etiam aſſerat, oppoſitum eſſe probabile, eandem ſequuntur Capreolus, & Ferrata, quorum authoritas ſententiæ probabilitatem oſtendit.

2. Affirmat: Phyloſophiam eſſe unam in ſpecie athoma. Quam defendunt Mag. Soto, RR. Sancto Thoma. Venerandi PP. Carmelitæ, & Thomiſtæ recentiores communiter. Cum quibus ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Phyloſophia eſt unica ſcientia ſpecie.

CConcluſio iſta breviter ratione probat. Quia unitas ſcientiæ ſumitur ab unitate objecti; non quidem in eſſe entis, ſed formaliter in eſſe objecti. Sed objectum Phyloſophiæ, quatenùs extenditur ad omnia objecta, quæ per Phyloſophiam attinguntur, eſt idem formaliter in eſſe objecti: ergò etiam Phyloſophia, ut ad omnes partes extenditur, eſt una in ſpecie athoma. Prob. min. Ratio formalis ſub qua conſtitutiva objecti Phyloſophiæ in eſſe talis, videlicet abſtractio à materia ſingulari cum concernentia materiæ

riæ ſenſibilis eſt eadem formaliſsimè: ergò ipſum objectum eſt idem formaliter in eſſe objecti. Patet conſeq. Quia unitas objecti formaliter in eſſe talis ſumitur à differentia illius conſtitutiva; conſequenterque, ſi talis differentia eadem eſt, etiam objectum erit idem formaliter. Ant. verò prob. Illa abſtractio eſt eadem formaliter, quæ determinatur per eadem principia formaliter; ſed abſtractio ab omni materia ſingulari cum concernentia ſenſibilis determinatur per eadem principia formaliter, videlicèt, per principia entis mobilis naturalis, quæ ſunt formaliter eadem in omni objecto Philoſophiæ: ergò differentia conſtitutiva objecti Philoſophiæ, quæ eſt abſtratio à materia ſingulari cum concernentia ſenſibilis, eſt eadem formaliſsimè.

Reſp. Principia entis mobilis naturalis in omni objecto Phyloſophiæ non eſſe formaliter eadem. Quia inter objecta Phyloſophiæ non invenitur eadem immaterialitas; ſed major, vel minor ſecundum objectorum diverſitatem.

Sed contra eſt. Ea principia ſunt eadem formaliter, quorum unum derivatur ex alio, vel utrumque ex uno tertio, ſicut docet Angel. Præc. 1. poſt. cap. 13. lect. 41. & ratio etiam ſuadet. Quia ſi unum derivatur ex alio, vel utrumque ex uno tertio habent ordinem ad invicem, & unitatem in eſſe ſcibilis. Et conſequenter non poſſunt eſſe diverſa formaliter. Sed principia naturalia derivantur ex uno tertio, videlicet ex conceptu communi naturæ, qui omnibus communis eſt. Siquidem omnia hæc principia attinguntur per Phyloſophiam, quatenus conveniunt in ratione communi naturæ, & in ratione radicis motus, & mobilitatis naturalis, quas proprietates Phyloſophia demonſtrat: ergò principia entis mobilis naturalis, & totius Phyloſophiæ ſunt formaliſsimè eadem: ita ut major, vel minor abſtractio, & major, vel minor concernentia materiæ ſenſibilis, de materiali ſe habeat. Certè namque ſi major, vel minor concernentia materiæ ſenſibilis de formali ſe haberet, plures darentur habitus Phyloſophiæ ſpecificè diſtincti quam contrarij recognoſcunt. Nam in quocumque particulari tractatu, major, vel minor concernentia materiæ ſenſibilis repe-

 V. C. in octo lib. Phyſ. par-

partes compoſiti ſubſtantialis concernunt aliquam materiam ſenſibilem, à qua abſtrahit motus localis Cœli. Et in tract. de Anima magis concernit de materia ſenſibili, Anima vegetativa, quam anima ſenſitiva: & hæc, etiam magis, quam anima rationalis

Reſpondebis. Conceptum communem naturæ, vel radicis, non eſſe univocum, ſed tantum analogicè communem ad principium activum, & principium paſſivum, ſcilicèt ad materiam, & formam. Quia, ſi eſſet univocus, eſſet quidem per modum generis, vel per modum ſpeciei. Conſequenterque materia eſſet verè compoſita ex genere, & differentia, haberetque verum actum metaphyſicum, quod negat ſententia inter Thomiſtas communior. Et ideò principia naturalia non habent convenientiam univocam in aliquo tertio communi, neque illi ſubordinantur formaliter. Et conſequenter principia entis mobilis naturalis non ſunt eadem principia formaliter.

Sed contra eſt. Admiſſo rationem naturæ, & radicis eſſe prædicatum analogum, quod infra negavimus; in conceptu tamen expreſſo radicis, & naturæ nulla explicatur diverſitas. Sed Phyloſophia motum, & mobilitatem naturalem demoſtrat per principia naturalia ſecundum conceptum explicitum radicis, & naturæ: ergò talia principia comparativè ad habitum Phyloſophiæ diverſitatem non explicant. Conſequenter licèt ratio communis naturæ in eſſe rei ſit analoga; in ſpecificando tamen Phyloſophiam univoca eſt. Sicut ratio entis in eſſe rei eſt analoga ad inferiora, & in ſpecificando Metaphyſicam univoca eſt. Quia in conceptu explicito entis radicantis veritatem, & bonitatem, quem reſpicit Metaphyſica, nulla explicatur diverſitas.

Conf. concluſionis noſtræ doctrina. Eadem ſpecificè ſcientia, quæ agit de ratione communi, agit etiam de ratione inferiori, & ſpeciebus ſub illa contentis, quando utrumque continetur ſub eadem abſtractione: & attingitur per eadem principia. Sicut eadem ſpecificè logica, quæ agit de modo ſciendi in communi, agit etiam de diffinitione, diviſione, & argumentatione, quæ ſunt ſpecies illius. Sed ens mobile naturale, & omnes ſpecies ejus continentur ſub eadem abſtractione à materia ſingulari,

lari: & attinguntur per eadem principia naturalia: ergò eadem ſpecificè Phyloſophia agit de omnibus illis.

Explicatur confirmatio prædicta. Quando aliqua ſcientia attingit rationem communem ſecundum conceptum radicis alicujus proprietatis, attingit omnia illa, in quibus invenitur eandem proprietatem radicare. Sicut eadem Logica, quæ attingit rationem communem modi ſciendi, ut oſtenſivam veritatis, attingit etiam diffinitionem, Diviſionem, & Argumentationem, quæ modo peculiari veritatem oſtendunt. Et eadem Metaphyſica, quæ attingit rationem entis, ut radicem veritatis, attingit etiam omnia entia particularia, ut conveniunt in radicando veritatem. Sed Philoſophia attingit ens mobile naturale ſecundum quod in ſe habet radicem motus naturalis: ergò eadem ſpecificè Phyloſophia attingere debet omnia entia naturalia, ut conveniunt in habendo radicem motus, & mobilitatis naturalis. Et conſequenter Phyloſophia, ut extenditur ad omnia entia naturalia erit ſpecificè una, & formaliter indiſtincta.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra conclu. noſt. arg. 1. auth. SS. Præc. in 1. poſt. lect. 41. ubi loquendo de corpore naturali, & mathematico ait: *Aliud genus ſcibilium eſt corpus naturale, & corpus mathematicum: & utrùmque horum generum dividitur in diverſas ſpecies ſcibilium.* Sed corpus naturale eſt objectum Phyloſophiæ naturalis: ergò objectum Phyloſophiæ dividitur in diverſas ſpecies ſcibilium, & conſequenter Phyloſophia non eſt una ſcientia ſpecie.

Scio aliquos reſpondere corpus naturale non dividi in diverſas ſpecies ſcibilium formaliter, ſed ſolum materialiter diſtinctas, & hoc ſolum intendere D. Thm. Sed hanc ſolutionem non approbo. Quia tam de corpore naturali, quàm de corpore mathematico affirmat D. Tho. dividi in ſpecies diverſas ſcibilium. Sed diviſio corporis mathematici fit in ſpecies ſcibilium diſtinctas formaliter: ergò hoc idem ſentit D. Thom. de corpore naturali. Et ideò aliter.

Reſp.

Reſp. ad arg. D. Thom. loqui de corpore naturali in eſſe rei, & materialiter ſumpto; non tamen loqui de corpore naturali formaliter accepto.

Contra tamen eſt D. Th. loquitur de corpore naturali formaliter ſumpto: ergò nulla eſt ſolutio: prob. antec. In eadem acceptione loquitur de corpore naturali, & de corpore mathematico. Sed loquitur de corpore mathematico formaliter ſumpto: ergò etiam loquitur de corpore naturali formaliter accepto.

Reſp. tamen, diſt. ant. De corpore naturali formaliter, ſub illis terminis, quibus ibi ponitur: conc. antec. De illo formaliter in ratione mobilis naturalis: neg. antec. & conſeq. Corpus namque naturale, ſub his terminis, *corpus naturale* eſt indifferens ad corpus naturale ſanabile per artem, quod eſt objectum Medicinæ, & ad corpus mobile motu phyſico naturali, quod eſt objectum Philoſophiæ. Et ſicut Phyloſophia, & Medicina differunt ſpecie: ita corpus naturale formaliter ſub his terminis eſt diviſibile in diverſa ſcibilia formaliter, & de illo ſub hac ratione ſumpto formaliter, loquitur D. Thom. non tamen de illo formaliter accepto in ratione mobilis motu naturali, ſub quibus terminis non ponitur ibi.

Poteramus etiam dicere, quod inter Phyloſophiam, & Mathematicas inveniuntur quædam ſcientiæ inter mediæ participantes aliquid ab extremis, qualis eſt Muſica, quæ participat à Phyloſophia aliquid ſenſibile, ſcilicèt, rationem ſonori, & ab alia participat partem objecti, videlicèt numerum. Et perſpectiva participat ab objecto Phyloſophiæ aliquid ſenſibile, ſcilicèt rationem viſualis, & ab alia partem objecti, ſcilicèt lineam: & ideò corpus naturale ſecundum quod commune eſt ad objecta harum ſcientiarum dividitur in diverſa ſcibilia formaliter, & de illo prout ſic ſine ullo inconvenienti poterat explicari D. Th.

2. Arg. auth. etiam D. Th. in eodem lib. lect. 25. aſſerentis: *Quod animal eſt ſpecies corporis naturalis. Et ideò ſcientia de animalibus eſt ſub ſcientia naturali.* Sed hoc ſalvari non poteſt, niſi ſcientia de animalibus, ſit ſpecies ſcientiæ naturalis: ſicut animal eſt ſpecies corporis naturalis: ergò Phyloſophia naturalis diverſas ſpecies habet.

Reſp.

Reſp. explicando cauſalem, ly *ideò* dicente continentia tractatus particularis ſub tractatu communi: conc. cauſalem. Dicente continentiam ſpeciei ſub genere ſuo: nego cauſalem maj. minor. & conſeq. Ad eandem namque ſcientiam Phyloſophiæ, ad quam pertinet agere de ratione communi entis mobilis naturalis, pertinet etiam agere de particularibus ſub illa contentis. Et ſicut mobilia particularia continentur ſub mobili naturali in communi: ita tractatus de mobili particulari continetur ſub tractatu de mobili in communi: non quidem ut ſpecies diverſa; ſed ut tractatus particularis, & de objecto particulari intra eandem rationem formalem, quia tractatur de ratione communi. Et hoc, & non aliud D. Th. intendit.

Sed contra Quia D. Th. ideò probat ſcientiam de animalibus contineri ſub ſcientia naturali: quia animal eſt ſpecies corporis naturalis. Sed animal eſt vera ſpecies corporis naturalis: ergò ſcientia de animalibus eſt vera ſpecies ſcientiæ naturalis.

Reſp. neg. conſeq. Nam ex quo animal ſit ſpecies corporis naturalis ſolum intendit D. Thom. inferre in Philoſophia debere dari tractatum particularem de animalibus; non tamen tractatum ſpecificè diſtinctum. Eo quod ad eandem ſpecificè ſcientiam pertinet agere de ratione communi, & de ſpeciebus illius. Et quidem ſi diverſitatem ſpecificam tractatus intenderet D. Thom. conſequentia ipſius bona non eſſet. Quod non eſt aſſerendum. Conſequentiam autem non forè bonam patet. Quia ſubſtantia continetur ſub ente, tanquam ſub ratione analoga: ergò tractatus de ſubſtantia in Metaphyſica analogicè continetur ſub tractatu de ente in communi, non eſt bona conſequentia. Et etiam juxta adverſarios Anima vegetativa continetur tanquam, vera ſpecies ſub anima in communi: ergò tractatus de Anima vegetativa eodem modo continetur ſub tractatu de Anima in communi, bona conſequentia non eſt. Siquidem ipſi negant tractatum de Anima eſſe tantum genericè unum.

3. Arg. Phyſica agit de corpore corruptibili, & etiam de cœlo, quod incorruptibile eſt. Sed corruptibile, & incorruptibile non habent univocam convenientiam, teſte Ariſt.

Ariſt. 1. Metaph. in ultimo texto : ergò objecta Phyloſophiæ non habent univocam convenientiam. Conſequenterque phyſica ſpecificè una non eſt.

Conf. Motus Cœli terminatur ad ubi : alij verò motus terminantur ad alias qualitates ſenſibiles, ſicut motus alterationis. Sed motus ſpecificè diſtinguuntur per terminos ſpecie diſtinctos : ergò mobile motu locali, & mobile motu alterationis ſpecificè differunt. Et conſequenter phyſica, quæ de illis diſputat una non eſt.

Reſp diſt. min. Univocam in eſſe phyſico: conc. min. In eſſe ſcibilis: neg. min. & conſeq. Quæ namque in genere entis univocè non conveniunt, poſſunt in alio genere univocè convenire. Sicut ſubſtantia, & accidens in eſſe ſcibilis à Metaphyſica conveniunt univocè, & in eſſe entis tantum habent analogam convenientiam. Et eodem modo corruptibile, & incorruptibile conveniunt univocè in eſſe ſcibilis à Phyloſophia, licèt in eſſe entis analogicè conveniant. Addimus tamen, quod ſecundum rationem corruptibilis, & incorruptibilis conveniunt analogicè; in ratione tamen corporis, & ſubſtantiæ, & mobilis naturalis habent univocam convenientiam.

Ad conf. reſp. objectum Phyloſophiæ eſſe ens mobile motu ſenſibili naturali, in quo conveniunt univocè mobile motu locali, & mobile motu alterationis : quod autem talis motus terminetur ad ubi, & alius ad qualitates ſenſibiles de materiali ſe habet comparativè ad habitum Phyloſophiæ, quamvis tales motus inter ſe ſpecificè diſtinguantur. Sicut diffinitio, diviſio, & argumentatio diſtinguntur ſpecificè inter ſe; & tamen comparativè ad habitum Logicè habent convenientiam univocam.

4. Arg. Objecta Phyloſophiæ habent inæqualem abſtractionem à materia : ergò ſpecie diſtinguuntur : Quia diverſa abſtractio conſtituit objecta ſpecificè diverſa. Antec. prob. Anima rationalis magis abſtrahit à materia, quam objecta ſenſibilia. Siquidem Anima rationalis ſpiritualis eſt : ergò objecta Phyloſophiæ habent inæqualem abſtractionem.

Reſp. diſt. 2. ant. Magis abſtrahit exceſſu materialitèr ſe habente : conc. ant. Formalitèr ſe habente : neg. ant. Quia illa major abſtratio competit Animæ materialitèr, & in

eſſe

eſſe entis: Formaliter tamen prout à Phyloſophia conſi deratur etiam concernit materiam ſenſibilem. Phyloſophia namque conſiderat Animam rationalem, quatenùs in formar corpus, & à ſenſibus in intelligendo dependet: & quamvis in conſideratione ſua magis abſtrahat, & minus concernat de materia ſenſibili; hæc tamen abſtractio determinatur per eadem principia formaliter propria aliorum objectorum. Et ita comparativè ad Phyloſophiam de materiali ſe habet.

Dices Phyſica agit de Anima rationali, ut intellectiva eſt. Eo quod agit de illa, quatenùs eſt forma, *quæ vivimus, ſentimus, loco movemur, & intelligimus*; ſed anima rationalis, ut intellectiva eſt, non concernit materiam ſenſibilem; ſed potiùs abſtrahit ab omni materia, & ſuprà omnia ſenſibilia elevatur: ergò illius abſtractio de formali ſe habet comparativè ad habitum Phyloſophiæ.

Reſp. diſt. maj. Ut intellectiva eſt dependenter à ſenſibus: conc. maj. Ut intellectiva abſolutè: neg. maj. & diſt. min. Ut intellectiva abſolutè: conc. min. Ut intellectiva dependenter à ſenſibus: neg. min. & conſeq. Quia Anima rationalis intelligit dependenter à ſenſibus. Et ita concernit materiam ſenſibilem formaliter præſuppoſitivè, ſecundum quàm conſiderationem attingitur à Phyloſophia: quamvis etiam attingatur à Phyloſophia formaliter, quatenus eſt radix aliorum motuum naturalium vitalium, qui in homine reperiuntur. Et hæc replica ſolvenda eſt à contrarijs aſſerentibus, animam rationalem contineri ſub abſtractione generica Phyloſophiæ. Et tamen in eorum ſententia abſtractio generica Phyloſophiæ eſt à materia ſingulari cum concernentia materiæ ſenſibilis: ergò anima rationalis materiam ſenſibilem concernere debet.

5. Arg. Ad diverſam ſcientiam pertinet agere de quantitate in communi, & de illa in particulari. Siquidem quantitas in communi pertinet ad Metaphyſicam, & quantitas in particulari pertinet ad Mathematicas: ergò etiam ens mobile in communi, & mobile particulare pertinent ad ſcientias ſpecificè diverſas. Conſequentia à paritate nota eſt.

Confirmatur primo. Ens in communi ſpecificat habitum Metaphyſicæ: & entia par-

particularia ſpecificant aliàs ſcientias: ergò idem de mobili in communi, & in particulari dicendum.

Confirmatur ſecundò. Senſibile commune ſpecificat potentiam diverſam ab ea, quam ſpecificat ſenſibile particulare. Nam ſenſibile commune ſpecificat ſenſum communem: alia verò ſenſibilia pertinent ad ſenſus particulares: ergò idem quod priùs.

Reſpondetur ad argumentum negando conſeq. Ratioque diſcriminis ea eſt. Quod ratio communis, & particularis pertinent ad eandem ſcientiam, quando continentur ſub eadem abſtractione formali: ſicut ens mobile in communi, & ens mobile in particulari continentur ſub eadem abſtractione Phyloſophiæ, ſub abſtractione, videlicèt, à materia ſingulari cum concernentia ſenſibilis. Et ideò pertinent ad eandem ſpecificè Phyloſophiam. Quantitas verò particularis, & communis important abſtractiones diverſas, ut §. ſeq. dicemus. Et etiam ens in communi, & entia particularia habent formalitèr abſtractiones diſtinctas. Et ita ad diverſas pertinent ſcientias. Per quæ patet ad 1. confir.

Ad 2. confir. neg. conſeq. Et diſparitas eſt. Quod ſenſibile commune & ſenſibile particulare habent diverſas rationes formales, & diſtinctam abſtractionem à materia. Nam ſenſibile commune perfectius eſt, & modo perfectiori habet immutare potentiam ſenſitivam. Et ideò mirum non eſt, quod ſpecificet potentiam diſtinctam formaliter. Oppoſitum autem in ente mobili in communi, & in particulari reperiri probavimus.

§. IV.

Fundamentum principale contrariorum diluitur.

TAndem arg. Tractatus de Cœlo, & tractatus de Generatione ſpecificè diſtinguuntur: ergò phyſica, ut ad omnes partes extenditur, ſpecificè una non eſt. Prob. ant. In objectis horum tractatum reperitur abſtractio diverſa. Siquidem tractatus de Generatione plures concernit qualitates ſenſibiles, à quibus abſtrahit tractatus de Cœlo. Quia ens generabile reſpicit qualitates ſenſibiles alterantes, & corrumpentes, quas non habet Cœlum, quod eſt in corruptibile: ergò tractatus de Cœlo, & tractatus de Generatio-

ratione ſpecificè diſtinguuntur.

Reſpond. abſtrationes illas Cœli, & entis generabilis, & aliorum objectorum ad Phiſicam pertinentium non eſſe diſtinctas formaliter; ſed tantum eſſe materialiter diverſas.

Contra tamen eſt. Ideò talis abſtractio non eſſet diverſa formaliter; quia continetur intra abſtrationem à materia ſingulari, quæ eſt ratio ſub qua Phyloſophiæ; ſed hoc non tollit diverſitatem formalem: ergò talis abſtractio formaliter diverſa eſt. Probatur minor. Intra eandem abſtractionem à materia ſingulari eſt dabilis abſtractio diſtincta formaliter: ergò continentia prædicta non tollit diverſitatem formalem. Prob. antec. Intra eandem abſtractionem à materia ſenſibili datur abſtractio formaliter diſtincta, videlicet abſtractio Geometriæ, & Ariſmethicæ, quarum utraque abſtrahit à materia ſenſibili, & utriuſque abſtractio eſt diſtincta formaliter: ſicut etiam iſtæ ſcientiæ formaliter diſtinguntur: ergò etiam erit dabilis abſtractio formaliter diverſa intra eandem abſtractionem à materia ſingulari.

Solutionem tamen huius argumenti, & diſcrimen pariratis aſsignavit Ang. Doct. 1. poſter. lect. 4. ubi loquens de ſcientiarum diverſitate, hæc verba ſubjungit: *Sicut autem formalis ratio viſibilis ſumitur ex lumine, per quod color videtur, ita ratio formalis ſcibilis accipitur ſecundum principia ex quibus aliquid ſcitur. Et ideò quamvis ſint aliqua diverſa ſcibilia per ſuam naturam; dummodo per eadem principia ſciantur, pertinent ad unam ſcientiam. Quia non erunt jam diverſa, in quantum ſunt ſcibilia. Sunt enim per ſua principia ſcibilia.* Et paulo infra addit; *Si verò aliqua ſint eadem ſecundum naturam, & tamen per diverſa principia ſciantur, manifeſtum eſt quod ad diverſas pertinent ſcientias.* Ex quibus conſtat abſtractiones, & objecta eſſe diſtincta formaliter, quando determinantur per diverſa principia; ſecus autem quando per eadem principia determinantur. Cumque abſtrationes Geometriæ, & Ariſmethicæ determinentur per diverſa principia, non autem abſtractiones objectorum Phyloſophiæ. Conſequens ſit illas abſtractiones eſſe diverſas formaliter; non tamen in Phyloſophia.

Sed inſtabis. Abſtractio non poteſt

poteſt determinari per principia: ergò nulla eſt ſolutio. Probat. antec. Abſtractio eſt ratio formalis ſpecificativa ſcientiæ, & conſtitutiva objecti. Sed una ratio formalis non determinatur per aliam: ergò abſtractio non determinatur per principia.

2. Inſt. Etiam in Philoſophia dantur principia diſtincta formaliter: ergò abſtractiones in objectis Philoſophiæ erunt diſtinctæ formaliter, ſi ſolutio data vera eſt. Prob. antec. 1. Diffinitiones ſunt media, & principia demonſtrandi proprietates. Sed in Philoſophia dantur definitiones formaliter diſtinctæ. Nam definitio materiæ, ſicut, & ipſa materia eſſentialiter diſtinguitur à forma, & ejus diffinitione. Et idem in pluribus alijs objectis: ergò dantur in Philoſophia principia diſtincta formaliter.

2. prob. antec. Intra eandem abſtractionem à materia ſenſibili dantur principia diſtincta formaliter: ergò etiam in Philoſophia intra eandem à materia ſingulari poterunt dari principia formaliter diverſa.

Reſp. ad 1. repl diſt. antec. Determinari formaliter, & quantum ad rem, ſicut per formam diverſam: conc. ant. Quantum ad explicari: nego antec. & conſeq. Abſtractio namque ſpecificativa ſcientiæ eſt ipſa immaterialitas principiorum, & non eſt forma diverſa. Aliàs (ut benè probat argumentum) non poſſet per principia determinari. Quia una ratio formalis per aliam determinari non poteſt. De hac tamen abſtractione, vel immaterialitate principiorum aſſerimus per principia determinari quantum ad explicari, & quo ad nos. Nam talem immaterialitatem eſſe unam cognoſcimus ex eo, quod principia eadem ſint. Quando autem principia eadem ſint, ſtatim infrà dicemus.

Ad 2. repl. reſp. Diffinitiones objectorum Philoſophiç eſſe tantum materialiter diverſas: non tamen formaliter in ratione principij inferendi concluſiones. Quia omnia iſta principia non inferunt, niſi quatenùs derivantur ex uno tertio, videlicèt principio communi naturæ, cui ſubordinantur, & in quo conveniunt ad inferendas concluſiones Philoſophiæ.

Dices. Non eſſe dabile tertium, ex quo proprietates materiæ, & formæ ſimul inferantur. Quia non eſt dabile tertium, in quo omnes proprie-

prietates iſtæ radicentur. Alias proprietates formæ poſſent in materia: & proprietates temporis poſſent radicari in eſſentia loci; ergò non eſt dabile tertium; ex quo principia demonſtrandi proprietates deriventur, & in quo conveniant formaliter. Præterquamquod diffinitiones ſunt veritates immediatæ: ergò non ſubordinantur alicui tertio communi. Aliàs veritas immediata poſſet probari per aliud. Et conſequenter immediata non eſſet.

Reſp. tamen facilè, diſt. antec. Ex quo inferatur *ut quod*: conc. antec. *Vt quo*: neg. antec. & conſeq. Licèt namque non ſit dabile aliquod tertium, quod ſit tertium continentiæ, & radicet, *ut quod* proprietates cujuſcumque objecti Phyloſophiæ, nec diffinitiones peculiares ſubordinentur tali tertio: aliàs non eſſent veritates immediatæ; eſt tamen dabile tertium convenientiæ, quod inferat *ut quo*, vel ſit ratio formalis, in qua diffinitiones inferentes convenientiam habent. Quia diffinitiones peculiares non inferunt peculiares proprietates, niſi quatenùs conveniunt in ratione communi naturæ, & radicis, quæ formalitas per ſe primò inſpicitur à Phyloſophiâ, & tollit diverſitatem formalem objectorum comparativè ad habitum, licèt inter ſe formaliter diverſa ſint. Et quidem ſi replica convinceret, in quocumque tractatu particulari darentur plura principia diſtincta formaliter, & habitus etiam diverſi. Siquidem in quocumque tractatu dantur plura objecta, & plures diffinitiones, quæ non ſubordinantur alicui tertio, ex quo proprietates diverſorum objectorum inferantur.

Ad 2. prob. ant. repl. principalis, neg. conſeq. Nam principia ſunt formaliter diverſa, quando unum non derivatur ex alio, nec utrumque ex uno tertio: & hoc contingit intra abſtractionem à materia ſenſibili reſpectu Ariſmethicæ, & Geometriæ; non tamen intra abſtractionem à materia ſingulari, quæ eſt propria Phyloſophiæ. Et ideò intra primam abſtractionem dantur principia diſtincta formaliter, non tamen intra ſecundam.

Sed inſt. Principia Ariſmeticæ, & Geometriæ derivantur ex uno tertio, & in ipſo conveniunt; & tamen ſunt diſtincta formaliter: ergò quamvis principia contenta intra abſtractionem à materia ſingulari propria Phyloſo-

ſophiæ deriventur ex uno tertio, poterunt diſtingui formaliter. Mai. prob. 1. Nam quantitas continua, & diſcreta, quæ ſunt obiecta Ariſmethicæ, & Geometriæ ſubordinantur quantitati in communi, & ex illa derivantur: ergo principia Ariſmethicæ, & Geometriæ derivantur ex uno tertio.

2. Prob. mai. Hoc principium, *ſi ab æqualibus æqualia demas: quæ remanent, ſunt æqualia.* Eſt principium commune Ariſmethicæ, & Geometriæ: ergo principia utriuſque ſcientiæ derivantur ex uno tertio, & in ipſo conveniunt.

Reſp. neg. mai. & ad 1. prob. diſt. ant. Quantitati in communi materialiter, & in eſſe entis: conc. ant. Formaliter: neg ant. & conſeq. Quia quantitas continua, & diſcreta non conſiderantur ab Ariſmethica, & Geometria materialiter ſecundum rationem extenſionis, ſecundum quam conſiderationem ſubordinantur quantitati in communi, & ipſa eſt cõmunis ad utramque; ſed potiùs conſiderantur ab Ariſmethica, & Geometria ſecundum rationem menſuræ cõtinuæ, & diſcretæ: in qua ratione formaliter diſtinguuntur, & reducuntur ad prima principia diverſa. Eo quod primum principium menſurans diſcretè eſt unitas, quæ eſt principium numeri: primum verò principium menſurandi continuè eſt punctum, quod eſt primum principium in quantitate continua: quæ principia ſecundum rationem iſtam menſurandi continuè, & diſcretè prima ſunt. Secus autem principia Phyloſophiæ, quę conſiderantur ab illa ſecundum rationem naturæ, in qua omnia principia naturalia habent convenientiam formalem.

Ad 2 prob major. reſp. diſt. ant. Commune remotum: conc. ant. Commune proximum, & in quod fit reſolutio intra genus particulare ſcibilis: nego ant. & conſeq. Licèt namque prædictum principium ſit commune Ariſmethicæ, & Geometriæ; eſt tamen valdè remotum: prima verò principia intra genus particulare ſcibilis per ſcientias prædictas ſunt unitas, & punctum, & alia ex his derivantur. Undè principia Ariſmethicæ, & Geometriæ non derivantur ex aliquo principio proximo reſpectu utriuſque ſcientiæ, ſed tantum ex aliquo principio remoto, à quo unitas, vel diverſitas ſcientiæ non ſumitur. Aliàs omnes ſcientiæ eſſent ejuſdem ſpeciei. Siquidem ad omnem ſcientiam dantur principia communia remota, *ut quæ ſunt eadem uni tertio, &c. & quodlibet eſt, vel non eſt.* Et hæc de articulo iſto, & de Proœmialib. Phyloſophiæ ubi articulus præcedens ad Phyloſophum applicanda.

LIBER PRIMUS.

PHYSICORUM.

ANTIQUIORES Philoſophi, quibus propter excellentiam ingenij orbis revelavit occulta, apperta ſunt ſecretiora, quibuſque univerſi conditor dedit myſteriorum intellectum, & non negavit ipſa natura tributum; plura dixerunt circa principia naturæ ſine ordine doctrinæ. Ariſtoteles verò illorum Princeps primus omnium modum procedendi ordinavit, & ordinem ab omnibus obſervandum aſſumpſit. Nam in hoc primo libro per novem capita de principijs entis naturalis in communi, & poſtmodum in particulari, de materia videlicèt, forma, & ipſius privatione latiſsimè diſputavit, & Philoſophiæ naturali initium fœliciſsimum dedit: quem modum ſcribendi obſervare intendimus, dùm nos ad ingreſſum Philoſophiæ præparamus. Quia notitiam rerum in communi præmitendam eſſe cognoſcimus, antequam de particularibus differamus. Horum namque intelligentiam neceſſariam eſſe ad cognitionem claram, & diſtinctam entis mobilis ſufficienter ſcimus. Per partes enim obſcuritas in lucem tranſit, & lux obſcuritatem excludit: itaque umbrarum terminum ſupergreſſi dictabimus claritate præcincti. Si tamen non deſit Thomas, cujus lux alma Eccleſiam cingit, tenebraſque reſolvit: ad cujus præſentiam Hæreticorum ingemiſcunt ſilvæ tremunt toto pulvere campi, qui ſemper inter ſapientes canit victorias, & fert ad ſydera palmas. De cujus fortitudine ſit.

QUÆSTIO UNICA.

De Principijs in communi.

ARTICULUS I.

Utrùm principia entis naturalis ſint plura quam tria?

§. I.

Aliquibus ſuppoſitis ſtatuitur negativa concluſio.

IN Art. præſenti ante omnia præmitenda eſt differentia inter principium, & cauſam, & elementum. Nam principium eſt illud, à quo aliquid procedit. Sicut Pater in divinis eſt principium reſpectu filij procedentis ab ipſo, de quo D. Th. 1 *p. q.* 33. Cauſa verò ſupra rationem principij addit veram dependentiam. Et ideò Pater in divinis cauſa non eſt reſpectu filij. Quia filius non verè dependet

det à Patre. Elementum autem ſuprà utrumque ſupperadit eſſe aliquid intrinſecum. Undè elementum eſt intrinſecum principium, & intrinſeca cauſa. Ex his conſtat latius patere principium, quam cauſam: & cauſam, quam elementum. Quia plùs ad cauſam, quam ad principium, & plùs ad elementum, quam ad utrumque requiritur. Privatio namque eſt principium entis naturalis; non tamen cauſa. Et finis, & cauſa efficiens ſunt verè cauſæ; nō tamen ſunt elementa. Eo quod non intrinſicè, ſed extrinſicè tantū comparantur ad effectū. Modo autem ſolùm loquimur de principio, in quadam determinata acceptione, & quatenùs ex illo fit ens naturale. Et in hoc ſenſu principia Ariſtoteles diſſinivit eſſe illa: *Quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, ſed omnia fiunt ex ipſis.*

2 Not. eſt, diffinitionem prædictam eſſe bonam. Quod ſuadet authoritas Ariſtotelis 1. Phyſicor. textu 24. talem diffinitionem aſſignantis.

Prob. tamen particulas explicando. Per primam namque particulam, *quæ non fiunt ex alijs*, denotatur talia principia eſſe prima. Quia ſi fierent ex alijs prima non eſſent. Sicut omnia compoſita non ſunt prima principia: quia ſemper ex alijs fiunt. Per alteram particulam, *neque ex alterutris*, ſignificatur unum principium ex alio fieri non poſſe, ad diſtinctionem aliorum, quæ ex alijs componuntur. Per ultimam denique particulam, *ſed omnia fiunt ex ipſis*, indicatur omnia entia naturalia fieri ex prædictis principijs. Ex qua quidem explicatione conſtat eſſe bonam diffinitionem traditam principiorum.

Dices 1. Diffinitionem iſtam competere Deo, qui tamen non eſt principium entis naturalis: ergo competit alijs à definito. Et conſequenter bona non eſt. Prob. ant. Deus ex nullo fit, & omnia fiunt ex Deo: ergo convenit illi diffinitio.

Reſp. tamen facilè. Omnia fieri ex Deo tanquàm à quo. Quoniam ex ipſo ſunt omnia; non tamen ex ipſo tanquam ex quo, vel ex parte componente, aut termino à quo fieri, aut mutationis ipſorum. In quo ſenſu intelligitur illa particula *ex* in diffinitione poſita. Et ita Deo non competit aſſignata diffinitio.

Dices 2. Forma materialis eſt principium entis naturalis. Et tamen fit ex materia. Quia ex illa educitur, & in ipſa recipitur: ergo illa particula *neque ex alterutris* non competit omni definito. Ac proinde diffinitio bona non erit.

Rurſus etiam, forma fit ex privatione. Nam unumquod-

que ſit ex non tali, ſicut ignis ex non igne, vel ex privatione ignis. Sed privatio etiam eſt principium: ergo unum principium ex altero fit. Et conſequenter non benè ponitur prædicta particula.

Reſp. tamen formam fieri ex materia, tanquam ex ſubiecto, in quo recipitur, & ex quo educitur; non tamen fit ex materia, tanquam ex parte intrinſeca componente: in quo ſenſu intelligitur aſsignata particula. Similiter etiam forma fit ex privatione tanquam ex termino à quo; non tamen tanquam ex parte intrinſeca componente. Et ita nunquam fit ex alio eo modo, quo fieri ex alijs per diffinitionem principiorum excluditur.

2. Reſp. Ad utramque. Quod forma propriè loquendo non fit. Nam fieri ordinatur ad eſſe. Et ideò ſicut forma propriæ non habet eſſe: ita propriè loquendo non fit; ſed ſolùm conſtituit compoſitum factum. Et propterea fieri ex alijs propriè, quomodo intelligitur in diffinitione principiorum, non competit formæ in ordine ad privationem, vel in ordine ad materiam.

His ergo præſuppoſitis.

*** *** ***
*** *** ***

§. II.

Statuitur noſtra Concluſio.

Principia entis naturalis in fieri non ſunt plura quam tria.

COncluſionem iſtam probamus. Quia ad generationem entis naturalis ſufficit terminus à *quo*, & terminus ad *quem*, & *ſubiectum* utriuſque: ergo ad fieri entis naturalis non concurrunt plura principia, quam hæc tria, privatio videlicèt, quæ eſt terminus à *quo*, & forma, quæ eſt terminus ad *quem*, & materia, quæ eſt utriuſque *ſubiectum*. Antec. probat. Ad quamcumque mutationem ſufficiunt terminus à quo, & terminus ad quem, & ſubiectum utriuſque. Nam hæc tria ſufficiunt, ut ſubiectum mutabile verè tranſeat de non eſſe, vel de privatione formæ ad formam habendam: ergo etiam ad generationem entis naturalis ſufficiunt terminus à *quo*, & terminus ad *quem*, & *ſubiectum* utriuſque, quod verè per generationem mutatur.

Reſpondebis. Generationem non eſſe per ſe mutationem. Quia plures aſſerunt eductionem formæ elementorum, quæ potuit contingere in prima eorum productione, futuram eſſe generationem; non tamen futuram

turam eſſe veram mutationem. Eo quod ibi non intercederet vera privatio. Et conſequentèr, ex quo ad omnem mutationem ſufficiant tria principia aſsignata, non infertur eadem ſufficere ad generationem, quæ ſolum peraccidens mutatio eſt.

Contra tamen eſt. Quia licèt juxta ſententiam admiſſam generatio ex conceptu communi ſit peraccidens mutatio; generatio tamen, quæ fit virtute naturalis agentis, eſt mutatio per ſe: ergo tria principia, quæ ſufficiunt ad mutationem, etiam ſufficient ad generationem, quæ fit virtute agentis naturalis, de qua tantum loquimur in præſenti. Prob. antec. Generatio, quæ fit virtute naturalis agentis per ſe connectitur cum alteratione. Sed per alterationem diſponitur materia ad receptionem unius formæ præ alia, & conſequentèr in ipſa materia propriori ad generationem ſubſequtam invenitur vera privatio, ac proinde vera reperitur mutatio in ipſa materia, dum per generationem tranſit de tali privatione ad formam habendam: ergo generatio, quæ fit virtute naturalis agentis, per ſe, & eſſentialitèr eſt mutatio.

*** *** ***
*** *** ***

Mag. Froylan.

§. III.

Argumentis contra concluſionem iſtam occurritur.

ARG. 1. Alia principia prætèr aſsignata requiruntur ad fieri entis naturalis: ergo principia entis naturalis in fieri ſunt plura quam tria. Prob. antec. primo. Ad fieri entis naturalis requiritur ex parte termini ad quem privatio formæ corruptæ: & etiam ut fiat ens naturale, requiritur generatio. Sed hæc non aſsignantur inter principia: ergo alia præter aſsignata requiruntur.

2. Prob. antec. Partes ex quibus materia componitur, in probabili ſententia, requiruntur ad fieri entis naturalis, & in ipſo jam facto permanet: & rurſus modus unionis, qui requiritur in ſententia probabili, ut uniantur forma, & materia, per ſe etiam ingreditur ad fieri entis naturalis. Deindè in ſententia etiam probabili, forma totalis habet rationem naturæ; & conſequentèr eſt verè principium: ergo alia principia ultrà aſsignata requiruntur.

Reſp. ad arg. neg. antec. & ad 1. prob. dicimus: quod ſicut eſt peraccidens, quod in materia præceſſerit forma; ita privatio formæ corruptæ ſe habet peracci-

accidens ex parte termini ad quem. Et ideò per ſe nec ad mutationem, nec ad generationem requiritur. De generatione autem concedimus neceſſariam eſſe, ſed ſolum ſe habet ut motus, & via ut medium neceſſarium, ut uniantur, & cauſent materia, & forma: illud autem quod tantum ſe habet ut motus, & via non eſt verè principium entis naturalis.

Ad 2. prob. ant. reſp. Partes materiæ eſſe ejuſdem ſpeciei conſtituentes unam, & eandem materiam per modum unius receptivam formæ, & materiam per ipſas non conſtitui in ratione mobilis. Et ita tales partes rationem principij non habent. De modo etiam unionis aſſeximus eſſe medium, & nexum, ut uniantur partes, & principia; non tamen eſſe partem. Et ideò non eſſe principium.

In tertio exemplo major eſt difficultas. Quia forma totalis verè fit ex alijs, quod eſt contra rationem principij: & inſuper eſt quid diſtinctum realiter tàm à materia, quàm à forma diſtinctè. Conſequenter ſi pro principio aſſignatur, videntur plura quàm tria. Quia tamen ſententia ſaltim extrinſecè probabilis eſt.

Reſpondetur. Formam totalem non ponere in numero cum principijs aſſignatis. Quia tantum importat materiam, & formam unitas, & ab illis ſimul ſumptis realiter diſtincta non eſt. Si autem comparetur ad illas diviſivè, realiter ab illis diſtinguitur: ſed à forma diſtinguitur ratione materiæ, & à materia ratione formæ. Quapropter ab uno principio ſolum differt ratione alterius. Et propterea non ponit in numero cum principijs aſſignatis.

Secundo, & facilius poterat reſponderi, nos in præſenti non determinare omnia principia, quæ habent rationem naturæ, inter quæ admiſſa ſententia numerat formam totalem; ſed ſolum determinare principia illa, quæ per ſe requiruntur ad fieri, & ex quibus reſultat ens naturale, tanquam ex partibus intrinſicè componentibus, & ut ex termino à quo mutationis, & fieri. Cumque forma totalis nec ſit pars reſpectu ſui ipſius, nec terminus à quo mutationis. Indè fit principia entis naturalis, de quibus loquimur, non eſſe plura quam tria.

2. arg. Ad fieri entis naturalis per ſe requiruntur diſpoſitiones ad formam introducendam: per ſe etiam requiritur ex parte termini à quo forma corrupta; eò quod generatio unius eſt corruptio alterius: ergo alia principia præter aſſignata requiruntur.

Reſpondent aliqui. Diſpoſitiones non ponere in numero cum materia. Quia ex partæ

mate-

materiæ ſe habent illam præparantes ad novam formam. Et ita licèt diſpoſitiones habeant rationem principij, non indè infertur, quod dentur plura quam tria.

Hæc tamen ſolutio, quamvis ſufficienter argumento ſatisfaciat; vera tamen non eſt. Quia principia entis naturalis tantum ſunt forma, & privatio, & ſubiectum utriuſque. Sed diſpoſitiones non ſunt forma, vel privatio, nec ſubiectum utriuſque. Nam in diſpoſitionibus, nec forma, nec privatio recipitur: ergo diſpoſitiones rationem principij non habent.

2. Doctrinæ falſitas ſuadetur. Quia diſpoſitiones præparantes ad formam ignis v.g. ſunt verè, & propriè accidentia. Sed forma accidentalis non poteſt eſſe principium. Quia non habet rationem naturæ: ergo idem quod priùs. Undè tali ſolutione relicta.

Reſp. Diſpoſitiones neceſſario requiri ad fieri entis naturalis; ſolum tamen requiruntur tanquam conditionis ad fieri: & ut materia determinetur potius ad hanc formam, quam ad alteram habendam; non tamen ex illis fit ens naturale tanquam ex partibus, vel termino à quo. Et ita non debent inter principia numerari. Sicut ex parte cauſæ efficientis requiritur applicatio ad agendum; non tamen verè, & propriè numerantur inter cauſas efficientes effectus.

Ad aliam autem prob. imbibitam in principali arg. reſp. Corruptionem non eſſe per ſe intentam à natura. Et quod ignis generetur ex ligno, vel palea eſſe per accidens. Nam ignis per ſe ſolum petit fieri ex non igne. Et ideò forma corrumpta per accidens ſe habet ad mutationem. Et conſequenter inter principia numeranda non eſt. Si enim per impoſsibile daretur generatio abſque corruptione, adhuc eſſet vera mutatio, & principia veræ mutationis habere.

Sed inſt. Datur generatio, quæ per ſe, & formaliter ſupponat corruptionem alterius formæ: ergo forma corrupta per ſe ad fieri entis naturalis requiritur. Prob. ant. Generatio cadaveris per ſe ſupponit corruptionem viventis: & generatio aceti per ſe ſupponit corruptionem vini: ergo antec. verum eſt.

Reſp. tamen facile negand. utrumque ant. Quia forma cadaveris per ſe ſolum fit ex non cadavere: & acetum per ſe ſolum fit ex non aceto, Ariſtotele dicente: quod unumquodque fit ex non tali. Quapropter generatio aceti, & cadaveris ſolum ex conceptu individuali, & materiali ſupponit formam vini, vel viventis, & non ex conceptu individuali per ſe (ut

occurramus replicæ, quæ poterat fieri; ſed ex conceptu individuali præſuppoſitivè, & ut quid antecedentèr requiſitum. Hic autem ſolum aſsignamus principia, quæ per ſe, & formaliter requiruntur. Et ideò formam corruptam inter principia non ponimus.

ARTICULUS II.

Utrùm principia entis naturalis in fieri ſint tria?

§. I.

Statuitur affirmativa concluſio.

PRincipia entis naturalis in fieri eſſe tria Materiam videlicèt, & Formam, & ipſius Privationem docuit Ariſt. in præſenti capit. 6. & Angelicus Præceptor ibidem lect. 13. & hoc idem nos.

Ratione ſequenti probamus. Ea ſunt principia entis naturalis in fieri, quæ per ſe, & formaliter requiruntur ad quancumque veram mutationem. Sed ad veram mutationem tria principia aſsignata requiruntur: ergo tria ſunt principia entis naturalis in fieri. Prob. min. Vera mutatio eſt verus tranſitus de non eſſe formæ ad formam. Sed in tali tranſitu verè importatur non eſſe formæ, vel privatio illius, & ſubiectum quod mutatur: quod quidem eſt materia, & etiam ipſa forma, quæ antecedentèr in materia non erat: ergo ad veram mutationem tria principia aſsignata requiruntur.

Conf. Ad fieri entis naturalis ſecundum doctrinam Philoſophi requiruntur principia contraria, qualia ſunt forma, & illius privatio, quæ ſimul eſſe non poſſunt. Sed contraria hæc debent habere aliquod ſubiectum commune, à quo ſe expellere poſsint: ergo ad fieri entis naturalis requiruntur tria principia, forma videlicèt, & privatio formæ, & ſubiectum, vel materia, in qua forma, & privatio recipiuntur.

Reſpondebis. Principia entis naturalis eſſe in linea ſubſtantiæ. Et conſequentèr non poſſe eſſe contraria. Quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, ſicut dicitur in ejus prædicamento.

Reſpondebis 2. Aliqua non fieri ex ſuo contrario; ſed potius ex ſuo ſimili: ſicut quando ex homine pallido generatur cadaver pallidum, & ex alimento nigro corpus nigrum excrementi generatur, & hujuſmodi alia. Sed tali principio probat Ariſtoteles principia eſſe contraria: quia videlicèt unumquodque fit ex non tali, vel ex ſuo contrario: ergo principia entis naturalis contraria non ſunt.

Utra-

Utraque tamen ſolutio inefficax eſt. Quia contrarietas in præſenti non accipitur ſtrictè, in quo ſenſu ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ſed accipitur latè, pro incompatibilitate rerum. Sed principia ſubſtantialia in hoc ſenſu ſunt contraria. Quia forma, & ejus privatio incompatibiles ſunt: ergo principia entis naturalis in ſenſu, quem intendimus, ſunt contraria.

2. Etiam ſolutio reijcitur. Quia illud principium. *Unumquodque ſit ex non tali, vel ex ſuo contrario*, intelligendum eſt de eo, quod primario fit; non autem de illo quod ſolum fit ſecundario. Sed forma ſubſtantialis, quæ primario fit, ſemper producitur ex privatione contraria: ergo ex illo principio benè infertur principia eſſe contraria.

Addimus. Quod accidentia licèt ſecundario producantur ad productionem ſubſtantiæ, etiam per ſe fiunt ex non tali. Quia ſicut forma ſubſtantialis per ſe fit ex privatione, & ſolum materialitèr, & præſuppoſitivè ſupponit formam corruptam; ita accidentia quandoque ſupponunt accidentia ſibi ſimilia; per ſe tamen, & formaliter ſolum privationem propriam requirunt. Ideò ſicut forma cadaveris ſolum materialitèr ſupponit formam corruptam: ita pallidum ſolum materialitèr ſit ex pallido; & rubrum de rubro, idemque in omnibus alijs.

§. II.

Solvuntur argumenta contra concluſionem iſtam.

ARG. 1. Ariſt. numerat privationem inter principia peraccidens: ergo privatio non eſt principium per ſe requiſitum ad fieri entis naturalis. Rurſus etiam, in fieri Cœlorum, & Elementorum fuit ſimul creata materia cum forma. Quia utraque fuit per eandem actionem producta: ergo ibi non fuit vera privatio, ad quam requiritur materiam præcedere formam. Conſequentèrque privatio non requiritur ad fieri omnis entis naturalis.

Reſp. Privationem vocari ab Ariſtotele principium peraccidens comparativè ad ens naturale in facto eſſe, ad quod privatio non intrat; non tamen eſſe principium peraccidens comparativè ad ipſum in fieri, vel ad ejus mutationem, quæ per ſe, & formaliter eſt tranſitus de non eſſe, vel de privatione formæ ad formam habendam.

Ad alteram prob. ibi inductam reſp. Nos in præſenti ſolum aſſignare principia, quæ per ſe requiruntur ad fieri entis

naturq-

naturalis, quod per generationem producitur; non autem entis naturalis, quod per creationem fit, qualia fuerunt Cœlum, & Elementa in prima ſui productione. Et ratio eſt. Quia creatio eſt productio entis ex nihilo. Et ideò non fit ex præſuppoſito ſubiecto, in quo privatio reperiri poſsit.

Sed inſt. Dabile eſt ens, quod per creationem non fiat, & tamen in ſui fieri privationem non habeat: ergo ad fieri entis, etiam per creationem non facti, non requiritur per ſe privatio. Probatur anteced. Si ex materia non diſpoſita educeretur virtute divina forma, compoſitum reſultans non eſſet per creationem productum. Quia non eſſet de nihilo factum. Et ideò Adamus creatus non fuit: quia de limo terræ formatus. Et tamen in materia illius entis ita producti non daretur vera privatio: eo quod materia non præceſiſſet cum carentia privativa formæ. Siquidem antecedenter, quo tempore poterat eſſe privatio, non erat materia diſpoſita ad talem formam habendam: ergo dabile eſt ens etiam per creationem non factum, ad cujus fieri privatio requiſita non fit.

Reſp. tamen facile. Nos in præſenti ſolum loqui de ente producto, non virtute divina; ſed virtute naturalis agentis: illud autem ens, de quo replica procedit, non eſſet factum virtute agentis naturalis. Nam agens naturale ſolum de materia antecedenter diſpoſita poteſt educere formam.

2. Arg. Forma ſubſtantialis non eſt principium entis naturalis in fieri: ergo non requiruntur tria principia aſsignata. Prob. ant. Forma ſubſtantialis eſt terminus ad quem generationis: ergo non eſt principium entis naturalis in fieri. Nam ideò compoſitum principium non eſt: quia eſt terminus ad quem generationis. Et conſequenter, ſi hoc idem habet forma, non erit principium.

Reſp. Compoſitum eſſe terminum ad quem, non quidem ſimplicem ſicut forma; ſed compoſitum ex alijs tanquam ex partibus; quod forma non habet. Et ideò excluditur à ratione principij, non verò forma.

3. Arg. Privatio eſt aliquid rationis. Sed ens rationis non poteſt eſſe principium entis realis, qualis eſt generatio ſubſtantialis, vel compoſitum id fieri: ergo privatio principium generationis non eſt.

Reſp. diſting. mai. Privatio ſumpta formaliter: conc. mai. fundamentaliter ſumpta: nego mai. & conc. min. neg. conſeq. ſubdiſt. mai. Licèt namque privatio formaliter ſumpta ſit ens rationis, & ideò prout ſic non

poſsit

poſsit eſſet principium; fundamentaliter tamen ſumpta privatio eſt carentia realis formæ in ſubiecto apto ad illam habendam: & ſecundum iſtam rationem eſt principium entis naturalis in fieri.

Sed inſt. Privatio fundamentaliter ſumpta non ponit in numero cum materia: ergo ſi prout ſic eſt principium, non erunt tria principia. Prob. ant. Materia eſt principium generationis, ut excludit omnem formam. Quia prout ſic eſt proximè capax novæ formæ; ſed materia, ut excludit omnem formam non ponit in numero cum privatione formæ fundamentaliter ſumpta, neque è contra: ergo privatio fundamentaliter ſumpta non ponit in numero cum materia.

Reſp. neg. antec. Ad probat. diſt. mai. Excluſione connotata neceſſario: conc. mai. Excluſione conſtituente materiam in ratione principij: neg. mai. & ſub eadem diſt. min. neg. conſeq. Licèt namque materia non ſit principium generationis, niſi quatenùs excludit omnem formam; excluſio tamen formæ ſolum de connotato requiritur, ut materia ſit principium: quatenùs unum principium eſſentialiter connotat aliud: ipſa verò materia per ſuam ſolam entitatem tanquam per rationem formalem conſtituitur in ratione principij. Inſtantia eſt in ipſa forma, quæ non eſt principium, niſi quatenùs connotat privationem ex qua fit; & tamen eſt principium à privatione diverſum.

4. Arg. Privatio opponitur cum generatione; ergo non eſt principium ipſius generationis. Quia principium nequit opponi cum eo, cujus eſt principium. Sicut punctum indiviſibile, quod eſt principium lineæ, non opponitur cum ipſa. Prob. ant. Privatio deſtruit generationem: ergo opponitur cum illa. Prob. ant. Privatio deſtruit formam conſtituentem inadæquatè generationem in ratione mutationis: Nam mutatio eſſentialiter conſtituitur per formam, tanquam terminum ad quem: ergo deſtruit generationem. Quia deſtruens conſtitutivum deſtruit etiam conſtitutum.

Conſ. Motus non dicitur naturalis per ordinem ad privationem: ergo privatio non eſt principium entis naturalis. Alias motus diceretur naturalis per ordinem ad ipſam. Eo quod motus in tantum eſt naturalis, in quantum conformis eſt ſuo naturali principio.

Conſ. 2. & præcedens doctrina explicatur. Quia principium debet eſſe in eodem inſtanti cum principiato. Sed privatio in inſtanti generationis non eſt: ergo non poteſt eſſe prin-

principium illius. Prob. min. In inſtanti, in quo eſt generatio, eſt etiam forma ſubſtantialis. Sed privatio, & forma non poſſunt eſſe ſimul: ergo privatio in inſtanti generationis non eſt.

Reſp. diſt. ant. Cum generatione quantum ad ſimultatem eſſendi: conc. ant. Quantum ad eſſendi neceſsitatem: neg. ant. & conſeq. Privatio namque, cum ſit terminus à quo per generationem de relictus, & excluſus, non poteſt eſſe ſimul cum ipſa generatione, ſed opponitur cum illa quantum ad ſimultatem eſſendi; neceſſario tamen requiritur privatio, ut ipſa generatio exiſtat. Et ideò quantum ad neceſsitatem eſſendi non opponitur cum illa.

Ad prob. Verò eodem modo reſp. Privationem deſtruere generationem, & formam quantum ad ſimultatem eſſendi: quia ſimul eſſe non poſſunt; non tamen illas deſtruere quantum ad neceſsitatem eſſendi, ſed potiùs, ut exiſtat generatio, & producatur forma per veram mutationem, privatio neceſſaria eſt.

Dices. Si ſemel privatio deſtruit generationem quantum ad ſimultatem eſſendi, principium verè deſtruit principiatum. Sed principium verè deſtruere principiatum eſt principium non eſſe principium, & initium, ſed deſtructionem, & finem: ergo privatio non erit principium ipſius generationis.

Reſp. Principium pro inſtanti in quo principij: conc. mai. Pro duratione ſequenti: neg. mai. & diſt. min. Non eſſe principium rei extituræ pro eodem inſtanti: conc. min. Pro duratione ſequenti: neg. min. & conſeq. Licèt namque principium intrinſecum non poſsit deſtruere principiatum: aliàs ſe ipſum deſtrueret; principium tamen extrinſecum, quod quidem principiat per modum termini neceſſario de relicti, deſtruit principiatum, ipſumque tollit pro tempore, vel inſtanti principijs non tamen pro duratione ſequenti: ſed potius principium ipſum requiritur, ut pro duratione ſequenti exiſtat principiatum. Cumque privatio ſit principium extrinſecum per modum termini de relicti conſequens ſit modo prædicto poſſe deſtruere generationem, & ſimul ipſam principiare.

Ad 1. conf. Facilè reſp. Motum ſolum dici naturalem per ordinem ad principia intrinſeca; non verò per ordinem ad extrinſeca. Et ideò mirum non eſt, quod non dicatur naturalis per ordinem ad privationem, quam non aſſerimus eſſe principium intrinſecum, ſed ſolùm eſſe extrinſecum principium.

Ad 2. conf. reſpond. neg. mai.

uni-

universalitèr intellectam. Quia principium, quod est tale per modum termini à quo derelicti, non debet esse simul pro aliquo instanti cum ipso principiato; sed satis est, quod immediatè anteà præcesserit: & hujus generis est privatio, quæ se habet tanquam terminus à quo derelictus per ipsam generationem. Et ideò non debet esse simul cum ipsa, neque cum forma producta in instanti generationis; sed utramque præcedit, & ad utramque requiritur.

2. resp. Principium per modum termini à quo derelicti per ipsam generationem non posse esse simul cum ipsa, & cum forma producta per modum afficientis subiectum. Alias privatio, & forma essent simul afficientes subiectum, & præstantes illi proprium effectum formalem utriusque: Quod implicat: Sicut implicat subiectum, vel corpus aliquod esse simul lucidum, & tenebrosum. Potest tamen privatio in expelli esse simul cum ipsa generatione, & forma producta. Quia forma non præstat effectum formalem expellendi privationem, nisi dum est. Et consequentèr in instanti, in quo est forma, expellit privationem: si autem forma expellit, ipsa etiam privatio expellitur. Quapropter privatio, quæ entitativè, & in genere causæ materialis jam non est, expellitur modo formaliter. Quia antecedentèr adhuc forma non præstaverat effectum formalem expellendi. Sicut forma de novo introducta expellit etiam formam præcedentem, quæ licèt jam entitativè non sit; modo tamen terminat expulsionem formalem novæ formæ: & ita modo est in expelli. Et eodem modo peccatum, ut sæpè asserit D. Th. expellit gratiam, quæ fuit, non gratiam, quæ est. Quod intelligendum est de gratia sumpta entitativè. Nam de gratia sumpta quantum ad expelli formaliter, affirmare modo non esse, nihil aliud est, quàm asserere modo de præsenti non expelli, quod expellitur de præsenti. Quam solutionem eandem cum præcedenti, licèt non ita clara, judicamus. Ex quo constat, quam sine fundamento solutio ista à pluribus impugnatur.

§. III.

Argumentum difficile solvitur.

TAndem arg. Quia, quando vermis generatur ex speciebus Sacramentalibus, non intervenit aliqua privatio: ergo datur ens per generationem productum, ad cujus fieri non concurrat privatio. Prob. ant. In tali generatione non datur aliquod instans, in quo materia vermis non fuerit sub

ſub ejus forma: ergo in illa generatione privatio non eſt. Prob. ant. Quando forma vermis producitur, vel in illo eodem inſtanti creatur materia, vel quantitas in materiam convertitur: ergo non datur aliquod inſtans, in quo materia vermis non fuerit ſub ejus forma. Quia ſi materia creatur, in eodem inſtanti, quo creatur, recipit formam. Et ſi quantitas in materiam convertitur, in eodem etiam inſtanti converſionis recipit formam. Et conſequentèr non datur inſtans, in quo materia vermis non fuerit ſub ejus forma.

Reſpondent aliqui Thomiſtæ, quod quando vermis generatur ex ſpeciebus Sacramentalibus creatur de novo materia ſubſtantialis, quæ pro aliquo priori præcedit formam, pro quo priori intelligitur formæ carentia, quæ tamen eſt aliqua privatio; licèt non ita ſtricta, ſicut ea, quæ tempore præcedit formam. Et ita nunquam verificatur dari generationem naturaliter factam non involventem aliquam privationem.

Quid autem ſentiamus circa veritatem privationis aſſignaræ, infra dicemus, de formis Cœlorum, & Elementorum diſputantes. Modò verò ſolum intendimus perſuadere ſolutionem iſtam eſſe expreſſam contra doctrinam D. Th. Quia 3. *p. q.* 77. *art.* 5. in corp. propè finem refert. Ang. Doct. opinionem aliquorum aſſerentium. Quod quando vermis generatur, creatur de novo materia; & talem opinionem ſequentibus verbis impugnat: *Verùm quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculosè aliquid accidat in hoc Sacramento, niſi ex ipſa conſecratione, ex qua non eſt, quod materia recreetur, vel redeat, melius videtur dicendum. Quod in ipſa conſecratione miraculosè datur quantitati dimenſivæ panis, & vini, quod ſit primum ſubjectum ſubſequentium formarum, hoc autem eſt proprium materiæ. Et ideò ex conſequenti datur prædictæ quantitati dimenſivæ, omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideò quidquid poſſet generari ex materia panis, vel vini ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiva panis, vel vini; non quidem novo miraculo, ſed ex vi miraculi priùs facti.* Quibus verbis, & materiam non creari, & ſimul quantitatem recipere formam vermis geniti de novo apertiſsimè docet D. Thom.

Reſp. adverſarij, D. Th. ſolum intendere non creari eandem materiam, quę priùs erat materia panis, & vini; non tamen negare, quod alia materia creetur.

Seu contra eſt Quod ratio qua D. Th ſuadet, materiam panis, vel vini non creari, excludit etiam

etiam creationem cujuſcumque materiæ, ut verba, & articulum conſideranti conſtabit. Nè tamen hæc via maneat adverſarijs fugiendi, audiant modò Ang. Præcept.

Ipſe namque quodlib 9. artic. 5. ad 3. prædictam ſolutionem attingens, & illam eſſe probabilem dicens, hæc verba ſubjungit: *Vndè ſi debet iſta opinio ſuſtineri, intelligenda eſt per ſubſtantiam panis materia panis: non quod redeat, quæ priùs erat; ſed quod deſtructis ſpeciebus, aliqua materia à Deo ibi pro videatur, vel per creationem, vel quocumque alio modo, ex qua poſſint hujuſmodi corpora generari. Alia verò opinio eſt planior, ut dicatur, quod illis accidentibus, ſicut datum eſt per ſe ſubſiſtere divina virtute, ſimiliter datum eſt, ut agant, & ex eis fiat quidquid fieret ex ſubſtantia panis, vel quidquid ageret ſi maneret; & hac virtute nutriunt, & vermes, vel cineres ex indè generantur.* In quibus manifeſtè explicat ſe ipſum ſentire nullam materiam, nec panis, vel vini, nec alteram de novo creari.

2. reſp. alij, materiam de novo non creari, ut docet D. Th. ſed ipſam quantitatem panis, vel vini, in materiam converti, & ita converſam recipere formam vermis.

Sed hæc ſolutio eadem via impug. Quia D. Th. aſſerit rationabiliter non dici, quod aliquid accidat miraculosè in hoc Sacramento præter id, quod eſt ex ipſa conſecratione, ex qua non eſt, quod materia creetur. Sed etiam ex ipſa conſecratione non eſt, quod quantitas in materiam convertatur: ergo quantitas non convertitur in materiam.

Inſuper etiam Ang. Præc. in auth. 2. cit. impugnat ſententiam aſſerentem, materiam ibi provideri, vel per creationem, vel quocumque alio modo; ſed provideri materiam ibi per converſionem quantitatis in materiam, eſt materiam de novo provideri aliquo modò: ergò D. Th. impugnat converſionem quantitatis in materiam. Et conſequenter hanc ſecundam ſolutionem impugnat.

Ex quibus, quia clariſsima ſunt conſtat, quod quando D. Tho. affirmat quantitatem in materiam converti, intelligendus eſt, de converſione quantum ad effectum, & modum: quatenùs quantitas ex vi præcedentis miraculi recipit formam ſubſtantialem de novo advenientem, & facit quidquid materia faceret, ſi adeſſet.

Et ſimiliter ex his manifeſta eſt noſtra ſolutio: videlicèt in generatione vermis ex ſpeciebus Sacramentalibus, neque materiam creari, nec quantitatem in materiam converti, ſed ipſam

quan-

quantitatem genere vices ſubſtantiæ, & eſſe ſubſtantiam in munere, & recipere formam ſubſtantialem, ſicut illam materia panis reciperet, & in ipſa quantitate tempore antecedenti generationem eſſe etiam privationem formæ ſubſtantialis introducendæ, ſicut eſſet in quacumque materia, ſi ibi materia inveniretur. Per quæ argumentum factum nullam difficultatem conſervat. Et quamvis doctrina imaginationem non transcendentibus, difficillima ſit, eſt tamen ſuſtinenda, quia traditur expreſsè ab Angelico Magiſtro, cujus intelligentia, in omnibus, & maximè in ſimilibus difficultatibus, imbecillitati noſtræ præferenda eſt.

§. IV.

Solvuntur plura, quæ contra ſolutionem noſtram opponuntur.

CONTRA doctrinam iſtam, tàm D. Thomæ, quàm noſtram, arguunt adverſarij 1. Quia nullum agens naturale poteſt educere formam ſubſtantialem de potentia quantitatis: ergo quando vermis naturaliter generatur ex ſpeciebus Sacramentalibus, forma vermis non in quantitate recipitur. Prob. ant. Agens naturale non poteſt educere formam de potentia ſubiecti, niſi talis potentia ſit naturalis. Eo quod ſola potentia naturalis ſubijcitur virtuti naturalis agentis. Sed potentia quantitatis ad formam ſubſtantialem naturalis non eſt, ſed tantum obedientialis, & ſoli ſubdita Deo: ergo nullum agens naturale poteſt educere formam ſubſtantialem de potentia quantitatis.

Reſp. ad arg. neg. ant. ad prob. diſt. min. Naturalis non eſt in quantitate ſecundum ſe: conc. min. In quantitate per ſe ſubſiſtente, & ex ſuppoſitione miraculi: neg. min. & conſeq. Licèt namque potentia ad formã ſubſtantialem non ſit naturalis in quantitate ſecundum ſe; eſt tamen naturalis quantitati, ſuppoſita conſecratione, ex qua habet quantitas, quod gerat vices materiæ, & faciat quidquid materia faceret, ſi ibi eſſet. Et ideò agens naturale, ſuppoſito miraculo præcedenti, poteſt educere formam ſubſtantialem de potentia quantitatis.

Dices. Etiam ſuppoſito miraculo præcedenti quantitatem eſſe verum accidens: ergo nequit recipere formam ſubſtantialem. Quia forma ſubſtantialis non poteſt in accidenti recipi, neque exillo educi.

Reſp. tamen. Quantitatem ſuppoſito miraculo præcedenti eſſe de linea accidentis materialiter, & entitativè; formaliter tamen, & in munere eſſe materiam ſubſtantialem. Et ideò

poteſt

poteſt formam ſubſtantialem recipere.

Sed inſt. Quantitas non poteſt eſſe in munere primum ſubjectum receptivum formæ ſubſtantialis: ergò non poteſt eſſe in munere materia. Prob. ant. Eſſe primum ſubjectum receptivum formæ ſubſtantialis eſt de eſſentia materiæ: ergò quantitas non poteſt eſſe in munere primum ſubjectum receptivum formæ ſubſtantialis, quia quod eſt de eſſentia materiæ nullo modo poteſt quantitati convenire.

Reſp. neg. antec. & ad prob. diſt. antec. Primum ſubjectum connaturaliter, & ex natura rei receptivum formæ: conc. ant. Primum ſubjectum, tàm ex natura rei, quàm in munere, vel alio modo: neg. ant. & conſeq. Quia de eſſentia materiæ eſt eſſe primum ſubjectum connaturaliter, & ex natura rei receptivum formæ ſubſtantialis, & ad talem finem ordinatum à natura, & ideò eſſe ſubjectum tali modo nullatenus poteſt quantitati convenire: non tamen eſt de eſſentia materiæ eſſe ſubjectum primum ſubſtitutivè, & in munere, & ex vi alicujus miraculi præſuppoſiti, & ita eſſe ſubjectum hoc modo poteſt competere quantitati.

Sed inſt. Eſſe ſubjectum primum ex natura rei, & connaturaliter receptivum eſt de eſſentia materiæ: ergò quantitas nec in munere poteſt eſſe primum ſubjectum. Prob. conſeq. Quia eſſe primum actum ex natura ſua eſt de eſſentia formæ ſubſtantialis, non poteſt aliqua forma accidentalis, etiam in munere eſſe primus actus: ergò ſi eſſe primum ſubjectum connaturaliter receptivum eſt de eſſentia materiæ, non poterit quantitas eſſe primum ſubjectum etiam in munere.

Reſp. neg. antec. & ad prob. neg. cauſalem ut adæquatam. Quia non ideò præciſsè forma accidentalis non poteſt eſſe in munere primus actus, quia eſſe primum actum ex natura ſua ſit de eſſentia formæ ſubſtantialis; ſed inſuper, quia primus actus dat eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, & ſpeciem eſſentialem compoſito ſubſtantiali, quod tamen formæ accidentali convenire non poteſt.

Dices. Formæ accidentali convenire non poteſt dare primum eſſe ſimpliciter: ergò quantitati accidentali convenire non poterit recipere primum eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, quia in utrumque eadem repugnantia videtur.

Reſp. neg. conſeq. Et ratio diſcriminis eſt: quia eſſe ſubjectivum receptivum formæ ſubſtantialis eſt prædicatum imperfectum in linea ſubſtantiæ: eo quod, eſt prædicatum magis po-

potentiale inter omnia ſubſtantialia; & ideò poteſt competere quantitati, quę in linea accidentis eſt perfectiſsimum prædicatum, & ſupremum infimi poteſt attingere infimum ſupremi. Eſſe verò primum actum eſt perfectiſsimum in linea ſubſtantiæ, & ideò non poteſt competere alicui accidenti; quia ſupremum ſupremi nullum prædicatum ex inferioribus poteſt attingere.

2. Arg. Si forma ſubſtantialis in quantitate reciperetur, illud compoſitum non eſſet unum numero, quia in rebus materialibus ſola materia eſt principium individuationis, & conſequenter, ſi ibi non eſſet materia, ſed ſola quantitas, compoſitum illud non poſſet habere numericam unitatem; ſed hoc admittendum non eſt: ergò forma vermis non recipitur in quantitate.

Conf. Si forma vermis reciperetur in quantitate, non poſſet à tali forma dimanare aliqua quantitas, quia in præſentia primæ recipientis formam, ſecunda ſuperflua eſt; ſed hoc etiam non eſt dicendum, quia accidentia ſequuntur ad formam; & inter ea primario ſequitur quantitas, & propterea in viventibus quantitas ſemper eſt determinata, quia ſequitur ad formam determinatam: ergò forma vermis in quantitate recipi non poteſt.

Reſp. tamen neg. maj. Quia in rebus materialibus principium individuationis, quod eſt tale ex natura ſua, eſt ſola materia; ex ſuppoſitione tamen alicujus miraculi præcedentis, ſicut quantitas gerit vices materię ad recipiendas diſpoſitiones præparantes ad novam formam, & per eas ſigillatur; ita etiam determinata, & ſigillata per illas, eſt principium individuationis. Et ideò illud compoſitum erit unum numericè, quamvis forma in quantitate recipiatur.

Ad conf. etiam neg. mai. quia illa quantitas, ſecundum rationem propriam quantitatis, purè de materiali ſe habet, & ſolum habet de formali genere vices materiæ, & ideò non communicat compoſito extenſionem, quam habet, ſed ultra illam propria quantitas à forma dimanat, per quam tota ſubſtantia vermis extenditur, non tamen totaliter, quia quantitas receptiva formæ per ſe ipſam extenſa eſt, & conſequenter alia extenſione non indiget, ſed tantum indiget illa totum, & alia, ad quę quantitas formaliter non comparatur ut extenſa, ſed ſolum ut materia comparatur.

Dices. Si vera eſt data doctrina, erunt duæ quantitates in eodem compoſito, & conſequenter erunt in eodem compoſito, duo accidentia ſolo numero

diſ-

distincta, quod Thomistæ nunquam admittimus: ergò solutio admittenda non est.

Resp. tamen, illa accidentia materialitèr, & in esse entis solo numero distingui; formaliter tamen specificè distinguntur; quia quantitas receptiva formæ in munere, & formaliter est substantia, vel materia; & ideò formaliter diversa est à quantitate consequta ad formam substantialem, quæ formalitèr considerata intra lineam accidentis existit.

3. Arg. Vermis genitus ex speciebus Sacramentalibus est totum substantiale formalitèr; sed partes compositi substantialis debent esse de linea substantiæ: ergò subjectum receptivum formæ substantialis non potest esse quantitas, quæ est de linea accidentis. Prob. min. 1. Compositum substantiale est totum per se; sed ex accidenti, & substantia non potest resultare unum ens per se, quia substantia, & accidens pertinent ad diversa prædicamenta, & ex rebus pertinentibus ad diversa prædicamenta unum ens per se resultare non potest: ergò ambæ partes compositi substantialis debent esse de linea substantiæ.

2. Prob. min. Totum, cujus una pars non est substantiæ, nequit esse substantiale: ergò ambæ partes compositi substantialis debent esse de linea substantiæ. Prob. antec. Esse substantiale est de genere boni; sed bonum debet esse ex integra causa: ergò totum, cujus una pars non est substantia, nequit esse substantiale.

Resp. neg. min. quia secundum doctrinam Arist. & Div. Th. *Ab optimo in quocumque venit denominatio*: Cumque forma in compositio substantiali pars perfectissima sit, ut ipsum compositum sit substantiale, sufficit formam esse de linea substantiæ. Sicut propositio, cujus copula formalis est, dicitur propositio formalis, quia copula est pars principalis in ipsa propositione.

Ad 1. verò prob. dicimus quantitatem formalitèr, & in munere non pertinere ad prædicamentum accidentis, sed esse de linea substantiæ, & ideò ex illa, & forma potest resultare unum per se substantiale.

Ad 2. probat. min. eodem modo resp. quantitatem formalitèr, & in munere esse de genere boni, & de linea substantiæ, & ideò ex forma substantiali, & ex tali quantitate potest totum de genere boni, vel totum substantiale resultare.

Ex doctrina tamen antecedenter explicata, & tradita ad utramque prob. manifestum sit quantitatem futuram esse subjectum subsequentium formarum usque ad finem mun-

di: & quod ſi homo longo tempore ſolis ſpeciebus Sacramentalibus nutriretur, decurſu temporis tota materia, vel maxima pars illius eſſet ipſa quantitas, in qua anima rationalis, ſicut in propria materia inveniretur, & cum qua etiam ſuperaddita materiæ propriæ, in qua homo fuit genitus ab initio, reſurget in die Judicij. Quod quidem incredibile non eſt, & maximè nobis, qui cum D. Th. credimus, & quem alloquentes uſurpamus illud Tertuliani affatum: *Domine ſi error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus.*

Sed contra doctrinam datam ulterius inſtabis. Actus, & potentia per ſe ad actum ordinata debent eſſe entitativè in eodem genere: qua ratione probant Thomiſtæ, ſubſtantiam etiam ex ſuppoſitione miraculi, & de potentia abſoluta, non poſſe eſſe immediatè operativam; ſed primum ſubjectum receptivum formæ ſubſtantialis eſt potentia per ſe ad formam ſubſtantialem ordinata, & ſpecificatur ab ea: ergò non ſolum in munere, ſed etiam entitativè debet eſſe in genere ſubſtantiæ, in quo eſt ipſa forma ſubſtantialis, & conſequentèr quantitas, manendo entitativè in linea accidentis non poterit eſſe in munere materia, & ad formam ſubſtantialem recipiendam ordinari.

Reſp. diſt. maj. In eodem, vel in genere inferiori: conc. maj. in eodem determinatè: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Potentia namque per ſe ad actum ordinata, debet eſſe in eodem genere cum actu, vel in genere inferiori; nam ſi in genere inferiori reperitur, abſque ullo inconvenienti poteſt ſpecificari ab actu, & ad ipſum ordinari, & ſic intelligenda eſt ratio, & doctrina Thomiſtarum, & efficacitèr probat intentum: quia ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, eſſet in eodem genere accidentis cum operatione, vel in genere inferiori, & ita jam in genere ſubſtantiæ non eſſet; cumque quantitas, licèt non ſit entitativè ſubſtantia, ſi tamen in genere inferiori, videlicèt accidentis: conſequens ſit, quantitatem poſſe in munere eſſe ſubſtantiam, vel materiam, & ad formam ſubſtantialem recipiendam ordinari.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX his, quæ diximus in artic. diſcurſu, colligitur 1. Principia entis naturalis in fieri eſſe tantum tria, cujus propoſitionis utramque exponentem iam probatam relinquimus, videlicèt eſſe tria, & non eſſe plura quam tria.

2. Infertur ex dictis. Principia entis naturalis in fieri eſſe pri-

prima contraria, contrarietate latè accepta pro ipsorum incompatibilitate; quia talia principia non supponunt alia priora, & incompatibilitas ipsorum est prima in genere substantiæ: ergò contrarietas illorum prima est; nam omnis alia, vel non est prima in genere substantiæ, vel est in genere accidentis, quod genus substantiale supponit.

Dices. Antecedentèr ad assignata principia dantur alia priora contraria, scilicèt forma communis abstraens à substantiali, & accidentali, & privatio opposita cum forma prædicta: ergò principia assignata prima contraria non sunt.

Resp. Formam communem ad substantialem, & accidentalem esse priorem in prædicando, quia de forma tàm substantiali, quàm accidentali prædicatur; non tamen esse priorem in causando, & in essendo; nam in rerum natura prior est forma substantialis, & prius causat, quam accidentalis forma. Nos autem impræsenti solum loquimur de principijs in essendo, & secundum ordinem, quem in rerum natura habent, in qua consideratione principia substantialia sunt priora, & prima contraria sunt.

3. Colligitur ex dictis Principia entis naturalis in facto esse solum duo. Quia illa sunt principia entis naturalis in facto esse, quæ in ipso jam facto perseverant per modum partis; sed in ipso jam facto perseverant materia, & forma, tanquam partes componentes, non verò aliud; ergò principia illius in facto esse tantum sunt duo.

Resp. in composito etiam perseverare elementa, & ex illis ens naturale componi, & consequenter esse plura principia.

Contra tamen est. Quia elementa sunt composita ex alijs: ergò non possunt esse principia, quamvis in composito maneant; quia principia debent esse simplicia, & non ex alijs composita.

2. Impug. data solutio. Quia elementa remanent in mixto præcisè ratione suarum qualitatum, ex quibus resultat temperamentum; sed qualitas non est principium, nec pars compositi substantialis, sed illud constitutum supponit; sicut substantia, & existentia, quæ propterea rationem principij non habent: ergò ex modo, quo elementa manent in mixto, non infertur in ipso manere plura quam duo principia.

Sed instat. Modus unionis, in sententia illum admittente, permanet in composito; sed etiam illud constituit per modum partis: ergò manent plura, quam duo principia. Prob. min.

min. Copula unionis inter prædicatum, & ſubjectum conſtituit propoſitionem per modum partis: ergò modus, qui unit materiam, & formam, ipſum compoſitum conſtituere debet.

Reſp. neg. conſeq. Quia copula eſt terminus à ſubjecto, & prædicato diſtinctus, & ita habet ſignificationem partialem diverſam, ratione cujus componit per modum partis ſignum totale, vel ipſam propoſitionem. Inſuper etiam dat ſpeciem propoſitioni, & illam conſtituit in ratione enuntiativæ, & ideò debet eſſe pars, & principalior inter partes. Modus verò unionis non dat eſſe compoſito, ſed eſt pura applicatio partis materialis, & formalis, & purè nexus inter utrumque, & ita diſpar eſt ratio. Et hæc de articulo iſto à capite primo uſque ad nonum, ubi pluries materiam iſtam repetit, ad Phyloſophum applicanda.

QUÆSTIO SECUNDA.

De materia Prima.

ARTICULUS I.

Utrùm detur à parte rei materia prima, realitèr à forma diſtincta?

§. PRIMUS.

Senſus difficultatis aperitur, & aſſignatur Concluſio.

PER materiam primam intelligimus in præſenti quandam entitatem ſubſtantialem purè potentialem, ex quâ ſimul cum forma compoſitum ſubſtantiale reſultat; de qua quidem entitate inquirimus, an in rerum natura detur?

Talem igitur entitatem Ariſtoteles textu 8c. per hæc verba diffinivit: *Materia eſt primum ſubjectum, ex quo aliquid fit, cum inſit, non ſecundum accidens.* Quæ diffinitio per particulas explicatur. *Subjectum* namque ponitur loco generis, in quo conveniunt materia prima, & compoſitum ſubſtantiale, quod dicitur materia ſecunda receptiva accidentium. Particula *primum* diſtinguit materiam à ſubjecto accidentium, quod quidem primum non eſt. *Ex quo aliquid fit*, excludit cauſam efficientem, à quo fit effectus, non tamen ex illa; & ſimilitèr cauſam finalem, propter quam effectus fit; & formalem, qua conſtituitur effectus. *Cum inſit* excludit privationem, quæ non manet in compoſito, ſicut materia. Et propter eandem rationem excludit formam corruptam, & etiam ipſa elementa, quæ non manent in mixto formalitèr, ſed ſolum virtualitèr, & ratione qualitatum. *Non ſecundum accidens* denotat, compoſitum, in quo materia perſeverat, eſſe unum per ſe, ex forma, & materia conſtitutum. In qua diffinitione aliquæ particulæ ponuntur ſolum ad majorem

rem explicationem; ut entitas ita imperfecta, qualis est materia, clarius nobis innotescat.

Sed instabis. Quia diffinitio ista non convenit materiæ hominis: ergò non convenit omni diffinitio, & consequenter bona non est. Prob. ant. Ex materia hominis nihil fit: ergò illi non convenit diffinitio. Prob. ant. Ex materia hominis non fit anima rationalis, quæ non educitur ex potentia materiæ; deinde non fit compositum, quia nihil aliud est quam materia, & forma simul unitæ, & consequenter, si forma non fit, non potest fieri compositum: ergò ex materia hominis nihil fit.

Resp. Quod licèt anima rationalis non fiat ex materia, tanquam ex subjecto eductionis, quia non educitur de potentia materiæ; fit tamen ex materia tanquam ex subjecto receptionis, eo quod verè in materia recipitur.

2. Resp. Quod licèt concederemus, Animam rationalem non fieri ex materia, semper tamen compositum ex materia fit. Quia licèt compositum nihil aliud fit, quam materia, & forma simul unitæ; ipsa tamen materia est vera pars, compositumque ex illa verè fit tanquam ex parte.

Sed inst. Si compositum fieret ex materia esset incorruptibile; sed hoc non est concedendum: ergò ex materia non fit. Probat. maj. Compositum, cujus una pars est incorruptibilis, est etiam incorruptibile: sicut compositum, cujus una pars est materialis, dicitur absolutè materiale, ut patet in homine, qui materialis est propter materiam ipsam, quamvis forma spiritualis sit; sed materia est incorruptibilis: ergò, si compositum ex illa fieret tanquam ex parte, esset etiam incorruptibile.

Resp. facile. Quod corruptibile, & materiale sunt de genere mali; malum autem ex quocumque defectu; & ita sufficit una pars, ut compositum sit absolutè corruptibile, & materiale. Denominatio verò incorruptibilis est de genere boni, bonum autem debet esse ex intrega causa; & ideò, ut compositum incorruptibile fit, requiritur, omnes partes esse incorruptibiles, & incorruptibiliter, vel inamittibiliter uniri. Statuta igitur, & explicata diffinitione materiæ, de existentia illius, & distinctione à forma manet difficultas discutienda. Pro qua

sit.

*** ***
*** ***

§. II.
Noſtra Concluſio.

Datur à parte rei materia realitèr à formâ diſtincta.

DUplicem partem in volvit concluſio iſta, videlicèt dari in rerum naturam materiam; & ipſam realitèr à forma diſtingui, & primam partem probamus. Quia à parte rei datur generatio ſubſtantialis; nam homo producens hominem, non producit ipſum per creationem, nec per converſionem alterius in ipſum, eo quod creatio eſt actio propria Dei; & ſimiliter converſio unius in aliud eſt actio miraculoſa, & virtutem infinitam requirit; & conſequentèr homo, qui alium hominem producit, ſolum per generationem poteſt producere ipſum, nam ultra actiones enumeratas, alia actio, præter generationem, in homine aſſignabilis non eſt; ſed generatio ſine materia dari non poteſt: ergò datur in rerum natura materia. Probat. min. 1. Per generationem tranſit ſubjectum de non eſſe ſub forma, ad eſſendum ſub illa; ſed ſubjectum, quod ita tranſit, eſt verè materia, nam ſubjectum, quod ita tranſit, eſt ſubjectum, in quo forma ſubſtantialis recipitur, quod quidem, & non aliud per materiam intelligimus: ergò generatio ſine materia dari non poſſet.

2. Prob. min. Si generatio fieret ſine materia, non eſſet generatio, ſed creatio: ergò generatio ſine materia dari non poteſt. Prob. antec. Creatio eſt productio entis ex nihilo; ſed, ſi generatio fieret ſine materia, eſſet productio entis ex nihilo, nam eſſet productio ex nullo præſuppoſito ſubjecto, ſiquidem ante formam non poteſt alterum ſubjectum præſupponi, quam materia: ergò ſi generatio fieret ſine materia, non eſſet generatio, ſed creatio.

2. Partem concluſionis efficacitèr etiam probamus. Quia quæ realitèr ſeparantur, realitèr diſtinguuntur, ut per ſe manifeſtum eſt, quia unum, & idem non poteſt à ſe ipſo ſeparari: aliàs eſſet idem, & non idem, ſed à ſe ipſo diverſum; ſiquidem eſſet à ſe ipſo ſeparatum; ſed materia realitèr ſeparatur à forma: ergò realitèr à forma diſtinguitur. Prob. min. Quando moritur canis, deſinit eſſe forma illius, quia forma Canis eſt corruptibilis, & ideò compoſito pereunte non manet; ſed in illo eventu materia non deſinit eſſe: ergò materia realiter ſeparatur à forma. Prob. min. Si deſineret eſſe materia, corruptio canis eſſet à nihi-

nihilatio, quia deſinerent ſimul eſſe materia, & forma, & conſequenter in nihilo canis maneret, ac proinde corruptio canis eſſet à nihilatio, nam deſitio totius entis in nihilum vera à nihilatio eſt; ſed hoc non eſt admittendum: ergò quandò moritur canis, non deſinit eſſe materia

Conf. Quando moritur homo, anima rationalis tranſit in Purgatorium, in Cœlum, vel in Infernum; ſed materia, quæ erat ſub illa, tranſit ad formam cadaveris: ergò anima rationalis realiter à materia ſeparatur, & realiter ab ea diſtinguitur; cumque de materia, & forma rationali, & de quacumque alia materia eadem ratio ſit, idem etiam eſt de quacumque materia, & forma dicendum.

Urgetur iſta doctrina. Nam in reſurrectione forma unietur iterum cum materia, ut fides docet; ſed quæ realiter non ſunt ſeparata, reuniri non poſſunt, nam reunio eſt reconjunctio duorum: ergò idem quod antea. Et eandem doctrinam in alijs rebus experientia ſuadet, qua cognoſcimus ex aere generari ignem, & ex alimento nutriri hominem, & vermes ex terra putrefacta generari, quod quidem eſſe non poteſt, niſi forma ignis introducatur in materia aeris, & in materia alimenti forma hominis; & conſequenter materia eſt ſubjectum commune, quod de una forma tranſit in aliam; quod eſſe non valet, niſi realiter ſit ab omni forma diſtinctum.

§. III.

Argumentis contra primam, & ſecundam partem occurritur.

ARG. 1. contra 1. partem concluſ. In equo, leone, & alijs nulla invenitur materia: ergò nulla datur materia in rerum natura. Probat. ant. Si in equo, & alijs reperiretur materia, pars nobilior in illis non eſſet forma, ſed potiùs eorum materia; quia forma eorum corruptibilis eſt, materia verò, ſi datur, eſt incorruptibilis, & res incorruptibilis rem corruptibilem excedit; ſed hoc non eſt aſſerendum: ergò in equo, & alijs nulla materia reperitur.

Reſp facile. Quod incorruptibile ex conceptu communi perfectius eſt corruptibili; ex conceptu tamen ſpecifico poteſt ab illo ſuperari; nam homo Cœlum excedit in perfectione ſpecifica, & ex eadem forma etiam equi ſuperat materiam, & ita nobilior pars ſemper eſt forma.

2. Poterat argui. Quia materia eſt ingenerabilis; & inſuper non poteſt per creationem producit, eo quod creatio per

ſe

ſe terminatur ad totum, & materia totum non eſt: ergò non poteſt per generationem, vel creationem produci, conſequenterque in rerum natura non erit.

Reſp. tamen facile. Quod creatio per ſe primo terminatur ad totum; ex conſequenti verò, & ratione totius terminatur ad partes, & ita materia ex conſequenti per creationem producitur, & propterea magis dicitur concreata, quam creata, ſicut 1. p. q. 7. art. 2. aſſerit Ang. Doct.

Ex his intelliges, quod quando in Sacra Scriptura homo appellatur Spiritus, & anima, per ea verba non excluditur materia; ſed intelliguntur verba per figuram ſynedochem, ſecundum quam pars accipitur pro toto; ſicut etiam eodem modo intelliguntur alia verba Scripturæ, quibus aliquando homo caro nominatur.

Contra 2. partem arg. Homo componitur ex corpore, & anima tanquam ex materia, & forma; ſed hæc duo ſunt idem entitativè: ergò materia non eſt realiter à forma diſtincta. Prob. min. Ratio corporeitatis eſt effectus formalis, & intrinſecus animæ, à qua proveniunt omnes gradus à ratione corporis uſque ad ultimam differentiam; ſed effectus formalis, & intrinſecus formæ non eſt à forma entitativè diverſus; ſed eſt ipſa forma ſubjecto communicata: ergò illa duo ſunt idem entitativè.

Conf. Si materia, & forma realiter eſſent diſtinctæ, totum reſultaret ex ipſis ſimul ſumptis, & unitis; ſed compoſitum ex partibus unitis non eſt unum ſimpliciter, ſed plura, licèt unita: ergò compoſitum ſubſtantiale non eſſet unum ſimpliciter, ſi daretur materia realiter à forma diſtincta; quod cum non ſit admittendum, non erit etiam admittenda materia realiter diſtincta à forma.

Reſp. Quod homo non componitur phyſicè ex anima, & ex corpore, quod eſt gradus, nam gradus corporis non eſt realiter à forma diſtinctus; ſed componitur homo phyſicè ex corpore, quod non eſt gradus, ſed quædam ſubſtantia purè potentialis realiter receptiva formæ: quidem ſubſtantia nihil eſt aliud, quam materia realiter à forma diſtincta.

Ad conf. verò reſpondetur, neg. min. Quia partes ſubſtantiales, ut unitæ, & ordinatæ ad totum componendum, licèt non faciant unum ſimpliciter unitate ſimplicitatis; faciunt tamen unum ſimpliciter unitate compoſitionis. Sicut natura humana, & Perſonalitas divina conſtituunt in Chriſto unum ſimpliciter unitate perſonæ. Et

hæc

hæc ſufficiant in materia levi in hoc textu 82. ad Phyloſophum applicanda.

ARTICULUS. II.

Vtrùm materia prima habeat actum metaphyſicum?

§. PRIMUS.

Quibuſdam ſuppoſitis, ſtatuitur affirmativa concluſio.

AD inteligentiam difficultatis primo ſupponendum eſt, materiàm primam eſſentialitèr importare ordinem tranſcendentalem ad formam, tanquam ad actum proprium, ad quem per ſe, & ex natura ſua ordinatur, & à quo habet ſpeciem, & ideò inteligi non poſſe, niſi ex parte termini formà etiam intelligatur; & propterea non inquirimus in præſenti, an materia habeat verum actum metaphyſicum independenter ab ordine ad formam; ſed ſolum quærimus, an pro priori ad formam, ante quam illam recipiat, habeat aliquem actum verum? In quo puncto ſatis Thomiſtæ dividuntur, pluribus aſſerentibus talem actum non habere; & paucioribus affirmantibus habere talem actum.

2. Not. eſt materiam primam, ante quam recipiat formam, nullum habere actum phiſicum, quod convincit ratio communis. Quia materia eſt primum ſubjectum receptivum actus primi, qui eſt forma ſubſtantialis, ut conſtat ex ejus diffinitione; ſed ante primum actum phyſicum non ſupponitur alius actus ingenere phyſico, quia hæc propoſitio, *forma ſubſtantialis, eſt primus actus*, exponitur ſic: *Forma eſt actus, & non eſt alius actus ante formam*, ſicut dicitur de alia; Adam eſt primus homo: ergò materia ante formam nullum habet phyſicum actum.

Eadem doctrina explicatur. Pura potentia in genere phyſico non poteſt habere phyſicum actum, quia potentia pura in aliquo genere non habet admixtionem in eodem genere alicujus actus, aliàs non eſſet pura potentia, ſicut ab oppoſito, Deus non eſſet actus purus, ſi haberet admixtionem potentiæ; ſed materia in genere phyſico eſt pura potentia, ſiquidem eſt potentia receptiva primi actus, & potentia receptiva primi actus immediatè proportionata cum illo, debet eſſe pura, aliàs non eſſet immediatè proportionata, ſed mediante alio, videlicèt mediante proprio actu, ſi ſemel illum importat: ergò materia ante formam nullum habet phyſicum actum.

Contra ſuppoſitionem iſtam plura poterant opponi, quæ pro-

probant materiam habere propriam, & partialem exiſtentiam; ſed de his infra dicemus de partiali exiſtentia diſputantes. Modo tamen arguitur. Quia ſecundum D. Th. *q. 3. de Veritate, art. 5. ad 1.* materia prima aſſimilatur Deo; ſed Deo aſſimilari non poteſt, niſi ratione alicujus actus: ergò habet aliquem actum phyſicum. Prob. min. Deo aſſimilari non poteſt, niſi habeat aliquam convenientiam cum ipſo; ſed non poteſt cum Deo convenire, niſi ratione alicujus actus, ſiquidem in Deo nulla invenitur potentia, qua cum materia conveniat, ſed quidquid reperitur eſt actus: ergò materia prima non poteſt Deo aſſimilari, niſi ratione alicujus actus.

Explic. argumenti doctrina. Ut duo homines habeant convenientiam in aliquo prædicato, debet tale prædicatum in utroque reperiri; & idem de omnibus extremis in aliquo convenientibus dicendum eſt: ergò, ut materia cum Deo habeat aliquam convenientiam, neceſſarium eſt aliquod prædicatum, quod in Deo ſimul, & materia reperiatur: quod prædicatum, cum non poſſit eſſe aliqua potentia, quæ in Deo non eſt, debet eſſe aliquis actus; & conſequenter materia aliquem actum habebit.

Eadem doctrina conf. ex eo quod materia prima eſt actu bona, & conſequenter eſt actu ens; quia bonitas eſt paſſio entis, & aliundè bonitas eſt actualitas, & perfectio: ac proindè, ſi materia eſt actu bona, habebit aliquam actum.

Reſp. 1. Materiam primam aſſimilari Deo ratione actus metaphyſici; quia Deus phyſicè, & metaphyſicè eſt purus actus.

2. Reſp. Materiam primam Deo aſſimilari propter rationem entis, in quo actus purus, & pura potentia analogicè conveniunt; quæ quidem ratio entis in Deo, licèt implicitè ſit actus purus, pro expreſſo tamen ſolum dicit eſſe, in quo Deus, & creatura conveniunt.

3. Reſp. Quod ſicut materia prima non eſt cognoſcibilis per propriam ideam, ſed per ideam totius; ita ratione totius aſſimilatur Deo.

Ex his conſtat, materiam primam ratione ſui eſſe bonam bonitate tranſcendentali, quæ conſiſtit in integritate prædicatorum eſſentialium, & non conſequitur ſolum ad entitatem actualem; ſed etiam conſequitur ad entitatem potentialem materiæ; quæ etiam habet propriam eſſentiam diſtinctam ab eſſentia formæ. Quamvis etiam poſſet dici materiam primam eſſe bonam ſolum ratione totius

Dices. Si ſemel materia ratione

tione totius eſt ſimilis Deo, erit materia prima pars totius verè, & propriè; ſed pars totius debet habere aliquem actum: ergò materia habebit aliquem actum. Prob. min. Pars totius componit ipſum totum actuale; ſed totum actuale ex partibus actualibus conſtat: ergò pars totius aliquem actum habebit.

Facile reſp. Totum actuale habere partes actuales actualitate compoſitionis, id eſt, actualitèr componentes; non tamen neceſſarium eſt quod totum actuale habeat partes actuales ſecundum ſuas entitates. Imò totum per ſe ſubſtantiale neceſſario requirit unam partem eſſe potentiam, eo quod totum per ſe ſubſtantiale ex actu, & potentia reſultare debet. Quibus ſuppoſitis ad actum metaphyſicum deveniendo.

§. II.

Statuitur noſtra concluſio.

Materia ante formam verè, & propriè habet metaphyſicum actum.

CConcluſ. iſtam probant aliqui Thomiſtæ, quia in materia prima reperitur ratio ſubſtantiæ, in qua convenit cum forma; & ratio potentiæ, vel ſubſtantiæ potentialis per quam à forma diſtinguitur; ſed illa differentia puræ potentiæ, per quam à forma diſtinguitur, eſt verè actus metaphyſicus: ergò materia prima actum metaphyſicum habet. Prob. min. Illa differentia diſtinctiva materiæ à formæ determinat rationem communem; ſed forma, quæ metaphyſicè determinat rationem communem eſt actus metaphyſicus, quia determinare eſt proprium actus, & conſequentèr quod metaphyſicè determinat erit actus metaphyſicus: ergò illa differentia puræ potentiæ, per quam materia diſtinguitur à forma, actus metaphyſicus eſt.

Sed rationem iſtam non poſſumus approbare, & Authores illa utentes maxima æquivocatione laborant. Quia per actum metaphyſicum intelligere videntur omnem differentiam eſſentialitèr diſtinctivam, in quo ſenſu nullus negare poteſt materiam habere actum metaphyſicum, niſi negando ipſam habere prædicata eſſentialia, & eſſentialem differentiam, per quam ab omnibus alijs rebus, & ab ipſa forma diſtinguitur, & in hoc æquivocationem patiuntur: nam actus metaphyſicus verè talis eſt illa differentia ſolum, quæ contrahit veram potentiam metaphyſicam, & cum ea facit compoſitionem metaphyſicam veram ex pluribus diſtinctis penes includens,

dens, & excluſum; quod cum ſolum habeat differentia contractiva prædicati ſuperioris univoci, ſola hæc erit actus metaphyſicus verus. Si tamen aliquis actum metaphyſicum prolibito ſuo appellare vellit omnem differentiam eſſentialiter diſtinctivam, de ſola vocis differentia diſputabit.

Rurſus rationem iſtam non eſſe veram exempla urgentiſſima probant. Quia in Deo invenitur ratio ſubſtantiæ, in qua convenit cum creatura; & ratio ſubſtantiæ divinæ, per quam à creatura diſtinguitur; & tamen in Deo non invenitur vera potentia metaphyſica, neque verus actus metaphyſicus; aliàs Deus haberet compoſitionem metaphyſicam verè talem: ergò licèt in materia detur ratio ſubſtantiæ, in qua convenit cum forma, & ratio puræ potentiæ, vel talis ſubſtantiæ, per quam à forma diſtinguitur, non indè infertur, materiam verum actum metaphyſicum habere.

Deinde. In ſupremo genere ſubſtantiæ invenitur ratio entis, in quo convenit cum alijs, & ratio entis ſubſtantialis per quam eſſentialiter ab alijs diſtinguitur; & in ſupremo genere quantitatis ratio communis accidentis, & differentialis talis accidentis, ſicut, & in genere ſupremo relationis ratio accidentis, & differentia accidentis relativi; & tamen hæc omnia genera ſimpliciſſima ſunt, & compoſitionem metaphyſicam non habent, nec actum metaphyſicum verum: ergò idem quod priùs. Quapropter ſola differentia eſſentialis, quæ objectivè præſcindit à ratione communi, vel quæ verè contrahit rationem univocam, verus actus metaphyſicus eſt, & talem actum, vel differentiam habere materiam defendimus, & in hoc ſenſu.

Concluſio noſtra efficacitèr prob. Quotieſcumque in aliquo reperitur differentia contractiva, & eſſentialitèr diviſiva prædicati ſuperioris univoci, reperitur etiam in eo verus actus metaphyſicus; nam talis differentia verè determinat rationem communem potentialem metaphyſicè, & objectivè à differentia præſcindentem, & ita ex illa, & differentia reſultat compoſitio metaphyſica vera, & conſequentèr differentia contrahens verus actus metaphyſicus eſt; ſed in materia reperitur differentia contractiva, & eſſentialitèr diviſiva prædicati ſuperioris univoci: ergò materia verum actum metaphyſicum habet. Min. in qua difficultas eſt, prob. 1. Ratio partis potentialis eſt differentia eſſentialis, per quam ma-

materia eſſentialiter à forma diſtinguitur; ſed ratio partis potentialis contrahit rationem univocè communem ad materiam, & ad formam: ergò in materia reperitur differentia contractiva prædicati ſuperioris univoci. Prob. min. Ratio partis pontentialis contrahit rationem partis communem; ſed ratio partis univoca eſt ad materiam, & ad formam: ergò ratio partis potentialis contrahit rationem univocè communem ad materiam, & ad formam. Prob. min. Ratio partis ſimpliciter, & æqualiter participatur à materia, & forma, quia materia eſt pars ſimpliciter compoſiti ſubſtantialis: ergò ratio partis univoca eſt ad materiam, & formam.

Reſpondebunt fortaſſe adverſarij, materiam non eſſe partem ſimpliciter; ſed ſolum ſecundum quid compoſiti ſubſtantialis, & ideò rationem partis non univocè participari, & æqualiter à materia cum forma.

Hæc tamen ſolutio ad monſtrum in metaphyſica confugit, quia nullus ſine metaphyſica temeritate affirmare poterit materiam non eſſe partem ſimpliciter compoſiti ſubſtantialis.

Deindè ſolutio data impug. Compoſitum reſultans ex materia, & forma eſt tale ſimpliciter; ſed totum ſimpliciter debet reſultare ex partibus, quæ ſint ſimpliciter partes: ergò materia erit pars ſimpliciter compoſiti ſubſtantialis. Prob. min. Totum eſſe tale ſimpliciter eſt de genere boni; ſed bonum eſt ex integra cauſa: ergò totum ſimpliciter debet reſultare ex partibus, quæ ſint ſimpliciter partes; & ſi aliqua fuerit pars ſecundum quid, totum non erit tale ſimpliciter. Sicut ſi aliqua pars compoſiti eſt materialis, totum non eſt ſpirituale ſimpliciter, ut in homine conſtat.

2. Impug. ſolutio. Nam ita ſe habet materia in genere phyſico, ſicut terminis in genere logico, vel dialectico, quia materia eſt primum principium in quo fit ultima reſolutio in genere phyſico, ſicut terminus eſt primum principium, in quod omnia reſolvuntur in dialectica; ſed terminus eſt pars ſimpliciter totius dialectici: ergò materia eſt ſimpliciter pars totius phyſici.

3. In compoſito accidentali v. gr. in albo, materia eſt pars ſimpliciter, & etiam ipſa albedo, quæ eſt forma accidentalis, eſt ſimpliciter pars: ergò etiam in compoſito ſubſtantiali utraque pars materia videlicet, & forma erunt ſimpliciter tales; non enim videtur neganda materiæ ratio partis ſimpliciter, quæ formæ accidentali, & materiæ com-

compoſiti accidentalis conceditur.

Alitèr etiam reſp. poterunt adverſarij; rationem partis non eſſe univocam ad materiam, & formam; non quia inæqualitèr ab illis participetur, ſed quia tranſcendit uſque ad ultimas differentias, nam differentia conſtitutiva materiæ eſt verè pars.

Sed contra eſt. Quia ſi ratio partis tranſcenderet uſque ad ultimas differentias, ratio puræ potentiæ, quæ determinat rationem partis ut ſic, eſſet etiam pars ut *quod*, ſicut, quia ratio entis tranſcendit uſque ad ultimas differentias rerum, quæcumque differentia eſt ens ut *quod*; ſed differentia conſtitutiva materiæ non eſt pars ut *quod*: ergò ratio partis ut ſic, non tranſcendit ultimam differentiam materiæ. Prob. min. Ultima differentia materiæ non componitur ut *quod* compoſitum, ſed ſolum habet conſtituere materiam, & ipſa materia conſtituta componit ut *quod*; & idem de formæ differentia dicendum; alias materia componeret ut *quod*, & etiam differentia materiæ; & ita darentur quatuor componentia, ut *quod* compoſitum ſubſtantiale: ergò differentia conſtitutiva materiæ non eſt pars ut *quod*.

Secundo probatur concluſio. Quia materia verè componitur ex genere, & differentia: ergò actum metaphyſicum habet. Prob. ant. Ratio principij naturalis per modum generis prædicatur de materia, & format: ergò materia verè componitur ex genere, & differentia. Prob. ant. Ratio principij naturalis prædicatur de materia, & forma, tanquam de pluribus differentibus ſpecie; nam materia eſt principium paſſivum, & forma eſſentialitèr eſt principium activum, & principium activum, & paſſivum ſpecificè diſtinguuntur: ſed aliundè prædicatur univocè: ergò per modum generis prædicatur. Prob. min. Ratio principij naturalis ſimpliciter, & æqualitèr participatur à materia, & forma: ergò de illis univocè prædicatur. Ant. conſtat. Quia principium paſſivum eſt ſimplicitèr principium entis naturalis, & ideò motus alterationis, quo producitur calor ut octo, eſt motus naturalis ſimplicitèr, quamvis ſit ſolum conformis materiæ, cujus inclinatio tunc prædominatur; propterea que, dum Ariſtoteles aſſignavit principia entis naturalis, materiam, & formam æqualitèr enumeravit: ergò ratio principij ſimplicitèr, & æqualitèr principatur à materia cum forma. Et certè contra veram metaphyſicam videtur aſſe-

aſſerere rationem naturæ non eſſe univocam ad materiam, & formam.

Tertio probatur concluſio. Materia Cœleſtis, & materia ſublunaris ſpecificè diſtinguuntur ſecundum differentias particulares, & per ordinem ad formas eſſentialitèr diverſas, & aliundè conveniunt univocè in ratione communi materiæ: ergo quæcumque ex illis componitur ex genere, & differentia. Et conſequentèr actum metaphyſicum habet.

Ex prædictis rationibus ſolum ultima attingit noſtrum Collegium Complutenſe, & reſpondet ad illam. Quod materia cœleſtis, & ſublunaris non conveniunt univocè, ſed analogicè in ratione communi materiæ. Habent quippè convenientiam proportionalem conſiſtentem in eo quod, ſicut materia ſublunaris recipit formas amiſsibilitèr, ita cœleſtis formas innamiſsibilitèr recipit.

Sed contra eſt. Quia ratio communis materiæ ſimplicitèr, & æqualitèr participatur à materia ſublunari, & à materia cœleſti. Nam materia ſublunaris eſt materia ſimplicitèr, & primum ſubiectum ſimplicitèr, & ſicut materia cœleſtis: ergo materia ſublunaris, & cœleſtis in ratione communi materiæ habent univocam convenientiam.

Fortaſsè poterat reſponderi rationem communem materiæ ſimplicitèr participari; eſſe tamen rationem tranſcendentem imbibitam in ultimis differentijs tàm materiæ cœleſtis, quàm materiæ ſublunaris, & propterea eſſe analogam ad utramque.

Contra tamen eſt. Quia ſi ratio materiæ communis, & ratio primi ſubiecti tranſcenderet ultimam differentiam materiæ jam ultima differentia materiæ, eſſet materia ut *quod*, & conſequentèr ipſa ultima differentia non ſolum conſtitueret primum ſubiectum ut *quod* receptivum formæ; ſed etiam ipſa ultima differentia eſſet ſubiectum receptivum ut *quod*. Sicut ultima differentia cujuſcumque entis eſt ens ut *quod*. Quia ens tranſcendit uſque ad ultimas differentias. Quod tamen admittendum non eſt.

2. Impug. eadem ſolutio. Quia differentia conſtitutiva formæ ſubſtantialis ſublunaris in ſpecie determinata non eſt actus primus ut *quod*: neque imbibit rationem communem formæ. Aliàs etiam forma ſubſtantialis non prædicaretur univocè de quacumque forma quod eſt falſum: ergo differentia conſtitutiva primi ſubiecti ſublunaris in ſpecie determinata non eſt primum ſubiectum ut *quod*, nec imbibit rationem communem ſubiecti;

ſed potius ab illa præſcindit. Quia quantum ad hoc de differentia materiæ, & de differentia formæ eadem ratio videtur.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONTRA Concluſ. iſtam arg. 1. ex doctrina D. Th. 1. *part. quæſt.* 105. *artic.* 1. *ad* 2. aſſerentis, materiam primam eſſe puram potentiam, ſicut Deus eſt actus purus; ſed Deus ita eſt actus purus, ut nullam habeat potentiam metaphyſicam: ergo materia ita eſt pura potentia, ut actum metaphyſicum non habeat.

Conf. doctrina D. Auguſt. *quæſt.* 54. *in lib.* 83. *Quæſt.* aſſerentis etiam: Quod materia, ex qua fiunt corpora, dicitur nihil: quia omni ſpecie caret; ſed quod caret omni ſpecie, non habet actum metaphyſicum: vel differentia conſtituit ſpeciem: ergo materia non habet actum metaphyſicum. Cui doctrinæ aliam etiam ſimilem tradit 12. *conf. cap.* 7. ubi dicit: *Duo feciſti Domine, unum propè te*; ſcilicèt naturas Angelicas. *Aliud propè nihil*, ſcilicèt materiam, quæ ideò vocatur *nihil*: quia nihil eſt in actu, ſed ſolum eſt in potentia. Proptèrquam cauſam antiqui Poetæ materiam primam chaos, & tenebras vocant: quia perfectionem, & actualitatem non habet.

Reſp. diſt. vel explic. mai. Ita parificante in genere phyſico: conc. mai. In genere metaphyſico: neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Sicut enim Deus in genere phyſico eſt actus purus, ita etiam materia in genere phyſico eſt pura potentia, & non eſt in actu, neque perfectionem, & actualitatem habet, ut aſſerit Auguſtinus: in genere verò metaphyſico, licèt Deus non habeat potentiam metaphyſicam; materia tamen habet metaphyſicum actum proptèrdicta antecedentèr. Et ideò D. Th. in tali genere non parificat materiam cum Deo.

Ad confirm. ex D. Auguſt. ſumptam, reſp. Materiam ex ſe carere ſpecie extrinſeca, quam non habet, niſi per formam, habere tamen intrinſecam ſpeciem per propriam, & intrinſecam differentiam, qua conſtituitur in ſpecie partis potentialis, & principij paſſivi, & determinatæ naturæ. Undè primam ſpeciem, & non ſecundam Auguſtinus in verbis ſuis excluſit.

Dices. Quando materia recipit formam, trahitur ad ſpeciem formæ: ergo ex ſe nullam habet ſpeciem etiam intrinſecam. Aliàs eſſet in duplici ſpecie in una intrinſeca, & pro-

pria,

pria, & alia extrinſeca, quam habet à forma.

Reſp. materiam in ſe ipſa habere ſpeciem intrinſecam, quæ ſpecies tamen eſt incompleta. Quia eſt ſpecies entis potentialis phyſicè, & per modum partis ordinati ad totum ſubſtantiale componendum. Habet inſuper materia aliam ſpeciem extrinſecam à forma, quam recipit. Et ideò materia in compoſito habet duplicem ſpeciem: unam quidem intrinſecam propriam, per quam à forma eſſentialiter diſtinguitur; & aliam extrinſecam à forma deſumptam, à qua etiam accipit extrinſecam unitatem. Quapropter quando D. Th. 1. *part. quæſt.* 16. *artic.* 7. *ad* 2. aſſerit materiam eſſe unam negativè, loquitur de unitate extrinſeca, quam materia ex ſe negativè habet, quatenùs illam non excludit, & ſolum poſitivè eam habet per formam.

2. arg. Materia prima eſſentialiter eſt pura potentia, ſicut conſtat ex ejus diffinitione. Sed pura potentia eſſentialiter excludit omnem actum: ergo materia actum metaphyſicum non habet.

Conf. In materia prima non eſt dabile prædicatum magis potentiale, quam ratio puræ potentiæ; ſed actus metaphyſicus non eſt prædicatum magis potentiale, quàm potentia metaphyſica, quæ contrahitur per illum: ergo ratio puræ potentiæ non ſe habet ut actus metaphyſicus comparativè ad aliquam rationem communem in materia repertam. Alias prædicatum magis potentiale non eſſet.

Reſp. ad arg. Materiam primam eſſentialiter eſſe puram potentiam in genere phyſico, in quo genere nullum actum includit: non tamen eſt pura potentia in genere metaphyſico; ſed potiùs ex vera potentia metaphyſica, & actu metaphyſico componitur, ut probavimus.

Per hæc patet ad conf. arg. Quia phyſicè loquendo non eſt dabile prædicatum magis potentiale, quàm ratio puræ potentiæ, & primi principij paſſivi: Metaphyſicè tamen magis potentialis eſt ratio communis partis abſtrahentis à materia, & forma, & ratio principij communis ad activum, & paſſivum, & per utrumque metaphyſicè contracta.

Sed inſt. Si ſemel materia eſt pura potentia in genere phyſico, in tali genere compoſita non eſt: ergo non poteſt eſſe compoſita in genere metaphyſico. Patet conſeq. Quia compoſitio metaphyſica phyſicam compoſitionem ſupponit, & ſuprà illam fundatur. Et propterea Deus in doctrina D. Th.

1. *p. q. 3. art. 5.* non eſt compoſitus in genere metaphyſico: quia in genere phyſico nullam habet compoſitionem.

Reſp. diſt. ant. Compoſita *ut quod*: conc. ant. *ut quo*: neg. ant. & conſeq. Materia namque in genere phyſico eſt pura potentia, & ita non eſt compoſita *ut quod*; eſt tamen compoſita *ut quo*. Quia eſt pars phyſica compoſiti ſubſtantialis, & ad ipſum componendum ordinatur. Et ideò actum metaphyſicum habere poteſt. Eo quod ad compoſitionem metaphyſicam ſatis eſt materiam eſſe phyſicè compoſitam ut *quo*: Deus autem in genere phyſico, nec ut *quod*, nec ut *quo* compoſitionem habet. Non enim ordinatur per ſe ad aliquod totum phyſicè componendum. Et ita mirum non eſt, quod compoſitionem metaphyſicam non habeat.

Inſtantia arg. eſt in anima rationali, quæ non eſt compoſita ut *quod* in genere phyſico; & tamen metaphyſicè compoſita eſt: quia eſt pars phyſicè compoſitionis. Et in forma Angeli, quæ non eſt compoſita ut *quod* in genere phyſico, ſed ſolum ut *quo*, quatenus recipit ſubſiſtentiam, & cum illa phyſicè componit, & tamen metaphyſicè compoſita eſt.

3. arg. Materia ſine forma non eſt in aliqua ſpecie determinata, ut aſſerit D. Thom *q. 4. de Potent. artic. 1.* ubi probat, quod ſi materia exiſteret ſine forma, eſſet ſub determinato aliquo genere: & non eſſet ſub ſpecie determinata. Quod implicat. Et rurſus materia ſpecificatur à forma, & conſequentèr materia ſine forma non eſt in aliqua ſpecie: ergo actum metaphyſicum non habet. Quia actus metaphyſicus conſtituit ſpeciem.

Reſp. tamen. Materiam ſine forma non eſſe in aliqua ſpecie phyſica, & completa, & extrinſeca, quam habet ſolum per formam; eſſe tamen in ſpecie metaphyſica, & intrinſeca, quam habet antecedentèr ad formam. Undè ſi materia exiſteret ſine forma, eſſet ſub determinato genere; & non eſſet ſub aliqua ſpecie phyſica, & completa. Quod implicat. Quia repugnat aliquid exiſtere phyſicè ſub genere determinato, & non eſſe in aliqua ſpecie phyſica, & in aliquo individuo conſtituto per phyſicam formam. In quo ſenſu D. Thom. intelligendus eſt.

Sed inſt. Materia ex ſe, & antecedentèr ad formam nullam habet ſpeciem etiam intrinſecam: ergo actum metaphyſicum non habet. Prob. antec. Nulla ſpecies poteſt in materia reperiri, niſi per ordinem ad formam, à qua materia ſpecificatur:

catur: ergo ex ſe, & antecedenter ad formam nullam habet ſpeciem etiam intrinſecam.

Reſp. diſt. ant. Nullam habet ſpeciem independenter à forma tanquam à ſpecificativo extrinſeco: conc. ant. Tanquam ab intrinſeco ſpecificativo: nego antec. Sic namque potentia ſpecificatur à forma. Et ideò materia non habet ſpeciem intrinſecam, niſi per ordinem ad formam, ut terminantem habitudinem, & relationem tranſcendentalem materiæ. Eſt tamen illa ſpecies in ipſa materia antequam recipiat formam. Eo quod forma non eſt intrinſecum ſpecificativum, ſed ſolum extrinſecum reſpectu materiæ. Et ideò ut materia habeat ſpeciem, ſufficit formam reſpicere; non tamen requiritur formam actualiter habere. In quo quidem apparet æquivocatio aliquorum exiſtimantium nos ponere actum metaphyſicum, & ſpeciem intrinſecam metaphyſicam in materia, non ſolum ante formam, ſed etiam independenter ab illa tanquam à termino extrinſeco: nos autem ſolum primum concedimus, ſecundum verò negamus.

*** *** ***
*** *** ***

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in Artic. diſcurſu colligitur 1. Materiam habere unitatem ſpecificam licèt incompleram antecedenter ad formam. Siquidem habet actum metaphyſicum, & actus metaphyſicus conſtituit ſpeciem.

2. Infertur, materiam ex proprijs ſolum habere unitatem numericam negativè, quatenùs materia ex proprijs plures non eſt, & illi non repugnat fieri unam numero poſitivè per ipſam formam: non tamen habet materia ante formam numericam unitatem poſitivè. Quia principium individuationis eſt materia ſignata per quantitatem radicaliter antecedenter præhabitam: & materia ante formam ſolum inchoativè; non verò formaliter, & completè radicat quantitatem determinatam. Conſequenterque ante formam non eſt una numero poſitivè. Et propterea dicitur etiam gradum individualem provenire à forma tanquam à cauſa formali, & non eſſe ab alijs gradibus metaphyſicis realiter entitativè diſtinctum.

3. Colligitur ex dictis contra aliquos, & Durandum in 2. diſt. 12. Materiam cœleſtem, & ſublunarem ſpecificè diſtingui. Ra-

tio autem ea eſt Quia materia ſpecificatur à forma ſecundum eam rationem, qua reſpicit ipſam tamquam actum adæquatum: & per eam ſic inſpectam debet à materia diſtingui; ſed forma cœleſtis, quæ eſt actus adæquatus materiæ cœleſtis, & forma ſublunaris, quæ actus eſt adæquatus materiæ ſublunaris, ſpecificè diſtinguntur: ergò materia ſublunaris, & cœleſtis etiam ſpecificè differunt.

Dices. Quod etiam formæ ſublunares diſtinguntur ſpecie: Ergo etiam materiæ ſublunares, ſpecificè diſtinguntur, ſi ratio facta aliquid probat.

Reſp. Formas ſublunares ſpecificè differre ſecundum rationes particulares, & inter ſe; non tamen comparativè ad materiam, quæ reſpicit omnem formam ſublunarem ſecundum conceptum communem formæ amiſſibilis et informantis. Et ita omnem formam ſublunarem, reſpicit tanquam actum adæquatum. Quia omnem poteſt habere. Et ideò alia diverſitas de materiali ſe habet. Materia verò cœleſtis ſatiatur per formam quam habet ſecundum rationem particularem. Et ita reſpicit illam ſolam tanquam actum adæquatum, & per eam à materia ſublunari diſtinguitur.

Ex hac eadem doctrina colligitur materias cœleſtes eſſe etiam inter ſe ſpecificè diſtinctas. Nam materiæ Cœli Lunæ, v.g. reſpicit ſuam formam tanquam actum adæquatum, quem ſolum poteſt habere: quia per illum ſatiatur. Et ideò ſpecificè diſtinguitur à materia Cœli Solaris, quæ etiam reſpicit propriam formam tanquam actum adæquatum ſecundum rationem particularem: non verò reſpicit ipſam ſecundum rationem communem ad omnem formam cœleſtem. Aliàs poſſet materia Solis recipere formam Lunæ, & alias formas cœleſtes. Conſequentèrque Cœlum incorruptibile non eſſet. Et hæc de articulo iſto ad Philoſophum cum articulo præcedenti applicanda.

QUÆSTIO TERTIA.

De exiſtentia materiæ primæ.

ARTICULUS I.

Utrùm exiſtentia creata realitèr diſtinguatur ab eſſentia?

§. I.

Aliquibus ſuppoſitis ſententiæ referuntur.

GRaviſsima eſt in præſenti, & inter omnes Philoſophos controverſa difficultas de diſtinctione exiſtentiæ ab eſſentia creata. Ad cujus intelligentiam, & aliarum, quæ ſequuntur 1. ſuppon. eſt. Quod ſicut in quacumque linea,

nea; ita etiam in linea entis datur aliquis ultimus actus: qui tamen alius esse non potest, quam existentia. Eo quod existentia est actus secundus in linea entis. Sed actus secundus cujusque lineæ in eadem linea ultimus est. Sicut operatio est ultimus actus in linea operativa, in qua est actus. Et hoc idem in quacumque linea cernere licèt: ergo existentia in linea entis ultimus actus est.

2. Not. est. Effectum formalem existentiæ esse constituere rem extra omnes suas causas. Nam existere secundum nominis ethimologiam idem est, quod extra causas sistere. Undè existentia sic accepta diffiniri potest. *Actus ultimus entis, quo res completè ponitur extra causas.* In qua diffinitione particula *actus* ponitur loco generis. Quia in ratione actus convenit existentia cum subsistentia, & cum substantiali forma, quæ habent rationem actus. Per particulam verò *ultimus* distinguitur existentia à formâ substantiali, quæ est actus primus. Per particulam autem *entis* distinguitur à subsistentia, quæ quamvis sit ultimus actus; non tamen ultimus est in linea entis, sed solum in linea substantiæ, sicut in fine articuli dicemus.

3. Sup. est. Quod essentia, cujus existentia est ultimus actus, est illud, quod primò intelligitur in quacumque re, & per ejus diffinitionem quidditativam physicam, vel metaphysicam explicatur. Quæ quidem essentia in duplici statu considerari potest. Primo in statu possibilitatis, in quo statu essentia est in potentia ad habendam existentiam, & non est aliquid actu actualitate existentiæ, licèt aliquid actu actualitate essentiæ. Secundo potest essentia considerari in statu existentiæ, quatenùs videlicèt existit exercitè extra omnes suas causas.

4 Sup. Quod existentia à parte rei exercita distinguitur ab essentia intra statum possibilitatis considerata, tanquam ens participalitèr ab ente nominalitèr sumpto. An verò ab essentia extra causas constituta distinguatur realitèr existentia in præsenti dubitatur. In quâ parte, prima sententia negat, quam communitèr defendunt Authores extra scholam Div. Thom. Alia quidem sententia affirmat, quam tenent omnes Thomistæ cum Angel. Doct. Cum quibus sit.

§. II.

Nostra Conclusio.

Existentia realitèr ab essentia distinguitur.

COnclusionem istam esse mentem expressam Sanct.

Præcept. ſolum ille poteſt dubitare, qui poteſt in meridie cœcutire; & ideò authoritatibus omiſsis, efficaci ratione concluſio noſtra prob.

Inter recipiens namque realiter, & realiter receptum neceſſario concedenda eſt diſtinctio realis. Quia idem realiter non poteſt realiter recipere ſemetipſum. Aliàs eſſet idem realiter, & non eſſet: ſicut adverſarij fatentur; ſed exiſtentia eſt actus realiter in eſſentia receptus: ergo realiter ab eſſentia diſtinguitur. Prob. min. quæ negatur à contrarijs. Si exiſtentia non eſſet actus realiter in eſſentia receptus, eſſet actus ſimpliciter infinitus; ſed implicat aliquid creatum eſſe ſimpliciter infinitum: ergo exiſtentia eſt actus realiter in eſſentia receptus. Prob. mai. Si exiſtentia non eſſet actus realiter in eſſentia receptus, eſſet ſimpliciter actus purus: ergo eſſet actus ſimpliciter infinitus. Prob. antec. Careret exiſtentia potentialitate: ergo eſſet ſimpliciter actus purus. Nam ſolus actus purus omnem potentialitatem excludit. Prob. antec. Omnis potentialitas provenit ex eo quod forma receptiva eſt alicujus, vel in altero recepta. Aliud namque principium potentialitatis excogitabile non eſt. Sed exiſtentia non poteſt eſſe alicujus receptiva; ergo ſi non eſſet etiam in altero recepribilis, vel recepta, omni potentialitate careret. Prob. min. Ultima actualitas rei non poteſt eſſe alicujus receptiva. Aliàs non eſſet ultima actualitas, ſed ulteriùs actuabilis per aliam, quam reciperet. Sed exiſtentia ultima actualitas eſt: ergo non poteſt eſſe alicujus receptiva. De quo iterum artic. ſeq. dicemus. Et hac ratione probat D. Th. 1. *p. q. 3. artic. 6.* Deum non poſſe recipere aliqua accidentia: quia Deus eſt ſuum eſſe, & ipſum eſſe nihil adjunctum habere poteſt.

Hæc eſt ratio, qua Thomiſtarum Acies armata, & invincibiliter ordinata procedit: cui tamen contrarij plures ſolutiones adhibere conantur. Primo namque reſpondent aliqui, quod quamvis exiſtentia non ſit alicujus receptiva, nec in altero recepta, adhuc tamen poteſt eſſe limitata per ordinem ad cauſam efficientem, à qua producitur. Nam omne quod habet cauſam efficientem, finitum, & limitatum eſt.

Hæc tamen ſolutio in efficaciſſima eſt. Quia ſi exiſtentia non recipitur in eſſentia, nec eſt potentia alicujus receptiva, non poterit ullo modo per cauſam efficientem produci: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Implicat eſſentialiter actum purum per cauſam efficientem produ-

ci.

ci; ſed ſi exiſtentia non recipitur in eſſentia, nec eſt potentia alicujus receptiva, eſt formaliter actus purus, & caret omni potentialitate. Eo quod omnis potentialitas provenit in re ex quo receptibilis eſt, vel alterius receptiva: ergo ſi exiſtentia non recipitur in eſſentia, nec eſt potentia alicujus receptiva, non poterit ullo modo per cauſam efficientem produci.

2. Impugn. data ſolutio. Nam ideò effectus à cauſa efficiente producitur: quia ex ſe, & ab intrinſeco limitatus eſt; ergo exiſtentia ante cauſam efficientem intelligitur limitata. Et conſequenter non ideò, ſaltim à priori, limitata eſt: quia cauſam efficientem habet. Prob. antec. 1. à paritate. Nam homo v. g ideò producitur per cauſam efficientem compoſitus ex materia, & forma: quia ex natura ſua homo talem exigit compoſitionem. Et ideò Angelus ſimplex producitur per cauſam efficientem: Quia ex natura ſua ſimplicitatem requirit: ergo ideò effectus per cauſam efficientem producitur: quia ex ſe, & ab intrinſeco limitatus eſt.

2. Prob. ant. Ratione. Ideò effectus producibilis eſt per cauſam efficientem. Quia ejus eſſe eſt dependens à cauſa efficienti. Sed ideò eſt dependens: quia eſt limitatum: ergo ideò effectus eſt producibilis per cauſam efficientem: quia eſt ab intrinſeco limitatus. Prob. min. Dependentia à cauſa efficiente fundatur ſupra eſſe limitatum, potentiale, & diminutum: ergo ideò eſſe à cauſa efficienti dependet: quia limitatum eſt. Prob. ant. Quia independentia à cauſa efficienti fundatur ſupra eſſe illimitatum, & purum. Et ita Deus, qui eſt actus purus, & eſſentialiter immutabilis, non poteſt ab aliquo dependere tanquam à cauſa efficiene: ergo ab oppoſito dependentia à cauſa efficiente fundatur ſuprà eſſe limitatum, potentiale, & diminutum.

3. Impug. ſolutio. Eſſe limitatum, & finitum eſt prædicatum tranſcendens, & imbibitum in quacumque re creata. Sicut ratio entis infiniti eſt prædicatum tranſcendens ad omnia prædicata divina. Sed prædicata tranſcendentia intelliguntur in creatura ante cauſam efficientem. Sicut ratio entis, ratio veri, & boni tranſcendentalis intelliguntur ante cauſam efficientem: quia ſunt prædicata tranſcendentia: ergo eſſe finitum, & limitatum intelligitur in quacumque creatura ante cauſam efficientem.

Explicatur eadem doctrina. Limitatio eſt prædicatum intrinſecum cujuſcumque creaturæ, ut per ſe manifeſtum eſt.

Sed

Sed cauſa efficiens, cum intrinſeca ſit, non poteſt intrinſecam limitationem præbere: ergo ante cauſam efficientem intelligitur in creaturis intrinſeca limitatio. Et conſequenter exiſtentia creata eſt limitata formaliter ante cauſam efficientem.

Reſpondebunt contrarij. Exiſtentiam ante cauſam efficientem intelligi limitatam, & finitam ab intrinſeco: non tamen hoc habere, quia recipitur in eſſentia; ſed quia componitur ex genere, & differentia.

Hæc tamen ſolutio impug. 1. ad hominem contra Vazquez, qui concedit Deo compoſitionem ex genere, & differentia, ob idque aſſerit Deum in prædicamento ſubſtantiæ collocari. Et tamen ratione compoſitionis Deus limitatus non eſt: ergo ex vi ſolius compoſitionis generis, & differentiæ exiſtentia creata non poterit ab intrinſeco limitari.

2. Impug. ſolutio ad hominem contra Suarez. Quia ſi eſſet identitas inter intellectum, & intellectionem Angeli repugnaret illi compoſitio ex genere, & differentia in ſententia hujus authoris: ergo data identitate inter eſſentiam, & exiſtentiam repugnabit exiſtentiæ compoſitio ex genere, & differentia.

3. Impug. ſolutio. Quia ubi non eſt compoſitio ex eſſe, & eſſentia, compoſitio ex genere, & differentia non habebit fundamentum in re, & conſequenter erit chimerica. Et propterea in via D. Th. 1 *p. q. 3. artic. 3.* quia in Deo non datur compoſitio ex eſſentia, & exiſtentia; ſed quia Deus eſt ſuum eſſe, non poteſt in Deo dari compoſitio ex genere, & differentia: Ergo ſi ſemel exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſſentia, non poterit ex genere, & differentia componi.

2. Reſpondent alij ad rationem principalem. Quod licet exiſtentia non recipiatur in eſſentia; eſt tamen ipſa receptiva ſubſiſtentiæ. Et ideò limitata, & finita eſt.

Hæc tamen ſolutio etiam inefficax eſt. Quia repugnat eſſentialiter ultimum actum per alterum actuari, ſicut articulo ſequenti dicemus. Sed exiſtentia eſt ultimus actus, ut ibidem probabimus: ergo exiſtentia non poteſt recipere ſubſiſtentiam, & ex tali capite limitari.

2. Impug. data ſolutio. Nam prædicatum, quod eſt poſterius, nequit recipere quod eſt priùs, ſed è contra contingere debet. Sed exiſtentia ſupponit ſubſiſtentiam. Nam per ſubſiſtentiam redditur natura ultimo capax recipiendi exiſtentiam: & exiſtere non eſt, niſi rei ſubſiſtentis: ergo exiſten-

tia

tia nequit recipere ſubſiſtentiam.

Ex eadem ferè doctrina impugnata manet ſolutio aliorum aſſerentium, quod licèt eſſentia identificet exiſtentiam, recipit tamen ſubſiſtentiam, & ex hoc capite limitatur. Manet inquam impugnata. Quia implicat eſſentiam identificare ultimam actualitatem abſque identitate cum actualitate inter media, quæ minus ab eſſentia diſtat, & minùs debet diſtingui. Sed exiſtentia eſt ultimus actus; ſubſiſtentia verò eſt actualitas inter media: ergo implicat eſſentiam identificare exiſtentiam, & ſimul ſubſiſtentiam recipere.

3. Reſp. alij ad rationem noſtram. Exiſtentiam formæ v. g. limitari: quia recipitur in materia: & exiſtentiam materiæ limitari: quia recipit formam, ſicut, & ipſa materia: & exiſtentiam compoſiti limitari, quia dependet à partibus, & exiſtentiam accidentis, quia recipitur in eodem ſubiecto accidentis receptivo.

Hæc tamen ſolutio ad impoſsibilia recurrit, & implicationem involvit; omnia videlicèt ſuprà dicta eſſe ſuum eſſe, & identificare exiſtentiam, & aliundè limitari. Nam ideò Deus non poteſt aliquid recipere, nec in alio recipi, nec à partibus dependere: quia in Deo idem eſt eſſe, & eſſentia: ergo ſi ſupra dicta identificant exiſtentiam, nec materia poterit recipere, nec forma recipi: & idem de accidenti dicendum: nec poterit compoſitum à partibus dependere.

2. Impug. data ſolutio. Primum limitativum exiſtentiæ eſt ipſa eſſentia. Quia exiſtentia eſt actus proprius eſſentiæ, & hæc ſe habet tamquam prima potentia in ordine ad exiſtentiam. Prima verò potentia eſt primum limitativum in ordine ad proprium actum: ergo ſi ſemel conceditur omnia ſupra dicta identificare exiſtentiam, non poterunt ex alio capite limitari. Quia deficiente primo limitativo omnis alia limitatio deficere debet.

2. Prob. concluſio. Quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur. Sed exiſtentia creata realiter ab eſſentia ſeparatur: ergo realiter ab eſſentia diſtinguitur. Prob. min. Nam in via D. Th. 3. *p. q.* 17. *art.* 2. Humanitas Chriſti Domini caret exiſtentia creata, & per exiſtentiam in creatam verbi tantùm exiſtit: ergo minor vera eſt.

Conf. Si eſſentia identificaret exiſtentiam, eſſet ſimplicitèr infinita: ergo eſſentia creata exiſtentiam identificare non poteſt. Prob. ant. Quia intellectio eſt ultima actualitas in linea intellectiva, & perfectio ſimplicitèr ſimplex, ſi ſemel intellec-

tus identificaret intellectionem, eſſet ſimpliciter infinitus. Sed exiſtentia eſt ultimus actus in linea entis, & perfectio ſimpliciter ſimplex. Siquidem formaliter reperitur in Deo: ergo ſi eſſentia identificaret exiſtentiam, eſſet ſimpliciter infinita.

Addimus. Quod ſi eſſentia identificaret exiſtentiam, identificaret etiam omnem actum de linea entis. Quia exiſtentia eſt ultimus actus de linea entis: & quod identificat ultimum actum in aliqua linea, omnem alium actum identificare debet: Et conſequenter eſſentia eſſet infinita in linea entis. Siquidem intra talem lineam tota eſſet actus. Quod autem in linea entis eſt infinitum, ſimpliciter infinitum eſt.

3. Prob. concl. ratione D. Th. quodl. 2. art. 3. & 4. Quia quidquid de aliquo in ſingulari accidentaliter prædicatur, realiter ab eo diſtinguitur. Ex quo enim albedo accidentaliter prædicatur de homine in ſingulari benè infertur; quod realiter diſtinguatur ab illo. Et idem contingit in omnibus prædicatis, quæ dicuntur accidentaliter de ſubiecto. Sed exiſtentia accidentaliter prædicatur de eſſentia in ſingulari: ergo realiter ab ea diſtinguitur. Prob. min. Hæc propoſitio Petrus exiſtit, eſt accidentalis, & quinti prædicabilis, ut logici communiter dicunt. Rurſus exiſtentia non ingreditur in diffinitione phyſica, nec metaphyſica Petri; & conſequenter accidentaliter advenit illi. Et tandem ſolus Deus eſt ſuum eſſe, juxta illud, ego ſum qui ſum. Creaturis autem contingenter advenit exiſtentia: ergo exiſtentia de eſſentia in ſingulari accidentaliter prædicatur.

§. III.

Solvitur argumentum contra ultimam rationem.

COntra ultimam rationem probativam concluſionis arg. Stat aliquid accidentaliter prædicari de aliquo, à quo realiter non diſtinguitur: ergo ratio ultima nititur principio falſo. Prob. antec. 1. Unio materiæ, & formæ accidentaliter prædicatur de illis. Quia materia, & forma contingenter uniuntur. Et tamen unio non diſtinguitur realiter ab illis in ſententia probabili negante modum unionis realiter à materia, & forma diſtinctum: ergo antecedens verum eſt.

2 Repræſentatio intuitiva accidentaliter prædicatur de ſpecie Angeli, quæ modo intuitivè repræſentat obiectum præſens, quod anteà intuitivè non repræſentabat, quando ob-

obiectum erat futurum. Et tamen intuitiva repreſentatio non diſtinguitur ab ſpecie realitèr, ergo idem quod priùs.

3. Eſſe actuale exercitum eſſentiæ accidentalitèr prædicatur de eſſentia. Nam tale eſſe competit eſſentiæ per hoc quod terminat actionem agentis, quæ terminatio eſt accidentalis eſſentiæ. Et tamen illud eſſe non diſtinguitur realitèr ab eſſentia: ergo.

4. Hæc propoſitio, Anulus eſt aureus, eſt accidentalis. Et tamen inter prædicatum, & ſubiectum non eſt diſtinctio realis: ergo.

5. Hæc propoſitio, actio eſt paſsio, eſt accidentalis. Et tamen actio, & paſsio non diſtinguuntur realitèr: ergo.

6. Hæc propoſitio, animal eſt rationale, eſt accidentalis. Et tamen non diſtinguuntur realitèr: ergo idem.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad 1. prob. aliqui reſp. Unionem ſumptam exercitè eſſe accidentalem reſpectu materiæ, & formæ; non tamen unionem conſideratam ſignatè. Sic enim eſſentialis eſt tàm materiæ, quàm formæ, & de utraque non accidentalitèr, ſed eſſentialitèr prædicatur.

Hæc tamen ſolutio principium quærit niſi meliùs explicetur. Et ideò pro intelligentia ipſius, & aliarum hujuſmodi, notandum eſt. Quod prædicata contingentia poſſunt eſſe in duplici differentia. Aliqua enim ſunt, quæ in ſuo conceptu formali non connotant aliquid extrinſecum: ſicut quantitas, & albedo, & hujuſmodi alia ſimul cum exiſtentia creata, quæ licèt ex ratione generali formæ creatæ connotet actionem creantis; talem tamen connotationem in conceptu formali non explicat. Alia prædicata ſunt, quæ in formali conceptu connotant aliquid extrinſecum: ſicut unio, quæ intelligi non valet abſque extremis, & agente per cujus actionem uniuntur. Inter hæc autem prædicata talis differentia eſt, quod prædicata primi generis, ſi ſemel accidentalitèr prædicantur, ſignum eſt, quod à ſubiecto realitèr diſtinguuntur. Quia talia prædicata ratione ſui conveniunt contingentèr, & non ratione alicujus connotati: & ita accidit in exiſtentia creata. Undè neceſſum eſt, quod ab eſſentia realitèr diſtinguatur. Prædicata verò ſecundi generis poſſunt ratione connotati accidentalitèr convenire. Et ideò ut accidentalitèr prædicentur, ſufficit, quod connotatum diſtinguatur realitèr à ſubiecto: & neceſſarium non eſt, quod ipſa prædicata in ſe ipſis, & ratione ſui à ſubiecto diſtinguantur.

Juxta

Juxta hanc ergo doct. ad argum. neg. antec. & ad 1. prob. conc. mai. & min. diſt. conſeq. Si tale prædicatum in conceptu formali connotativum ſit: conc. conſ. Si ſit abſolutum: neg. conſeq. per quæ patet ad primam probationem clariſsimè. Quia unio eſt prædicatum connotativum in conceptu formali. Patet etiam ad 2. & 3. prob. Quia repræſentatio intuiva ſecundum conceptum formalem connotat extrinſecum, ſcilicèt præſentiam obiecti. Et ſimilitèr eſſe actuale, & exercitum eſſentiæ connotat actionem agentis, per quam eſſentia extrahitur à ſtatu poſsibilitatis, & tendit ad exiſtentiam.

Ad 4. prob. reſp. Quod eſſe aureum accidentalitèr prædicatur de anulo ratione figuræ. Eo quod anulus eſt artefactum conſtans ex ſubiecto, & forma artificiali. Cumque forma artificialis realitèr diſtinguatur à ſubſtantia anuli: fit indè quod prædicatum etiam realitèr à ſubiecto diſtinguitur ratione figuræ.

Ad 5. reſp. aliqui. Quod actio, & paſsio, quamvis accidentalitèr prædicentur inter ſe; eſſentialitèr tamen prædicantur de aliquo tertio, ſcilicèt de motu cum quo utraque identificatur realitèr. Et ideò mirum non eſt, quod inter ſe non diſtinguatur realitèr. Exiſtentia verò accidentalitèr prædicatur de eſſentia: nec tamen utraquè eſſentialitèr prædicatur de aliquo tertio. Et ita realitèr diſtinguuntur. Quæ ſolutio ſatis probabilis eſt.

Melius tamen reſp. Quod hæc propoſitio actio eſt paſsio, eſt propoſitio eſſentialis propter realem identitatem utriuſque. Sicut hæc propoſitio, juſtitia eſt miſericordia, eſt eſſentialis in Deo propter realem identitatem miſericordiæ, & juſtitiæ.

Ad 6. prob. reſp. Rationale accidentalitèr prædicari de animali ſumpto logicè, & in communi; non tamen de animali phyſicè, & in ſingulari. Nam animal in ſingulari neceſſario determinatum eſt, & conſtitutum per aliquam differentiam. Noſtra autem ratio de illis, quæ accidentalitèr prædicantur de aliquo in ſingulari, intelligenda eſt.

Poterat etiam reſp. Quod animal, & rationale eſſentialitèr prædicantur de aliquo tertio, videlicèt de homine Et ita neceſſum non eſt, quod realitèr diſtinguatur.

Aliter etiam poterat dici: Rationalem eſſe prædicatum inadæquatum reſpectu animalis, ſicut individuum reſpectu ſpeciei: ſicut hæc propoſitio, homo eſt Petrus, eſt accidentalis: ita etiam altera, animal eſt ra-

rationale. Exiſtentia verò eſt prædicatum adæquatum eſſentiæ, & ita diſpar eſt ratio.

§. III.

Cæteris argumentis occurritur.

SEcundo arg. contra noſtram concluſ. Fundamento principali, in quo ſententia contraria maximè fidit. Quia exiſtentia non recipitur realitèr in eſſentia: ergo realitèr ab eſſentia diſtincta non eſt. Prob. ant. Eſſentia, nec ut eſt intra cauſas, nec ut extra cauſas eſt poteſt recipere exiſtentiam: ergo exiſtentia non recipitur realitèr in eſſentia, antec. quantum ad 1. partem conſtat. Quia eſſentia intra ſtatum poſsibilitatis nequit facere compoſitionem cum exiſtentia. Exiſtentia namque ſtatum poſsibilitatis eſſentialitèr excludit: ergo eſſentia intra ſtatum puræ poſsibilitatis nequit exiſtentiam recipere. Quantum ad 2. verò partem prob. antec. Eſſentia quando eſt extra cauſas intelligitur cum effectu exiſtentiæ: ergo ut eſt extra cauſas nequit exiſtentiam recipere. Prob. ant. Quando eſſentia eſt extra cauſas, intelligitur cum effectu exiſtentiæ. Quia effectus exiſtentiæ eſt conſtituere rem extra cauſas: ergo eſſentia quando eſt extra cauſas, cum exiſtentia intelligitur.

Reſp. ad argum. neg. duo antec. 1. Et ad prob. diſt. antec. Quoad ſecundam partem. Quando eſt extra cauſas completè, & in facto eſſe: conc. ant. In completè, vialitèr, & in fieri: neg. ant. & conſeq. Eſſentia namque poteſt conſiderari extra omnes ſuas cauſas completè, & in facto eſſe: & prout ſic nequit exiſtentiam recipere; ſed potiùs jam intelligitur cum illa. Siquidem intelligitur jam cum effectu exiſtentiæ, qui eſt conſtituere rem completè, & in facto eſſe extra omnes ſuas cauſas. Poteſt inſuper eſſentia conſiderari extra cauſas incompletè, vialitèr, & in fieri: quando videlicèt eſſentia incipit paſsivè moveri per actionem cauſæ efficientis, & illius influxum incipit terminare: in quo ſtatu ſolum eſt in via ad habendam exiſtentiam, & non dum intelligitur cum illa. Conſequentèrque in hoc ſtatu medio exiſtentiam recipere poteſt.

Inſtantia argum. Inventus in ſubſtantia creata, quæ in ſententia contrariorum non recipitur in ſubſtantia, prout eſt intra ſtatum poſsibilitatis, nec prout eſt extra cauſas completè, & in facto eſſe. Et tamen in ſubſtantia recipitur, quando ſubſtantia incipit paſsivè moveri, & ponitur extra cauſas incompletè, vialitèr, & in fieri.

Sed inſt. Eſſentia in illo ſtatu me-

medio, & pro illo priori, quo ponitur in via ad habendam exiſtentiam, intelligitur jam cum aliqua exiſtentia: ergo prout ſic non poteſt exiſtentiam recipere. Prob. antec. 1. Eſſentia dum eſt in via ad eſſendum extra cauſas, exiſtit ſaltim incompletè, vialitèr, & in fieri; ergo intelligitur cum aliqua exiſtentia. Prob. conſeq. Benè valet, eſſentia pro illo priori exiſtit vialitèr: ergo exiſtit. Sed exiſtere eſt effectus exiſtentiæ: ergo ſi pro illo priori ſaltim vialitèr exiſtit, pro eodem priori intelligitur cum exiſtentia.

2. prob. ant. Eſſentia pro illo priori intelligitur cum aliquo eſſe actuali exercitè: ergo cum aliqua exiſtentia intelligitur. Prob. conſeq. Quia eſſentiam eſſe conſtitutam in actu exercito eſt effectus exiſtentiæ: ergo ſi pro illo priori intelligitur eſſentia cum aliquo eſſe actuali exercitè, etiam cum exiſtentia intelligitur.

Reſp. neg. ant. & ad 1. prob. neg. conſeq. Quia exiſtere vialitèr, nihil aliud eſt, quam eſſe in via ad habendam exiſtentiam. Et ideò quod exiſtit vialitèr non dum exiſtit. Undè conſequentia in argumento illata bona non eſt. Nam ut ait D. Th. *opuſc. 39. de fallacis ſyllogiſm. cap. 10.* in illa conſequentia arguitur à ſecundum quid ad ſimplicitèr. Eo quod arguitur ab exiſtere vialitèr ad exiſtere abſolutè, & ſimplicitèr. Undè procedit ab antecedenti cum addito, ad conſequens abſolutè, & ſimplicitèr: qui modus arguendi, bona conſequentia non eſt.

Dices. Hæc eſt bona conſequentia, homo velocitèr currit: ergo homo currit, & tamen arguitur ab antecedenti cum addito: ergo etiam altera conſequentia bona erit.

Reſp. diſt. min. Cum addito non diminuente: conc. min. Cum addito diminuente: neg. min. & conſeq. Quandoque namque additum non diminuit de ratione illius cui additur, ſicut in conſequentia facta. Eo quod velocitas non diminuit de ratione curſus, & tunc conſequentia bona eſt. Quandoque verò additum diminuit de ratione ejus cui additur: ſicut in his. Ceſar eſt in memoria hominum: ergo Ceſar eſt. Petrus eſt bonus latro: ergo eſt bonus. Eſſentia pro priori ad exiſtentiam exiſtit vialitèr: ergo exiſtit: In quibus omnibus bona conſequentia non fit.

Ad 2. prob. ant. reſp. diſt. ant. Cum aliquo eſſe actuali, actualitate exercita eſſentiæ: conced. ant. Actualitate exiſtentiæ: neg. ant. & conſ. Quando namque eſſentia incipit ter-

mi-

minare actionem agentis habet aliquam actualitatem exercitam eſſentiæ. Quia hoc quod eſt terminare actu actionem cauſæ efficientis aliqua actualitas eſt, quam quidem eſſentia non habebat intra ſtatum poſsibilitatis, in quo ſtatu non terminabat eſſentia actionem cauſæ efficientis. Hæc tamen actualitas non eſt exiſtentia; ſed eſt ipſa eſſentia ut terminat actionem agentis. Et ideò pro illo priori nondum habet exiſtentiam, cujus effectus eſt tribuere eſſe actuale completum, & ultimatum.

Sed inſt. Illud eſt eſſe exiſtentiæ, per quod eſſentia diſtinguitur à ſuis cauſis. Sed per illud eſſe, quod habet eſſentia, dum incipit terminare actionem agentis differt eſſentia à ſuis cauſis: ergo illud eſſe eſt eſſe exiſtentiæ.

Reſp. diſt. mai. Diſtinguitur completè, & in facto eſſe: conc. mai. Vialitèr, & incompletè: neg. mai. & ſecundum eandem: diſt. min. neg. conſeq. Eo namque modo, quo eſſentia eſt extra cauſas, à ſuis etiam cauſis diſtinguitur. Cumque per illud eſſe aſsignatum ſolum eſſentia ſit extra cauſas vialitèr, & incompletè, ſolum etiam incompletè à ſuis diſtinguitur. Inſtantia eſt in doctrina Suarez diſtinguentis virtualitèr eſſentiam ab exiſtentia, in qua doctrina eſſentia pro priori virtuali ab exiſtentia differt à ſuis cauſis. Et tamen non differt ab illis per eſſe exiſtentiæ, & completè: ergo idem in noſtro caſu dicendum.

Poterat 2. aliis terminis reſponderi. Eſſentiam videlicèt intra ſtatum poſsibilitatis eſſe in potentia ad duplex eſſe actuale exercitium: unum quidem eſſentiæ, & alterum exiſtentiæ, per quorum primum tollitur ejus potentialitas ſolum quantum ad unam partem. Et ita tantum inadæquatè, & quantum ad illam partem per illud eſſe à ſuis cauſis diſtinguitur. Ut tamen adæquatè diſtinguatur à cauſis. Utrumque eſſe, tàm eſſentiæ, quàm exiſtentiæ debet habere.

Sed inſt. Eſſentia per illud eſſe aſsignatum ſit ens participialitèr ſumptum. Sed eſſe ens participialitèr ſumptum eſt effectus exiſtentiæ: ergo illud eſſe eſt eſſe exiſtentiæ.

Reſp. diſt. mai. Ens participialitèr incompletè, & vialitèr: conc. mai. Completè, & in facto eſſe: neg. mai. & ſub eadem: diſt. min. neg. conſ. Sicut namque eſſentia pro illo priori eſt in via ad habendam exiſtentiam, ita etiam eſt ens participialitèr vialitèr, & incompletè; non tamen eſt ens participialitèr completè, & in facto eſſe: hoc enim ſolum ab exiſtentia præſtatur.

3. Arg. Eſſentia creata per ſe ipſam terminat actionem agentis: ergò per ſe ipſam exiſtit. Quia actio cauſæ efficientis terminatur ad exiſtentiam, & ideò ſi eſſentia creata per ſe ipſam terminat actionem agentis, per ſe ipſam debet exiſtere.

Reſp. diſt. antec. Terminat incompletè, & inadæquatè: conc. ant. Completè, & adæquatè: nego ant. & conſ. Quia eſſentia creata per ſe ipſam ſolum inadæquatè terminat actionem agentis. Eo quod actio cauſæ efficientis non ſolum tendit ad eſſentiam; ſed etiam ad exiſtentiam communicandam, & ita uſque quo exiſtentiam producat, actio completa non eſt.

Sed inſt. Eſſentia ut terminat actionem agentis per ſe ipſam habet quidquid requiritur, ut ſit à parte rei: ergò per ſe ipſam completè, & adæquatè terminat actionem agentis. Prob. ant. Eſſentia ut terminat actionem agentis per ſe ipſam habet eſſe temporale, quod eſt novum, & non erat ab æterno: ergò per ſe ipſam habet quidquid requiritur, ut ſit à parte rei.

Reſpondebis. Eſſentiam prout ſic habere eſſe temporale incompletè, & vialitèr; non tamen in facto eſſe, & completè.

Contra tamen eſt. Eſſentia creata, ut per ſe ipſam terminat actionem agentis, eſt completè, & in facto eſſe extra cauſas: ergò habet eſſe temporale completè, & in facto eſſe. Prob. ant. Eſſentia, cum indiviſibilis ſit, vel totalitèr eſt intra cauſas, vel totalitèr eſt extra illas. Nam indiviſibile, ſicut vel totum attingitur, vel nihil illius attingitur, ita totum eſt intra cauſas, vel totalitèr eſt extra illas. Sed eſſentia, ut terminat actionem agentis, non eſt totalitèr intra cauſas: ergò totalitèr eſt extra ſuas cauſas.

Reſp. neg. ant. ad prob. diſt. maj. Quantum ad eſſe eſſentiæ, & ex parte rei: conc. maj. Quantum ad ultimum eſſe exiſtentiæ: neg. maj. & conceſ. min. neg. conſ. ſub diſt. maj. Eſſentia namque indiviſibilis eſt ſecundum prædicata eſſentialia, & quantum ad eſſe eſſentiæ, & ideò pro illo priori, quo terminat actionem agentis, eſt totalitèr extra cauſas quantum ad eſſe eſſentiæ, & ex parte ſui: non tamen eſt totalitèr extra cauſas, quantum ad eſſe ultimum exiſtentiæ. Eo quod nondum habet in facto eſſe exiſtentiam, quamvis ſit in via ad exiſtentiam habendam.

4. Arg. Ex identitate exiſtentiæ cum eſſentia nulla ſequitur infinitas: ergò quamvis exiſtentia cum eſſentia identificetur, infinita non erit. Prob. antec. 1. exiſtentia, & eſſentia creatas ſunt aliquid limitatum, & finitum. Sed finitum additum finito non facit

facit infinitum: ergo ex identitate eſſentiæ cum exiſtentia creata nulla ſequitur infinitas. Prob. min. Indiviſibile additum alteri indiviſibili non facit diviſibile, & extenſum: ergo finitum additum finito non facit infinitum. Conſ. à parit. bona eſt.

2. Exiſtentia creata realiter eadem eſt cum ſua eſſentia. Nam ipſa exiſtentia creata habet etiã ſua prædicata eſſentialia realiter ab ipſa indiſtincta. Et tamen exiſtentia creata infinita non eſt: ergo idem, quod priùs.

3. Ex identate eſſentiæ cum ultima actualitate de linea entis nulla ſequitur infinitas: ergo ex identitate illius cum exiſtentia propria infinitas non ſequitur. Prob. ant. Ex identitate cauſæ finalis cum ſua cauſalitate, quæ eſt ultima actualitas in linea finis, nulla ſequitur infinitas. Siquidem in probabili Thomiſt. ſent. cauſalitas finis conſiſtit in allicientia appetitus voluntatis, quæ tamen allicientia realiter diſtincta non eſt, ſed potiùs identificata cum ipſa bonitate finis abſque ulla infinitate: ergo pariter ex identitate eſſentiæ cum ultima actualitate de linea entis infinitas inferenda non eſt.

Reſp. ad arg. neg. antec & min. & ad prob. neg. conſ. Ratio que diſcriminis eſt. Quia indiviſibile ex conceptu formali eſt indiviſibile, & illi ſecundum formalem conceptum repugnat diviſibilitas, & extenſio. Iccòque licèt cum alio indiviſibili conjungatur, adhuc tamen indiviſibile manet. Et conſequentèr nequit præſtare extenſionem. Finitum verò, quod ex conceptu formali limitatum non eſt, ſi ſemel identificatur cum alio, à quo limitari debebat, totaliter infinitum, & illimitatum evadit. Quia nullum relinquitur principium limitationis. Et propterea cum exiſtentia creata ex conceptu formali limitata non ſit, ſed per eſſentiam limitari debeat: ſi cum eſſentia identificata conceditur, erit ſimpliciter infinita.

Inſtantia argumenti invenitur in anima, & gratia juſtificante, quarum quælibet finita eſt. Et tamen ſi anima identificaret gratiam juſtificantem, eſſet infinita ſimpliciter. Hoc idem etiam haberet intellectus, ſi intellectionem creatam identificaret. Et ſubſtantia creata, ſi identificaret ſupernaturalitatem creatam, quamvis omnia iſta de facto limitata, & finita ſint.

Sed inſt. Data identitate exiſtentiæ cum eſſentia, poſſet adhuc exiſtentia per cauſam efficientem limitari: ergo maneret adhuc principium limitationis. Et conſequenter infinita non eſſet. Prob. ant. Poteſt aliquid ex ſe non limitatum per cauſam efficientem limitari: ſi-

cut conſtat in ſpecie expreſſa creata quidditativa Dei, quæ in probabili ſententia Thomiſtarum poſsibilis eſt, quæ quidem ex ſe non eſt limitata, per cauſam tamen efficientem limitaretur: quia ab intellectu creato eſſet producta; ergo data identitate exiſtentiæ cum eſſentia, poſſet adhuc exiſtentia per cauſam efficientem limitari.

2. Inſt. Exiſtentia creata priùs intelligitur creata, & ab alio producta, quam intelligatur receptibilis in eſſentia: ergo quamvis receptibilis non eſſet, ſed eadem realitèr cum eſſentia, adhuc eſſet limitata. Prob. ant. Eſſe creatum, & ab alio productum eſt prædicatum analogicè commune ad omnem formam creatam, ſivè receptibilem, ſivè receptam, &c. Eſſe verò receptibilem eſt prædicatum proprium, & particulare formæ receptibilis. Sed prædicata communia, priora ſunt, quam prædicata particularia: ergo priùs exiſtentia intelligitur creata, & ab alio producta, quam intelligatur receptibilis in eſſentia.

Reſp. ad 1. replicam neg. ant. & ad prob. dicimus: quod ſpecies illa pro priori ad cauſam efficientem intelligitur receptibilis in intellectu creato. Et ideò ante cauſam efficientem intelligitur ex ſe limitata per ordinem ad intellectum creatum, in quo receptibilis eſt.

Ad 2. replicam reſpondetur: Prædicata ſuperiora eſſe priora in eſſendo, & prædicando abſolutè; non tamen in conſtituendo: ſed potiùs differentia propria cujuſcumque rei in conſtituendo ſpeciem prima eſt. Nec ſpecies ipſa intelligitur uſque quo differentia intelligatur. Et ideò exiſtentia creata intra ſpeciem propriam priùs intelligitur receptibilis, quam ab alio producta. Et ſi differentiam receptibilis non haberet, non eſſet in tali ſpecie, nec tali modo rationem communem contraheret. Quia ſi differentia eſſet differentia formæ irreceptibilis, ſpecies non eſſet ab alio.

Ad prob. 2. ant. princ. neg. conſ. Quia exiſtentia eſt actus verè, & propriè eſſentiæ completæ, illamque reſpicit ut potentiam, & proprium limitativum. Undè ſi cum illa identificaretur, careret limitativo, & evaderet infinita. Non tamen exiſtentia reſpicit eodem modo ſuam eſſentiam incompletam, nec tanquam verus actus comparatur ad ſe ipſam ut potentiam. Et ideò quamvis propriam eſſentiam identificet, limitata manet per ordinem ad eſſentiam completam, in qua receptibilis eſt. Sicut intellectio creata abſque ulla infinitate identificat ſuam eſſentiam; non tamen identificare poteſt eſſentiam.

tiam, & ſubſtantiam agentis. Quia ad iſtam comparatur tanquam verus actus ſecundus, & ideò limitatur: quia immediatè in intellectu, & mediatè in ſubſtantia operantis receptibilis eſt.

Ad 3. prob. ant. reſp. Sententiam oppoſitam probabiliorem eſſe. Illa tamen admiſſa, in qua argumentum procedit, dicimus exiſtentiam ex conceptu formali importare poſitivè perfectionem, & ideò abſque infinitate cum eſſentia identificari non poteſt: cauſalitas verò finis ex conceptu formali non dicit imperfectionem: quia reperitur in Deo formaliter; non tamen dicit poſitivè perfectionem, ſed ſolum permiſſivè. Quia contrahibilis eſt per cauſalitatem divinam ſummè perfectam, & etiam per cauſalitatem creatam; quæ imperfectionem importat. Eo quod cauſa finalis creata cauſat, ut in apprehenſione exiſtens, & ſolum intentionaliter movet, & ita ex identitate cauſæ finalis cum ſua cauſalitate infinitas inferenda non eſt.

Tandem arg. Quæ realiter diſtinguntur, poſſunt ſaltim per abſolutam Dei potentiam realiter ſeparari. Sed eſſentia, & exiſtentia creata realiter ſeparari non poſſunt etiam de potentia abſoluta. Quia ſi exiſtentia tollitur, eſſentia ultra non exiſtit, nec eſt in rerum natura: ergò exiſtentia creata realiter ab eſſentia diſtincta non eſt.

Conf. Non eſt aſſignabilis effectus formalis, quæm exiſtentia ſuperaddita poſſit eſſentiæ præſtare: ergò exiſtentia creata non poteſt eſſe aliquid ſupperadditum eſſentiæ, & realiter ab ea diſtinctum. Prob. antec. Exiſtentia ſuperaddita non poteſt præſtare eſſentiæ, quod ſit terminus actionis. Quia eſſentia ratione ſui terminat actionem ut *quod*, & immediatè producitur: ut *quo* verò conſtituitur in ratione termini per ipſam actionem cauſæ. Rurſus exiſtentia non poteſt eſſentiæ tribuere eſſe per ſe. Eo quod eſſe per ſe eſt proprius effectus ſubſiſtentiæ. Tandem exiſtentia nequit præſtare eſſe in alio receptivè, vel inhæſivè. Hoc enim à receptione, vel eductione præſtatur. Sed præter hos effectus alios aſſignabilis non eſt: ergò non eſt aſſignabilis effectus formalis, quem exiſtentia ſuperaddita poſſit eſſentiæ præſtare.

Conf. & urgetur 2. Dum Petrus exiſtit in rerum natura cum exiſtentia, quam ſuperadimus, deficit à Petro carentia eſſentiæ, & carentia iſta formaliter, & immediatè excluditur per eſſentiam Petri, ut ab exiſtentia diſtinctam. Eo quod cum

ſola eſſentia opponitur contradictoriè immediatè. Sed defectus formalis, & exclusio immediata unius contradictorij eſt formalis exiſtentia alterius: ergò dum Petrus exiſtit in rerum natura, eſſentia Petri, ut diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita, per ſe ipſam exiſtit. Sicut etiam immediatè per ſe ipſam non eſſentiam, vel carentiam eſſentiæ ſibi contradictoriam excludit.

Hæc tamen omnia pluſquam facilia ſunt, & ad ea reſpond. ad arg. quidem neg. maj. Quia totum, in plurium contrariorum ſententia, realitèr diſtinguitur à ſuis partibus à quibus tamen *etiam* de potentia abſoluta ſeparari non poteſt. Et in ſententia Thomiſt. & aliorum, totum realitèr diſt. à materia, à quo tamen non poteſt ſeparari, & relatio prædicamentalis realitèr differt à termino, & ab illo ſeparari non poteſt.

Ad 1. conf. reſp. Plura falſa continere videlicèt, eſſentiam conſtitui in ratione termini *quo* per ipſam actionem productivam. Nam terminus *quo*, vel producitur, vel communicatur per actionem, & in reproducta manet: actio verò nec ſe ipſam communicat, vel producit, nec in termino manet, ut per ſe manifeſtum eſt. Rurſus etiam falſum eſt eſſe in alio præſtari formalitèr ab eductione, à qua ſolum provenit efficientèr, & tandem præter numerata, eſt aſſignabilis effectus proprius, quem exiſtentia ſupperaddita poſsit eſſentiæ præſtare, videlicèt conſtituere ipſam extra omnes ſuas cauſas completè, & in facto eſſe, & ultimo in linea entis completam, & actuatam, quem effectum formalem non poteſt eſſentia per ſe ipſam habere, ut relinquimus probatum.

Ad 2. conf. reſp. Excluſionem formalem, & immediatam unius contradictorij ex terminis, & abſolute non eſſe exiſtentiam alterius. Nam eſſentia hominis in ſtatu poſsibilitatis excludit carentiam eſſentiæ. Quia eo modo, quo ibi invenitur eſſentia, non datur carentia illius: & idem de quacumque eſſentia in illo ſtatu dicendum, & tamen eſſentia in ſtatu poſsibilitatis non exiſtit per ſe ipſam. Loquendo verò de rebus, quæ in rerum natura exiſtunt, dicendum eſt excluſionem formalem, & immediatam unius contradictorij eſſe alterius exiſtentiam tanquam conditionem neceſſario requiſitam, non tamen tanquam formam formalitèr expellentem. Albedo namque per ſe ipſam ut connotantem exiſtentiam exercitam excludit in rerum natura carentiam ſui ipſius. Et relatio relationis ca-

rent-

rentiam, & eſſentia Petri per ſe ipſam excludit formaliter non eſſentiam : non quidem per ſe ipſam abſolutè, ſed per ſe ipſam ut exercitè exiſtentem, vel ut connotantem exercitam exiſtentiam.

Inſtantia manifeſta invenitur in ſententia contrarior. Ipſi namque aſſerunt, exiſtentiam virtualiter ab eſſentia diſtingui, in qua ſententia, eſſentia ut virtualiter ab exiſtentia diſtincta per ſe ipſam excludit non eſſentiam, vel carentiam eſſentiæ. Et tamen eſſentia ut ſic virtualiter ab exiſtentia diſtincta non exiſtit per ſe ipſam. Aliàs ut virtualiter ab exiſtentia diſtincta haberet etiam aliam exiſtentiam virtualiter diſtinctam, de qua idem fiet argumentum, & dabitur proceſſus in infinitum. Intellectus etiam Divinus ut virtualiter à voluntate diſtinctus excludit carentiam ſui: & idem de voluntate dicendum. Et tamen intellectus divinus ut ſic à voluntate diſtinctus non exiſtit per ſe ipſum. Aliàs haberet exiſtentiam virtualiter diſtinctam ab exiſtentia aliorum attributorum : & quodcumque attributum haberet exiſtentiam ab exiſtentia alterius attributi virtualiter adæquatè diſtinctam.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis infertur 1. Quod quando D. Th. *q.* 21. *de Verit. art.* 5. aſſerit : *Dato quod creatura eſſet ſuum eſſe, adhuc tamen creatura non haberet rationem boni, niſi præſuppoſito ordine ad creatorem*, loquitur dato impoſsibili, quod videlicèt creatura eſſet ſuum eſſe, & ſimul maneret in ratione creaturæ. Si namque in illa hypotesis creatura maneret, neceſſario diceret ordinem ad creatorem.

2. Inf. Ea quæ in inferioribus ſunt diſperſa, poſſe in ſuperioribus adunari, quando non adeſt ſpecialis repugnantia. Sicut practicum, & ſpeculativum adunantur in habitu Theologiæ, & in habitu fidei : qui tamen habitus ex conceptu formali importent receptibilis formæ. Ex quo tamen eſſentia, & exiſtentia in aliqua creatura, quamvis ſuperiori adunentur, ſequitur ſpecialis repugnantia, & infinitas, quam ſupra probavimus.

Inf. 3. Etiam ſubſiſtentiam eſſe realitet à ſubſtantia diſtinctam. Pro cuius intelligentia notamus. Quod ſicut in quacumque linea datur aliquis actus ultimus ; ita etiam in linea ſubſtantiæ datur aliquis

ultimus actus, quî dicitur ſubſiſtentia, quæ eadem non eſt cum ſingularitate, ſed ab ea realiter diſtincta. Sicut conſtat in Myſterio Incarnationis, in quo quidem humanitas ſingularis ſine propria ſubſiſtentia fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam divinam.

Nota 2. effectum formalem ſubſtantiæ eſſe reddere ſubſtantiam, vel naturam independentem ab alio tamquam à ſubſtentante, & incommunicabilem alteri ſuppoſito: quæ quidem ſubſtantia naturam irrationalem conſtituit ſuppoſitum: naturam verò rationalem denominat perſonam, & ita perſona diffinitur: *rationalis naturæ individua ſubſtantia.*

Modo autem doctrina illata prob. Nam quod identificat ultimam actualitatem dicentem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, eſt infinitum ſimpliciter. Sed ſubſiſtentia eſt ultima actualitas in linea ſubſtantiæ, & perfectio ſimplex, ſicut ipſa exiſtentia, & propter ſimilem rationem: ergò ſi ſubſtantia identificaret ſubſiſtentiam, eſſet ſimpliciter infinita, & conſequenter illam identificare non poteſt. Contra quam doctrinam non obſtat, D. Th. 1. *p. q.* 3. *art.* 3. affirmare, quod *in his, quæ non ſunt compoſita ex materia, & forma, nou differunt ſuppoſitum, & natura.* In quibus verbis apperte ſignificare videtur, in Angelis ſubſtantiam conſtituentem ſuppoſitum non eſſe realiter diſtinctam à natura.

Non inquam obſtant verba iſta D. Th. Quia ſuppoſitum poteſt accipi radicaliter pro ipſa natura individua, ad quam conſequitur ſubſiſtentia; & poteſt accipi formaliter, pro ipſa natura ut incommunicabili alteri ut ſuppoſito ſubſtentanti, ſecundum quam conſiderationem natura involvit formaliter ſubſiſtentiam. Ang. autem Præc. loquitur de ſuppoſito ſolum in prima acceptione: non tamen in acceptione ſecunda. Nam 3. *p. q.* 4. artic. 1. ad 3. expreſſe fatetur: naturam Angelicam potuiſſe aſſumi ad ſubſiſtentiam divinam: quia potuit ita præveniri, ut propria perſonalitate, & ſubſiſtentia careret, & hæc de articulo iſto in hoc lib. text. 17. ad Philoſophum applicanda.

ARTICULUS II.

Vtrùm materia habeat propriam exiſtentiam?

§. I.

Senſus difficultatis apperitur, & ſtatuitur noſtra concluſio.

IN præſenti difficultate unum jam probatum ſupponimus: & inquirimus aliud. Supponimus quidem exiſtentiam

tiam materiæ realiter ab illa distingui, & inquirimus, an ipsa materia, & forma, unica, & indivisibili existentia totius existant, an verò tàm materia, quam forma habeant proprias, & distinctas existentias? Quod sub alijs terminis à pluribus disputatur: Utrùm videlicèt in composito dentur existentiæ partiales? In qua parte duplex versatur sententia. Prima concedit materiæ propriam; & partialem existentiam. Illam tuentur PP. Societatis quibus extra scholam D. Thom. plures adhæssere sequaces. Secunda sententia multitudinem existentiarum, tamquam innanem excludit, solumque concedit unam existentiam dimanantem à forma, qua compositum, & ejus partes existunt. Consequenterque materiam propriam existentiam non habere. Ita universi Thomistæ cum Ang. Doct. Cum quibus sit.

§. II.

Nostra Conclusio.

Materia non habet propriam, & partialem existentiam.

COnclusionem esse mentem D. Th. nullus debet dubitare. Ipse namque 1. 2. q. 4. *artic.* 5. *ad* 2. asserit: *Quod idem est esse formæ, & materiæ, & hoc idem est esse compositi.* Quæ verba pro conclusione nostra expressissima sunt. Prob. tamen ex doctrina Div. Th. Quia quidquid habet existentiam, est ens in actu. Eo quod effectus existentiæ est rem in actu constituere. Sed materia prima antecedentèr ad formam non est in actu: ergò propriam existentiam non habet. Prob min. ex D. Th. 1. *p. q.* 7. *artic.* 2. *ad* 3. dicente: *Quod materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens actu, sed potentia tantum*: ergò minor vera est.

Respondebis. D. Th. non negare materiam esse ens in actu, sed solũ esse ens in actu cõpleto.

Contra tamen est. Quia D. Thom. illud affirmat tanquam proprium, & speciale materiæ. Sed non existere in actu completo non est proprium materiæ, sed etiam convenit formæ, quæ antequam uniatur materiæ, & sit in ipso composito, non est in actu completo: ergò solutio ad mentem D. Th. non est.

2. Impug. solutio ex D. Th. opusc. 31. approbante, quod asserit Avetrois 2. de Anima, quod videlicèt. *Materia nullum esse habet. Vndè simpliciter loquendo, forma dat esse materiæ.* Sed quod nullum habet esse, non habet etiam esse incompletum, & partiale: ergò ma-

materia ante formam non eſt in actu, etiam incompleto.

Ex his etiam impugnata manet ſolutio aliorum aſſerentium, D. Th. non negare materiam eſſe ens in actu ante formam; ſed tantum negare eſſe in actu per ſe ipſam, vel per exiſtentiam ſecum identificatam.

Manet inquam impugnata doctrina iſta. Quia D. Thom. 4. *contra gentes, cap.* 81. *art.* 3. aſſerit: *Quod materia non habet eſſe in actu, niſi per formam*; Ergò ante formam non eſt ens in actu: ſicut corpus non poteſt eſſe coloratum ante colorem. Quia non niſi per colorem habet eſſe coloratum.

2. Impug. Quia D. Th. ut vidimus, aſſerit; quod idem eſt eſſe formæ, & materiæ. Sed eſſe formæ non eſt ante formam: ergò materia ante formam non habet eſſe, & conſequenter ens in actu non eſt.

Ratione autem concluſio noſtra prob. Quia de conceptu formaliſſimo exiſtentiæ eſt eſſe ultimum actum, quo res ponitur extra cauſas. Sed exiſtentiæ materiæ hoc totum repugnat: ergò materia non poteſt propriam exiſtentiam habere. Maj. patet ex D. Thom. q. unica de Anima, *art.* 6. ad 2. aſſerente, & diffiniente, exiſtentiam eſſe ultimum actum, qui eſt participabilis ab omnibus, & ipſum non participare, id eſt, omnia ad exiſtentiam ordinari, & per ipſam actuari, illam tamen ad alterum non ordinari, nec per alterum actuari poſſe: ergò exiſtentia eſt ultimus actus, quo res ponitur extra cauſas. Mi. autem princ. prob. Exiſtentia materiæ eſſet potentialis, & actuabilis per exiſtentiam formæ: ergò non eſſet ultimus actus. Quia ultimum in aliqua linea eſſentialiter repugnat ad alterum ordinari. Poſt ultimum namque in aliqua linea non datur aliud. Sicut non datur aliud ante primum. Antec. prob. Exiſtentia totius, quæ in ſententia reſultatum ex partialibus exiſtentijs reſultat, eſt una per ſe: ergò exiſtentia materiæ erit potentialis, & actuabilis per exiſtentiam formæ. Quia totum per ſe debet habere partes, quarum una ad alteram ordinetur.

Ad rationem iſtam adverſarij auſi ſunt negare majorem, aſſerunt namque de conceptu formali exiſtentiæ in communi non eſſe, quod ſit ultimus actus, ſed hoc dumtaxat exiſtentiæ completæ convenire. Vndè pro inconvenienti non habent quod exiſtentia materiæ, quæ in eorum ſententia, partialis, & incompleta eſt, per exiſtentiam formæ, actuabilis, & determinabilis ſit.

Hoc eſt principium inexpugnabile contrariorum, in quo

omnes

omnes unanimiter conveniunt, in negando videlicèt diffinitionem exiſtentiæ. Quod quidem impugnatur.

1. Ex D. Th. qui *q. 7. de pot. art. 2. ad 9.* aſſerit: quod eſſe nihil addi poteſt, quod ſit eo formalius, ipſumque determiner, ſicut actus potentiam. Sed ſi aliqua exiſtentia non eſſet ultimus actus, ſed potius eſſet ad alteram ordinabilis, & actuabilis per aliam, jam una exiſtentia eſſet altera formalior, ipſamque terminaret: ſicut actus determinat potentiam: ergò repugnat, aliquam exiſtentiam non eſſe ultimum actum.

2. Reijcitur. Exiſtentia in communi ex conceptu formali eſt actus ultimus ad alium non ordinabilis: ergò repugnat exiſtentia aliqua, quæ non ſit ultimus actus. Prob. antec. Exiſtentia in communi ex conceptu formali eſt actus ſecundus in linea entis. Sed actus ſecundus cujuſcumque lineæ in eadem linea ultimus actus eſt, ut per omnes diſcurrenti conſtabit: ergò exiſtentia in communi ex conceptu formali eſt ultimus actus.

3. Efficatiſsimè impug. data ſolutio; quia exiſtentia in communi contrahibilis non eſt per exiſtentiam partialem, & potentialem: ergò non eſt dabilis exiſtentia potentialis, & partialis ad alteram ordinata. Prob. ant. Exiſtentia in communi contrahibilis non eſt per illud, quod ſecundum ultimam differentiam eſt extra lineam actus ſecundi. Siquidem exiſtentia eſſentialitèr eſt in linea actus ſecundi, & conſequenter non poterit contrahi per illud, quod ſecundum ultimam differentiam eſt extra lineam actus ſecundi. Sed exiſtentia partialis, & potentialis ſecundum ultimam differentiam eſt extra lineam actus ſecundi: ergò exiſtentia in communi per exiſtentiam partialem, & potentialem contrahibilis non eſt. Prob. min. Exiſtentia potentialis ſecundum ultimam differentiam eſt extra lineam actus: ergò etiam eſt extra lineam actus ſecundi. Conſ. evidens eſt, & ant. prob. Exiſtentia potentialis ſecundum ultimam differentiam eſt in linea potentiæ. Siquidem ſecundum ultimam differentiam potentialis eſt, & ad alteram ordinata: ergò ſecundum ultimam differentiam extra lineam actus eſt.

4. Impug. Si ſemel una exiſtentia per alteram actuatur, debet per aliam exiſtere. Nam ſi una actuat alteram, communicabit illi proprium effectum formalem. Et conſequenter illam reddet exiſtentem. Sed una exiſtentia nequit per aliam exiſtere: ergò non poteſt una ad alteram ordinari. Prob. min.

Quod

Quod exiſtentia habet à ſe in genere cauſæ formalis non poteſt habere ab alio in eodem genere cauſæ. Sicut patet in forma ſubſtantiali, quæ non poteſt habere ſpeciem ab alia forma, quia illam habet à ſe in genere cauſæ formalis, & propter eandem rationem non poteſt quantitas extenſionem ab alia forma deſumere. Sed exiſtentia habet à ſe in genere cauſæ formalis exiſtere: ergò exiſtere non poterit per alteram exiſtentiam.

Reſpondebis fortasè. Quod exiſtentia potentialis habet à ſe exiſtere incompletè, & ita poterit completè exiſtere habere per alteram exiſtentiam.

Contra tamen eſt, quia forma ſubſtantialis habet à ſe in genere cauſæ formalis eſſe actum primum, & quantitas extenſionem, non poſſunt ab alijs formis ſimiles effectus, nec completè, nec incompletè participare. Sed exiſtentia habet à ſe in genere cauſæ formalis exiſtere: ergò nec completè, nec incompletè poterit exiſtere per alteram exiſtentiam.

2. Impug. Unius rationis formalis non datur alia. Sed exiſtentia eſt ratio formalis exiſtendi: ergò nec completè, nec incompletè poteſt per aliam exiſtere.

3. Exiſtentia ex conceptu formali eſt completa in genere exiſtendi, vel faciendi formaliter exiſtere: ergò una exiſtentia, nec completè poterit exiſtere per alteram exiſtentiam. Prob. ant. Primum in quocumque genere debet eſſe ex conceptu formali in eodem genere completum. Nam primum in quocumque genere eſt illud, à quo cætera ſunt talia, & conſequentèr omnia participant ab illo; ipſum verò non participat ab alijs, ac proindè completum eſt. Aliàs ab alijs participaret completionem. Sed exiſtentia ex conceptu formali eſt primum principium in genere exiſtendi, ſicut forma ſubſtantialis eſt primum principium in genere dandi ſpeciem, & quantitas in linea extendendi, & relatio in genere referendi: ergò exiſtentia in genere exiſtendi completiſsima eſt.

2. Prob. concluſio. Effectus formalis exiſtentiæ eſt conſtituere rem extra omnes ſuas cauſas. Sed materia ex ſe, & antecedenter ad formam extra omnes cauſas non eſt. Siquidem ante formam non eſt extra cauſalitatem ipſius formæ: ergò ante formam nequit habere exiſtentiam. Prob. maj. Effectus formalis exiſtentiæ eſt, conſtituere rem completè extra ſtatum poſsibilitatis. Sed quando res non eſt extra omnes ſuas cauſas, non eſt completè extra ſtatum poſsibilitatis, ſed adhuc

manet

manet in potentia ſuæ cauſæ: ergo effectus formalis exiſtentiæ eſt conſtituere rem extra omnes ſuas cauſas.

3. prob. concl. Partes totius fiunt extenſæ per quantitatem, & exiſtentiam, qua totum extenſum eſt, & per eandem albedinem omnes partes reddũtur albe: ergò per exiſtentiam totius poterunt exiſtere omnes partes. Conſequentèrque ut materia exiſtat, non erit neceſſaria exiſtentia diverſa ab exiſtentia totius.

Conf. Si materiam propriam exiſtentiam haberet eſſet compoſita ex potentia, & actu: & conſequentèr non eſſet primum ſubiectum, nec eſſet pura potentia: & forma ſimilitèr non eſſet primus actus. Siquidem alium actum ſupponeret: ergo materia non poteſt propriam exiſtentiam habere.

2. Conf. & urgetur. Eadem actione, qua producitur totum, producuntur ejus partes: ergo per eandem exiſtentiam exiſtunt. Quia productio ponit terminum ſub exiſtentia. Ex quo etiam habetur, quod ſi materia propriori ad formam exiſteret, propriori etiam ad formam eſſet ultimo completa. Eo quod eſſet in ultimo termino productionis. Nam ultimus terminus productionis eſt ipſa exiſtentia, ad quam actio productiva ultimatè terminatur.

4. prob. concl. Quia ex duobus entibus in actu non poteſt unum ens per ſe reſultare. Sed ſi materia propriam exiſtentiam haberet, & ſimilitèr forma, eſſent duo entia in actu. Nam effectus exiſtentiæ eſt rem in actu conſtituere: ergo ex materia, & forma non poſſet fieri unum ens per ſe, quale eſt compoſitum ſubſtantiale. Mai. prob. 1. Propterea namque in doctrina Ariſtot. 8. Metaphyſ. text. 13. Ex ſubiecto, & accidenti non poteſt unum per ſe reſultare: quia accidens advenit ſubiecto jam in actu conſtituto per formam videlicèt ſubſtantialem: ergo ex duobus entibus in actu non poteſt unum per ſe reſultare. Et propterea D. Th. *opuſc.* 15. *cap.* 7. approbat conſequentiam veterum Phyloſophorum, qui ex quo materia eſt ens in actu, inferebant per ſe ſolam eſſe rerum omnium ſubſtantiam, & formam illi advenientes eſſe omninò accidentales non conſtituentes unum per ſe cum materia.

2. Ens per ſe ſolum fit ex actu, & potentia. Sed duo entia in actu non ſe habent ut actus, & potentia, ſed tantum ſe habent ut unum in actu, & alterum in actu: ergo ex illis non poteſt unum per ſe reſultare. Et ideò ex humanitate, & verbo reſultat una perſona per ſe: quia

quia humanitas comparatur ad ſubſiſtentiam divinam tanquam potentia actuabilis, & complebilis per ipſam; non tamen ex natura divina, & humana reſultat una natura totalis, propter rationem oppoſitam. Nec ex intellectu divino, & humano reſultat unus intellectus totalis; quia intellectus humanus non ſe habet ut potentia actuabilis per intellectum divinum.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra concluſ. iſtam arg. 1. Materia ante formam verè, & propriè exiſtit: ergo habet propriam, & partialem exiſtentiam: prob. ant. Omnis cauſa pro priori quo cauſat, debet exiſtere. Sed materia pro priori ad formam cauſat formam ipſam in genere cauſæ materialis, in quo genere formam præcedit: ergo materia ante formam verè, & propriè exiſtit.

Reſp. aliqui Thomiſtæ materiam ante formam iam intelligi exiſtentem; non per illud, per quod eſt priùs natura tàm forma, quàm exiſtentia; ſed per ipſam exiſtentiam à qua non poteſt pro illo priori præſcindere. Nam quod ſolum prioritate à quo alterum præcedit, ſemper cum alio intelligitur. Sicut Pater ſemper intelligitur cum Filio quem antecedit prioritate à quo. Et actus liber ſemper intelligitur cum termino producto, quem tamen prioritate à quo antecedere debet. Et ſubſtantia, quæ eſt ſubiectum quantitatis, ſemper cum quantitate, & extenſione intelligitur.

Hæc tamen ſolutio doctrinam Thomiſtarum firmiorem, & magis principijs Metaphyſicæ conformem, & ſimul cauſarum prioritatem evertit. Cauſarum namque prioritatem tollit. Quia ſi materia ante formam intelligitur exiſtens formaliter, & completè, non poteſt formam præcedere prioritate naturæ: ergo tollitur cauſarum prioritas. Prob. ant. Si ante formam intelligitur exiſtens completè, & formaliter, ante formam etiam intelligitur cum ultimo actu, qui eſt exiſtentia. Sed ſi ante formam intelligitur cum ultimo actu, etiam intelligitur cum actu primo, qui eſt ipſa forma: ergo ante formam intelligitur cum forma. Et conſequenter non præcedit ipſam prioritate naturæ, niſi ſimul verificetur, præcedere, & non præcedere formam. Præcedere quidem, ut ſupponimus. Et non præcedere. Quia ante formam intelligitur cum forma.

Ex-

Explicatur, & urgetur impugnatio. Implicat materiam pro priori ad formam intelligi cum effectu formæ: ergò implicat intelligi exiſtentem ante formam. Pater Conſeq. Quia non poteſt intelligi exiſtens, vel cum effectu exiſtentiæ, quin intelligatur cum effectu formæ, qui eſſentialitèr prior eſt. Ant. verò prob. Effectus formalis formæ eſt ipſa forma communicata formalitèr. Sed implicat materiam ante formam intelligi cum forma pro illo priori. Aliàs intelligeretur prior, & non prior forma: ergò implicat intelligi cum effectu formali formæ.

3. Impug. ſolutio. Pro illo priori, quo materia præcedit formam; præcedit etiam exiſtentiam prioritate naturæ, ut per ſe manifeſtum eſt. Sed pro illo priori quo materia præcedit exiſtentiam etiam effectum exiſtentiæ præcedit: ergò implicat materiã pro illo priori exiſtentẽ intelligi. Aliàs intelligeretur exiſtẽs ante effectũ exiſtẽtiæ.

4. Implicat ſubjectum ante formam intelligi cum effectu formali formæ. Sicut implicat ſubjectum intelligi album, antequam intelligatur albedo: & intellectum intelligentem in actu ſecundo completè, & formalitèr antequam intelligatur intellectio: & ſubſtantiam, quantificatam, & extenſam, antequam quantitas intelligatur. Sed materia pro illo priori quo præcedit tàm formam, quàm exiſtentiam, intelligitur ante exiſtentiam, & formam: ergò implicat intelligi exiſtentem pro illo priori.

5. Solutio prædicta in æquivoco laborat. Nam aliud eſt materiam pro illo priori intelligi ſine exiſtentia; aliud verò non intelligi cum illa. Primum quidem falſum eſt. Quia materia nequit intelligi ſine illo, quod habet pro inſtanti reali temporis, qualitèr materia habet exiſtentiam, dum recipit illam. Secundum autem eſt verum. Quia materia pro illo priori non dum intelligitur completè, & formalitèr cum forma, quam antecedit prioritate naturæ, & conſequentèr non dum intelligitur cum exiſtentia completè, ſed ſolum incompletè, & vialitèr, quatenùs pro illo priori cauſat, & recipit formam. Ac proindè eſt in fieri, & in via ad habendam exiſtentiam.

Exempla verò quibus utitur prædicta ſolutio ad propoſitum non veniunt. Nam illud, quod prioritate naturæ alterum antecedit, non intelligitur cum alio ut exiſtente formalitèr pro eodem priori. Aliàs non intelligeretur ut antecedens ipſum. Quamvis verum ſit non poſſe intelligi, quia intelli-

telligatur aliud ut pro alio poſteriori conſequtum. Sicut actus liber, & ſcientia practica Dei non poſſunt intelligi, quin intelligatur effectus ut conſequtus pro poſteriori naturæ; non tamen intelligitur effectus ut præcedens in eadem prioritate ſuæ cauſæ. Neque Filius in divinis intelligitur ut præcedens in eadem prioritate originis, in qua intelligitur Pater, quamvis non poſsit Pater intelligi, quin intelligatur Filius ut pro alio poſteriori originis exiturus. Circa eandem ſolutionem, & doctrinam plura facillimè occurrunt, quæ tamen examinare non licèt, ne tempus innanitèr conſumatur. Relicta igitur ſolutione iſta, alitèr.

Ad argum. reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. Exiſtere vialitèr, & in fieri, vel in facto eſſe. conc. mai. Exiſtere in facto eſſe: neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Licèt namque cauſa efficiens pro illo priori, quo cauſat, debeat exiſtere completè. Eo quod cauſa efficiens agit in quantum eſt in actu, & tendit ad communicandam exiſtentiam. Et ita debet exiſtentiam habere. Cauſam tamen materialis prima non cauſat, quia eſt, ſed ut ſit. Non dat eſſe, ſed potiùs accipit illud à forma. Et quando cauſat, tendit ad eſſe acquirendum, & exiſtentiam recipiendam. Et ideò pro priori, quo cauſat, ſolum exiſtit vialitèr, & in fieri, quatenùs eſt intendentia, & via ad exiſtentiam habendam.

Solutionem iſtam noſtram, & communem Thomiſt. difficultatem magnam involvere, & difficilitèr intelligi affirmat quidam ex noſtris: & illam impugnat 1. Quia ſi materia pro illo priori verè tendit ad acquirendam exiſtentiam, hoc quod eſt materiam tendere exiſtentiam, verè exiſtit in rerum natura. Quia ſicut Petrum currere eſt curſum Petri exiſtere: ita materiam tendere eſt tendentiam materiæ exiſtere: ergo etiam ipſa materia pro illo priori verè exiſtit. Nam implicat materiam pro illo priori exerceri exercitio exiſtenti, & eam non exiſtere ſimul.

2. Si materia per ſolam ſubiectionem ad cauſam efficientem tranſit de ſtatu poſsibilitatis ad ſtatum accidentalem vialitèr exiſtendi, per eandem ſubiectionem poterit ad formalem exiſtentiam tranſire; hoc admittendum non eſt: ergo materia pro illo priori verè exiſtit, & non ſolum eſt in via ad exiſtentiam per ſubiectionem ad cauſam efficientem incipientem producere.

3. Materia in illo ſtatu viali habet aliquid, per quod diſtinguatur à nihilo: ergo habet exiſtentiam, vel exiſtentia neceſſa-

ceſſaria non eſt, ut res aliqua à nihilo diſtinguatur.

4. Si doctrina vera eſt, materia pro illo priori habet actu rationem puræ potentiæ, & ſubjecti receptivi: ergò pro illo priori diſtinguitur à ſe ipſa intra ſtatum poſsibilitatis: ergo eſt ens ſimplicitèr pro illo priori, & verè exiſtens. Nam ſecundum D. Th. 1. p. q. 5. art. 1. ad 1. *Secundum hoc aliquid ſimpliciter dicitur ens, ſecundum quod primo diſcernitur ab eo, quod eſt in potentia tantum.*

5. In illo ſtatu viali materia eſt jam extra cauſam efficientem: ergò eſt etiam extra omnes alias cauſas, & conſequentèr exiſtit. Nam cauſa efficiens non alitèr agit, & producit effectum, quam extrahendo illum extra ſuas cauſas. Eo quod cauſa efficiens effectui extrinſeca eſt, & non dat illi eſſe per ſe ipſam, ſed media cauſa formali. Sicut album non producitur effectivè, niſi quatenùs efficitur albedo, quæ eſt cauſa formalis albi.

6. Implicat formam, quæ educitur de potentia materiæ, intelligi pro aliquo priori ut à cauſa efficiente, & non intelligi eductam: ergo implicat materiam intelligi pro aliquo priori ut à cauſa efficiente, & non intelligi ut habentem eſſe à forma, & conſequentèr extra cauſam formalem. Patet conſ. Quia non minus materia pendet à forma, quam forma pendeat à materia.

7. Materia, vel accipit illud eſſe viale à forma, vèl habet aliundè. Si aliundè habet: ergo cauſa formalis illius non eſt forma. Et conſequentèr effectus ille non dependet à forma, ſed potiùs ante illam erit completè productus extra omnes ſuas cauſas. Si verò illud eſſe venit à forma, non poteſt eſſe ante formam. Quia effectus formalis formæ ante formam non eſt. Ac proindè materia non habebit eſſe viale antecedentèr ad formam.

Hæc tamen faciliora ſunt, quam à viro docto ſperarem. Et ad 1. reſp. diſt. antec. Verè exiſtit ſecundum quid, & in via: conc. antec. Abſolutè, & ſimplicitèr: neg. ant. & conſeq. Illud namque eſſe viale non eſt diſtinctum ab ipſa materia, ſed potius eſt materia ipſa ut primo incipit terminare actionem cauſæ efficientis. Cumque materia, ut primo incipit terminare actionem cauſæ efficientis, ſolum exiſtat vialitèr. Indè eſt, quod illud eſſe viale ſolum vialitèr exiſtit, ſicut, & ipſa materia. Ad eum modum quo materia pro priori ad formam cauſat formam, & refertur ad illam relatione tranſcendentali: & materiam ita cauſare, & referri exiſtit in rerum natura.

Et tamen illa relatio, & cauſaitas materiæ non exiſtit completè, ſed ſolum vialitèr, ſicut materia ipſa.

Dices. Illud eſſe viale adveniente forma non erit: ergò modo completè exiſtit, vel nunquam exiſtit completè.

Reſp. Quod illud eſſe viale, quantum ad denominationem non erit adveniente forma. Quia quantum ad denominationem dependet à præciſione, & ab hoc ſtatu incompleto, qui incapax eſt, ut aliquando ſit completus. Illud tamen eſſe viale adveniente forma erit quo ad entitatem, ſicut etiam ipſa materia, à qua illud eſſe quantum ad entitatem diverſum non eſt.

Ad 2. reſp. Statum vialem nihil aliud eſſe, quam ipſam materiam ut incipientem moveri, & terminare actionem cauſæ efficientis. Et ideò mirum non eſt materiam per ſubjectionem ad cauſam efficientem adhunc ſtatum pervenire. Exiſtentia vero formalis provenit ab exiſtentia tanquam à cauſa formali: & propterea non poteſt materia per ſolam ſubjectionem ad cauſam efficientem, & ſine exiſtentia formali tranſire ad exiſtendum formaliter.

Ad 3. reſp. Materiam in illo ſtatu viali incipere jam moveri, & connotare actionem cauſæ efficientis, per quod diſtinguitur à nihilo, non quidem conſumativè, & completè, ſed incompletè, & vialitèr. Ad quam diſtinctionem exiſtentia in recto neceſſaria non eſt, ſed ſolum de connotato, quatenùs materia tendit ad ipſam.

Ad 4. reſp. Materiam pro illo priori habere actu rationem puræ potentiæ actualitate viali ipſius eſſentiæ, ut connotantis actionem cauſæ efficientis, & vialitèr à ſe ipſa intra ſtatum poſsibilitatis diſtingui, & ita non eſſe ens ſimplicitèr. Quia eſſe ſimplicitèr eſt illud per quod res ipſa completè, & in facto eſſe primo diſcernitur ab eo, quod eſt in potentia tantum, quod quidem eſſe ſolum præſtatur ab exiſtentia formali, & in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Thom.

Ad 5. reſp. Materiam in illo ſtatu viali eſſe etiam extra cauſam efficientem, & extra omnes alias cauſas vialitèr, & incompletè. Quia incipit moveri per cauſam efficientem, & eſt in via, ut ponatur extra formam, & exiſtentiam completè, & in facto eſſe: non tamen eſſe materiam pro illo priori extra cauſam efficientem completè. Eo quod nondum eſt complete extra formam, & exiſtentiam, quibus completur actio cauſæ efficientis, quæ non dat eſſe completum uſque quo effectus

tus ſit completè extra omnes ſuas cauſas.

Ad 6. reſp. Materiam pro priori, quo intelligitur cum prima dependentia exercita à cauſa efficienti, nondum intelligi eductam completè, & in facto eſſe, ſed ſolum vialitèr, & in fieri. Quia actio eductiva completa non eſt uſque ad ipſam exiſtentiam, & eodem modo intelligi materiam ut habentem eſſe à forma vialitèr, & in fieri.

Ad 7. reſp. Materiam habere illud eſſe viale à ſe ipſa ut connotante actionem exercitam cauſæ efficientis, & incipiente moveri, & tendere ad formam, & exiſtentiam, & conſequentèr ipſam materiam eſſe cauſam formalem talis eſſe quantum ad denominationem, quam præſtat; non tamen illius quantum ad entitatem, quæ diſtincta non eſt ab entitate materiæ. Et ideò illud eſſe quantum ad entitatem non eſſe completè ante formam extra omnes ſuas cauſas. De quo ante dictum eſt.

Sed inſt. Materiæ pro priori ad formam debetur concurſus ad formam recipiendam. Quia cauſæ proximè diſpoſitæ debetur concurſus, & materia pro illo priori proximè diſpoſita eſt ad formam recipiendam. Sed concurſus non debetur cauſæ poſsibili, ſed cauſæ exiſtenti: ergò materia pro illo priori exiſtit.

2. Inſt. Eodem proportionali modo ſe habet materia reſpectu formæ, quo ſe habet eſſentia completa reſpectu exiſtentiæ. Sed eſſentia completa eſt cauſa efficiens reſpectu exiſtentiæ. Quia eſt principium dimanationis illius, & principium dimanationis reducitur ad genus cauſæ efficientis: ergò etiam materia eſt cauſa efficiens reſpectu formæ, & conſequentèr pro priori ad formam exiſtit.

3. Intellectus eſt cauſa materialis intellectionis, & tamen pro priori ad illam intelligitur exiſtens: ergò idem de materia comparativè ad formam.

Reſp. ad 1. reſp. Quod, ut concurſus debeatur materiæ pro priori ad formam, ſufficit materiam eſſe proximè diſpoſitam, & ad hoc ſatis eſt, quod pro illo priori ſit proximè capax habendi formam, & vialitèr exiſtendi. Undè ſi materia nullam haberet diſpoſitionem ad hanc formam potiùs quam ad aliam, non deberetur illi concurſus, niſi tantum ad aliquam formam vagè. Eo quod materia non poteſt exiſtere ſine ulla forma.

Ad 2. Eſſe duplicem dimanationem: unam quidem ſtrictam, & propriam, qua paſſiones ab eſſentia dimanant, &

conſequuntur ex principijs ſpecificis, vèl communibus: quæ dimanatio reducitur ad genus cauſæ efficientis. Aliam autem eſſe dimanationem latam, qua omnia quæ fiunt per eandem actionem, dicuntur ab eſſentia dimanare, qualia ſunt omnia prædicata logicè contingentia pertinentia ad quintum prædicabile, inter quæ exiſtentia numeratur: & hæc dimanatio non reducitur ad genus cauſæ efficientis & ita paritas adducta nulla eſt.

Ad 3. Intellectum reſpectu intellectionis non ſolum eſſe cauſam materialem, ſed etiam eſſe cauſam efficientem, & ita mirum non eſt, quod pro illo priori exiſtat.

Sed inſt. Intellectus reſpectu ſpeciei intelligibilis ſolùm eſt cauſa materialis, & tamen prævie ad illam intelligitur exiſtens: ergo de ratione cauſæ purè materialis eſt exiſtentia pro illo priori, quo cauſat.

Reſp. Intellectum in ordine ad ſpeciem intelligibilem eſſe cauſam materialem ſecundùm quid tale, quatenùs ab illa ſolum habet eſſe tale ſecundùm quid. Et ità pro priori ad ipſam intelligitur cum exiſtentia ſimpliciter. Sicut compoſitum ſubſtantiale intelligitur cum exiſtentia ſimpliciter pro priori ad accidentia, à quibus tantùm accipit eſſe ſecundùm quid tale. Materia verò eſt cauſa ſimpliciter reſpectu formæ, & ideò diſpar eſt ratio.

Dices. Cauſa materialis ſimpliciter talis fundat relationem prædicamentalem ad formam, ut modo ſupponimus ex doctrina D. Th. Sed relatio prædicamentalis exiſtentiam extremorum requirit; ergo etiam cauſa materialis ſimpliciter talis debet habere exiſtentiam pro eo priori, quo cauſat.

Reſp facile. Relationem prædicamentalem requirere extrema exiſtentia pro eodem inſtanti reali temporis, & in *quo*, non tamen pro omni priori à *quo*. Sicut 1. p. q. 14 dicitur de notitia intuitiva, quæ non requirit præſentiam objecti, niſi pro eodem inſtanti reali temporis, & in quo. Nam notitia intuitiva quam Deus habet de rebus, prioritate à quo rerum exiſtentiam præcedit, ſiquidem illam efficienter producit.

2. Arg. Materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo non poteſt exiſtere per exiſtentiam formæ. Aliis adveniente forma adquireret exiſtentiam: & forma deficiente exiſtentiam amitteret; quod eſſet vere generari, & corrumpi.

Conf. 1. Si materia exiſteret per exiſtentiam formæ, cauſaret ſe, quando cauſat formam. Quia ſaltem mediatè cauſaret exiſtentiam ſui provenientem à forma. Hoc non eſt dicendum:

dum: ergò materia non poteſt exiſtere per exiſtentiam formæ, ſed propriam, & partialem exiſtentiam debet habere.

Conf. 2. Materia eſt cauſa efficiens ſuarum proprietatum antecedenter ad formam. Sed cauſa efficiens ſupponitur exiſtens: ergò materia pro priori ad formam exiſtit.

Reſpondebis materiam habere proprietates metaphyſicas, ſicut eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, & appetitum formarum; & huiuſmodi aliàs, quæ efficienter à materia non procedunt; non tamen habere aliquas proprietates phyſicas, phyſicè à materia dimanantes, & phyſicè efficientèr à materia productas.

Sed contra eſt. Quia quantitas eſt proprietas phyſica materiæ, cui competit ſoli, & ſemper. Et aliàs eſt proprietas realitèr à materia diſtincta, quæ propter diſtinctionem realem poteſt à materia efficienter produci: ergò materia habet proprietatem phyſicam efficientèr producibilem ab ipſa.

Reſp. ad argum. Corruptionem eſſe tranſitum de eſſe ad non eſſe. Cumque materia quando formam amittit, non tranſeat de eſſe ad non eſſe, ſed de eſſe quod habebat, ad novum eſſe formæ advenientis: indè fit materiam non corrumpi, & propter ſimilem rationem non generari. Quia nunquam tranſit de non eſſe ad eſſe, niſi quando creatur; ſed tranſit de eſſe ſub una forma ad eſſendum ſub alia.

Ad 1. conf. reſp. Quod ſicut materia cauſando formam, non cauſat mediatè ſe ipſam; quia cauſat formam in genere cauſæ materialis, à qua tamen non cauſatur in hoc genere, ſed in genere cauſæ formalis; ità cauſando formam cauſat etiam in genere cauſæ materialis exiſtentiam ſui mediatè, ſicut illam mediatè recipit, non tamen cauſat mediatè ſe ipſam. Eo quod materia ab exiſtentia, quam recipit, non cauſatur ut à cauſa materiali, ſed ut à cauſa formali.

Ad 2. conf. bona eſt ſolutio inter arguendum data, & ad repl. reſp Nullam eſſe proprietatem phyſicam à materia verè in compoſito immediatè dimanantem; ſed omnem proprietatem etiam ipſam quantitatem à forma ſecundum gradum particularem, vèl communem immediatè dimanare. Etſi quantitas invenitur ubicumque eſt materia, & non in alijs materia carentibus, hoc ideò eſt: quia ſolum intebus materialibus invenitur forma ſecundum gradum corporeitatis, à quo quantitas dimanat.

3. Arg. Exiſtentia eſt actus eſſen-

ſentiæ. Sed materia habet propriam eſſentiam diverſam ab eſſentia formæ: ergò propriam exiſtentiam habebit.

Reſp. exiſtentiam eſſe actum immediatum; non quidem eſſentiæ incompletè qualis eſt eſſentia materiæ; ſed ſolum eſſentiæ completæ, quæ ſola capax eſt ut immediatè per exiſtentiam extra cauſas ponatur.

Sed inſt. Ergò datur eſſentia incompleta: ergò etiam datur exiſtentia incompleta. Nam exiſtentia cum eſſentia proportionari debet.

Reſp. Exiſtentiam quantum ad hoc debere proportionari cum eſſentia ſolum, quam immediatè actuat, quamque immediatè conſtituit extra cauſas, quæ ſolum eſt eſſentia completa.

Dices. Exiſtentia debet proportionari cum eſſentia completa, ut concedimus. Sed eſſentia completa componitur ex duplici eſſentia partiali: ergò etiam exiſtentia componitur ex partialibus exiſtentijs.

Reſp. diſt. mai. Proportione poſsibili, & debita: conc. mai. Proportione repugnanti ultimo termino: neg. mai. & conc. min. neg. conſ. Quia exiſtentia eſt ultimus terminus: & ita proportionari non debet cum eſſentia, quantum ad compoſitionem ex pluribus. Nam de ratione ultimi termini eſt ſimplicitas: unus terminus ultimus ſufficit ad actuandas omnes partes ſubjecti recipientis. Sicut una figura ſufficit ad figurandas omnes partes quantitatis, cujus eſt ultimus terminus. Quapropter proportio exiſtentiæ cum eſſentia debet eſſe ſolùm quantum ad alia, quatenùs videlicèt exiſtentia, & eſſentia ſunt ejuſdem ordinis, & comparantur per modum potentiæ, & actus.

4. Arg. Non implicat ultimum actum alicuius lineæ ad alterum ordinari: ergò non implicat exiſtentia partialis propria materiæ, & ad aliam ordinata. Prob. ant. 1. Nam in ſententia probabili, materia habet actum metaphyſicum, qui in hac linea eſt ultimus actus, & tamen actus iſte actuatur per ultimam differentiam formæ, & ad ipſam ordinatur; ergò non implicat ultimum actum alicuius lineæ ad alterum ordinari.

2. Intellectio eſt ultimus actus in linea intellectiva, & tamen ordinatur ad ultimum actum de linea intelligibili paſsiva, ſcilicèt ad verbum: ergò idem quod priùs.

3. Sicut poſt ultimum non eſt dabile aliud ultimum, ita ante primum non eſt dabile aliud primum, & tamen poteſt unus primus actus alterum ſupponere, & unus ad alterum or-

ordinari. Sicut forma Embrionis ordinatur ad formam hominis: ergò idem.

Resp. Actum metaphysicum materiæ non ordinari ad actum metaphysicum formæ. Quia differentiæ divisivæ generis sunt oppositæ inter se, & ideò non potest una ad alteram ordinari, nec actuari per aliam.

Sed contra. Quia actus metaphysicus materiæ est ratio puræ potentiæ. Sed ratio puræ potentiæ per formam actuabilis est, & ordinatur ad illam: ergò actus metaphysicus materiæ debet actuari per actum metaphysicum formæ, & ad ipsum ordinari.

Resp. dist. mai. Ratio puræ potentiæ metaphysicè considerata: conc. mai. Physicè sumpta nego mai. & dist. min. Ratio puræ potentiæ physicè sumpta con. min. Metaphysicè considerata: nego min. & conseq. Ratio namque puræ potentiæ physicè considerata ordinatur ad formam, sicut, & ipsa materia; considerata tamen metaphysicè solum habet esse differentiam contractivam rationis communis ad materiam, & formam; differentia autem contractiva rationis communis ut talis est, non ordinatur ad alteram differentiam, sed potiùs cum illa essentialem oppositionem importat.

Ad 2. prob. princ. antec. resp. Ultimum unius generis benè posse ad ultimum alterius generis ordinari. Sicut intellectio, quæ est ultima actualitas in linea intelligibili activa, ordinatur ad verbum, quod est in linea passiva. In eadem verò linea implicat esse plures ultimus actus, & ita in materia dari non potest existentia, quæ est ultimus actus in linea entis, ordinata ad existentiam formæ, quæ etiam in linea entis ultimus actus est.

Ad 3. Unum primum actum posse ad alterum ordinari ordinatione communiter accepta, qua omne imperfectum ab ipsa natura ordinatur ad perfectum: in quo sensu forma embrionis ordinatur ad formam hominis, vèl per modum dispositionis, vèl per modum viæ, vèl per modum essentialis requisiti; non tamen posse unum primum actum ordinari ad alterum, ut actuabilem per ipsum. Undè nec forma embrionis potest per formam hominis actuari, & ideò ex argumento non infertur esse possibilem existentiam partialem in materia actuabilem per existentiam partialem formæ.

Sed inst. Potest unus primus actus ad alterum ordinari in sensu explicato, & non actuari per illum: ergò poterit existentia materiæ ordinari ad exis-

rentiam formæ, quin per illam actuetur.

Reſp. neg. ſuppoſit. conſequentis. Quia ſicut implicat dari materiam, quæ per formam actuari non poſsit: ita implicat dari partialem exiſtentiam in materia quæ per exiſtentiam partialem formæ actuabilis non ſit.

Sed inſt. Poteſt forma actuare materiam, quin exiſtentia formæ actuet exiſtentiam materiæ. ergò poteſt dari exiſtentia in materia, quæ per exiſtentiam formæ actuabilis non ſit. Prob. ant. Si Pater Divinus aſſumeret humanitatem, quam modo habet Filius, actuaret illam, & tamen non actuaret ſubſiſtentiam filij. Eo quod una ſubſiſtentia divina per aliam actuari non poteſt: ergò poterit etiam forma actuare materiam, quin exiſtentia formæ actuet exiſtentiam materiæ.

Reſp. neg. conſeq. Quia ſubſiſtentia Verbi Divini non eſt ab intrinſeco ipſius humanitatis. Et ita poteſt ſubſiſtentia Patris actuare humanitatem, non actuando ſubſiſtentiam Verbi. Exiſtentia verò materiæ eſſet ab intrinſeco ipſius, & ita ſicut materia per formam actuatur: ita exiſtentia materiæ eſſet actuabilis per exiſtentiam formæ.

5. Arg. Non implicat exiſtentia partialis: ergò eſt poſsibilis in materia prima. Prob. antec. Exiſtentia, qua exiſtit anima ſeparata eſt exiſtentia partiali. Siquidem eſt exiſtentia unius partis, videlicèt formæ, quæ per ſe ordinatur ad totum ſubſtantiale componendum: ergò non implicat exiſtentia partialis.

Reſp. diſt. conſ. Partialis ex parte rei exiſtentis: conc. conſ. ex parte exiſtentiæ: neg. conſeq. Exiſtentia namque animæ ſeparatæ ſolum impropriè eſt partialis, nimirum ex parte rei exiſtentis, quæ eſt quædam pars; propriè tamen, & ex parte exiſtentiæ totalis eſt. Quia poteſt etiam reddere materiam exiſtentem, ſi forma uniatur cum illa.

Dices. Exiſtentia illa non poteſt facere materiam exiſtentem; ergò nulla eſt ſolutio. Prob ant. Exiſtentia illa eſt ſpiritualis, & conſequentèr eſt improportionata materiæ: ergò materiam nequit reddere exiſtentem.

Reſp. Quod ſicut anima rationalis, ut quod formalitèr ſpiritualis eſt, ut quo tamen virtualitèr eſt materialis: ita exiſtentia formæ ut quo materialis eſt, & ideò eſt proportionata materiæ, ipſamque actuare poteſt.

6. Arg. Non repugnat ultimum actum de linea intellectiva ordinari ad alium ultimum intra eandem lineam: ſicut aſſenſus præmiſſarum ordinatur

ad

ad aſſenſum concluſionis, cum quo ſimul reperitur, & cognitio veſpertina in Angelis refertur ad matutinam, *ut. 1. p. q. 58. art. 6. & 7.* docet Angelic. Doct. & idem de cognitione ſui ipſius, quam ſimul habet Angelus cum viſione beatifica, ſicut *1. p. q. 62. art. 6.* docet ipſe D. Th. ergò non repugnat ultimum actum de linea entis, qualis eſt exiſtentia ad alterum ordinari.

Reſp. neg. conſ. Et ratio diſcriminis eſt. Quia actualitas de linea intellectiva reſpicit aliquid extrinſecum videlicèt objectum, à quo accipit ſpeciem: cumque ſæpè contingat objecta eſſe inter ſe ſubordinata. Indè fit etiam unam intellectionem poſſe ad alteram ordinari, ſicut in exemplis argumenti contingit. Una tamen actualitas de genere entis non reſpicit aliquid extrinſecum, ratione cujus ad alteram ordinetur, ſed ſolum reſpicit eſſentiam, quam intrinſecè actuat: & ita ultimus actus de linea entis ad alterum ordinari non poteſt.

Addimus. Quod ultimus actus de linea entis habet pro effectu formali conſtituere rem extra cauſas: poſsitiva verò quacumque re extra ſuas cauſas non poteſt ulterius extra cauſas poni, & ideò ultimus actus de linea entis non poteſt ad alterum ordinari. Intellectio autem actuat intellectum in ordine ab objectum determinatum. Et ita relinquit locum, ut intellectus actuatus per unam intellectionem actuetur etiam in ordine ad aliud objectum per intellectionem alteram. Inſtantia eſt in ipſa intellectione, quæ eſt actualitas totalis in linea intellectiva, & ad alteram ordinatur, & tamen actualitas totalis de genere entis ad alteram ordinati non poteſt: ergò inter utramque actualitatem diſpar eſt ratio.

Sed inſt. Ideò una intellectio poteſt ad alteram ordinari. Quia objectum unius intellectionis ordinatur ad objectum alterius. Sed etiam materia ordinatur ad formam: ergò exiſtentia, & actualitas materiæ poterit etiam ordinari ad exiſtentiam, & actualitatem formæ.

Reſp. diſt. min. Ad formam tanquam ad comparantem, ut ex utraque unum per ſe componatur: conc. min. Aliter: neg. min. & conſequentiam. Materia namque ordinatur ad formam, ut ex utraque reſultet unum per ſe, quod fieri non poſſet, ſi materia, & forma proprias exiſtentias haberent. Eo quod ex duobus entibus in actu non poteſt unum per ſe reſultare.

Sed inſt. Major unitas reſultat ex intellectu, & objecto, quam ex materia, & forma, &

tamen intellectus, & objectum ſunt duo entia in actu, & proprias habent exiſtentias: ergò quamvis materia propriam exiſtentiam haberet, poſſet ex illa, & forma unum per ſe reſultare. Prob. maj. Unitas intellectus, & objecti in eſſe intelligibili eſt unitas per identitatem: unitas verò compoſiti ex materia, & forma eſt unitas per compoſitionem, quæ minor eſt: ergò major unitas reſultat ex intellectu, & objecto, quam ex materia, & forma.

Reſp. neg. 1. conſeq. Quia unitas, quę reſultat ex materia, & forma eſt unitas compoſitionis petens unam partem per alteram actuari, quod fieri non poſſet, ſi utraque pars propriam exiſtentiam haberet. Unitas verò objecti, & intellectus eſt unitas intentionalis, vel in eſſe intelligibili, quæ non requirit unam partem per alteram actuari, & ideò ex duobus entibus in actu, talis unitas reſultare poteſt.

Alijs terminis reſp. Materiam, & formam ordinari ad componendum totum tanquam partes incompletæ per modum potentiæ, & actus, & ideò una ad alteram ordinatur, & per aliam actuabilis eſt. Unitas verò intentionalis ſolum requirit unam partem, videlicèt intellectum ad alteram ordinati tanquam ad objectum à quo habet ſpeciem, & propterea talis unitas ex pluribus completis reſultare poteſt.

7. Arg. Materia terminat diverſam actionem ab actione productiva formæ, & ipſius compoſiti: ergò habet exiſtentiam diverſam ab exiſtentia totius, & ipſius formæ. Prob. ant. 1. Quia materia, quæ in principio fuit ſimul creata cum forma, modo per eandem creationem conſervatur; ſed forma, quæ de novo introducitur in materia, non per creationem; ſed per generationem fit: ergò materia terminat diverſam actionem ab actione productiva totius, & formæ.

2. Quando vermis ex ſpeciebus Sacramentalibus generatur, nova materia per creationem producitur, in probabili ſententia. Sed forma, & ipſum compoſitum vermis per generationem fiunt: ergò materia terminat diſtinctam actionem.

De hoc argumento infra dicemus, de formis cœlorum, & elementorum diſputantes. Modo tamen breviter reſp. Materiam quandoque terminare diverſam actionem ab actione productiva totius, & formæ, illam tamen actionem non communicare materiæ aliquam exiſtentiam, & ideò ex argumento non infertur materiam propriam exiſtentiam habere.

Sed

Sed inſt. Actio conſtituit, & ponit terminum proprium ſub aliqua exiſtentia : ergò ſi materia diverſam terminat actionem, diverſam etiam exiſtentiam habebit.

Reſp. diſt. ant. Actio completa : conc. ant. Incompleta: neg. anrec. & conſeq. Illa namqua actio ſolum ad materiam terminata incompleta eſt, & ideò ex vi illius materia non habet aliquam exiſtentiam : ſed exiſtentia communicatur materiæ, quando advenit altera actio, per quam actio productiva materiæ ultimo completur, & completè ponitur extra cau as. Undè per hanc ultimam actionem, materiæ communicatur exiſtentia.

Sed inſt. Materia poteſt ſe ſola actionem completam terminare : ergò poterit propriam exiſtentiam habere. Prob. antec. 1 Quia non videtur aſſignabilis ratio, quare materia non poſsit actionem completam terminare : ergò poteſt.

2. Quando ex ſpeciebus Sacramentalibus generatur vermis, in oppinione probabili creatur materia. Sed illa actio, ut terminatur ad materiam, completa eſt. Siquidem eſt actio divina, quæ non poteſt eſſe incompleta: ergò materia poteſt actionem completam terminare.

2. Inſt. Etiam actio incompleta communicat exiſtentiam : ergò ſi materia terminat actionem incompletam, ex vi illius aliquam exiſtentiam habebit. Ant. prob. Tum quia actio ex conceptu formali habet communicare exiſtentiam: ergò etiam actio incompleta. Tum etiam quia actio completa communicat exiſtentia : ergò etiam incompleta.

Reſp. ad 1. inſt. neg. duo ant. prima. Ratio autem efficax ſæpè aſsignatur à D. Thom. Quia eſſe, & fieri primo, & per ſe convenit toti compoſito, partibus autem ex conſequenti, & ratione totius. Undè actio primo, & per ſe terminatur ad totum, & ſecundario ad materiam, & formam: conſequenterque materia non poteſt actionem completam per ſe primo terminare.

Ad 2. prob. ant. neg. min. Licèt namque actio divina ſubjectivè, & entitativè conſiderata completa ſit; terminativè tamen incompleta eſt, quatenùs ex voluntate divina terminatur ad materiam : conſequenterque terminativè complebilis eſt per actionem, quæ terminatur ad totum.

Ad 2. inſt. neg. antec. & ad prob. dicimus : Quod actio completa ex conceptu formali habet ponere terminum ſub exiſtentia ; actio verò incompleta, vel abſtrahens à completa, & incompleta non habet ex

con-

conceptu formali exiſtentiam communicare. Quia actio incompleta non terminatur per ſe primo ad ipſum totum, ſed ad aliquam partem illius. Cumque pars non poſsit primo, & per ſe fieri, & produci: inde eſt actionem incompletam non communicare exiſtentiam. Ex quo conſtat ad utramque probationem.

Adeſt etiam altera ratio. Quia illa ſolum actio habet communicare exiſtentiam, quæ rem efficienter ponit extra omnes ſuas cauſas. Nam per exiſtentiam conſtituitur res extra omnes ſuas cauſas. Cumque ſola actio completa habeat conſtituere rem efficienter extra omnes ſuas cauſas, ſola etiam actio completa habet communicare exiſtentiam.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. diſcurſu infertur 1. in compoſito ſubſtantiali plures etiam ſubſiſtentias non dari. Quia ſubſiſtentia eſt ultimus actus in linea ſubſtantiæ. Et impoſsibile eſt unum ultimum actum de linea ſubſtantiæ ad alterum intra eandem lineam ordinari. Sicut de exiſtentia probavimus.

Dices: In Deo ſubſiſtentiam abſolutam ordinari ad ſubſiſtentias relativas; ergò non implicat unam ſubſiſtentiam ad alteram ordinari.

Reſp. ſubſiſtentiam abſolutam eſſe in linea diſtincta à ſubſiſtentia relativa: & ita mirum non eſt, quod ordinetur ad illam. Una verò ſubſiſtentia abſoluta ad alteram abſolutam ordinari non poteſt. Quia in eadem linea inveniuntur. Et ita in compoſito ſubſtantiali non poſſunt dari plures ſubſiſtentiæ, quælibet namque ex illis eſſet in linea abſoluta.

2. Infertur ex dictis quod propter eandem rationem, qua non poſſunt dari plures exiſtentiæ partiales in compoſito ſubſtantiali, non poſſunt etiam dari in compoſito integrali plures partiales exiſtentiæ.

Dices: Quando aqua dividitur in duas partes, quælibet pars ponitur in rerum natura ab altera diviſa, & habet propriam exiſtentiam: ergò in toto quæcumque pars propriam exiſtentiam habebat, & conſequenter in toto etant exiſtentiæ partiales.

Reſp. neg. conſeq. Quia in partibus, quando dividuntur, reſultant novæ exiſtentiæ ex vi illius actionis, quæ aquam primo produxit. Eo quod talis actio produxit aquam iuxta ſuam naturam, & conſequenter cum aptitudine, ut in quacumque parte ab altera ſeparata propria exiſtentia reſultaret, ſicut

ſicut ſi humanitas ſepararetur à Verbo Divino, dimanaret ab humanitate propria exiſtentia, quam tamen in compoſito non habeat.

Dices: ergo quando una pars ab altera ſeparatur, mutatur realiter. Siquidem novam recipit exiſtentiam. Quod inconveniens non admittendum videtur.

Reſp. conc. conſeq. Quod tamen inconveniens non eſt, ſed iuxta naturas rerum, & illarum exigentiam.

Dices: ergo ſaltim aqua individualiter mutatur, quando perdit aliquas partes leves, vèl guttas, quæ realiter ſeparantur ab aqua.

Reſp. Aquam non individuari per partes materialiter ſumptas; ſed per illas ut tali ordini, vèl diſpoſitioni ſubduntur, & cum ſeparata una parte, vèl duplici gutta eadem diſpoſitio maneat inter cæteras partes, etiam aqua eadem individualiter manet, & hæc de artic. iſto textu 82. ad Philoſophum applicanda.

ARTICULUS III.

Vtrùm materia poſsit exiſtere ſine forma?

§. I.

Difficultas apperitur, & ſtatuitur concluſio.

IN præſenti difficultate ſupponimus materiam ac lege ordinaria, & naturaliter loquendo non poſſe exiſtere ſine forma. Quod etiam Recentiores concedentes materiæ incompletam exiſtentiam, nobiſcum fatentur. Quia naturalitèr loquendo generatio unius eſt corruptio alterius. Undè una forma corrupta, altera etiam introducitur in materia. Conſequentèrque materia naturaliter nunquam invenitur ſine forma.

Rurſus etiam agens naturale non intendit per ſe corruptionem, & ita numquam expellit unam formam, quin alteram introducat.

Prærerea etiam. Quidquid exiſtit in rerum natura debet eſſe individuum, & conſequenter in determinata aliqua ſpecie. Species autem venit à forma: ergò naturaliter ſaltim non poteſt materia exiſtere ſine forma.

Dices D. Auguſt. nobis opponi lib. 12. confeſſ. cap. 12. & lib. 2. de Geneſi ad lit. cap. 11. dum explicans illa verba Geneſ. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua*, interpretatur ea de materia prima, quæ propter carentiam formarum vacua erat, & informis.

Adhoc tamen facile reſp. Terram appellari innanem, & vacuam propter carentiam formæ accidentalis, videlicèt propter carentiam decoris, &

or-

ornatus, quo terra pro illo priori carebat.

2. Reſp. D. Auguſt. loqui de informitate materiæ per carentiam formæ ſubſtantialis non quidem per carentiam tempore præcedentem, ſed ſolum prioritate naturæ præcedentem ipſam formam.

Difficultas autem art. in eo ſita eſt. An videlicèt etiam de potentia abſoluta non poſſit materia exiſtere ſine forma? In quo puncto univerſi Patres Societatis affirmant. Qui hac de cauſa exiſtimant ſe defenſores omnipotentiæ Divinæ; revera tamen eadem de cauſa divinam omnipotentiam impugnant. Siquidem aſſerunt non poſſe Deum de ſua potentia abſoluta producere entitatem ita imperfectam, & quæ ita ſit pura potentia, ut ſine forma non poſſit exiſtere. Eadem ſententiam omnes Scotiſtæ tuentur. Negant autem univerſi Thomiſtæ cum Ang. Præcep. 1. *p. q.* 66. *art.* 1. *& q.* 4. *de Pot. art.* 1. *& quodl.* 3. *art.* 1. aſſerente: *Dicere quod materia ſit in actu ſine forma eſt dicere contradictoria eſſe ſimul. Vndè à Deo fieri non poteſt.*

§. II.

Noſtra Concluſio.

RAtione verò D. Th. prob. concluſio noſtra. Nam quod involuit contradictionem, non poteſt à Deo fieri etiam de potentia abſoluta. Sed materiam exiſtere ſine forma contradictionem involuit: ergo à Deo fieri non poteſt etiam de potentia abſoluta. Prob. mi. Si materia exiſteret ſine forma, eſſet in actu, & non eſſet in actu: ergo materiam exiſtere ſine forma implicationem involuit. Quia eſſe in actu, & non eſſe in actu prædicata contradictoria ſunt. Ant. quantum ad 1. partem conſtat ex eo: Quod ſi materia exiſteret ſine forma, haberet exiſtentiam: & conſequentèr eſſet in actu. Eo quod effectus exiſtentiæ eſt rem in actu conſtituere.

Quantum ad 2. verò partem prob. 1. Materia tunc caſus eſſet ſine forma: ergò non eſſet in actu. Quia forma eſt primus actus, ut dicitur in eius definitione, & conſequentèr ſi materia eſſet ſine forma, eſſet ſine actu. Nam ante primum actum nullus datur actus. Aliàs primus actus non eſſet primus.

2. In illo eventu materia non haberet exiſtentiam: ergò non eſſet in actu. Prob. ant. In illo eventu non haberet formam, quæ eſſentialitèr eſt primus actus: ergò non haberet exiſtentiam, quæ eſt actus ultimus in linea entis. Quia implicat actum ultimum alicui communicari, quin priùs communicetur actus primus. Sicut implicat quantitatem habere ex-

ten-

tenſionem in ordine ad locum, & non habere extenſionem in ordine ad ſe, quæ eſſentialiter prior eſt. Et implicat intellectionem alicui communicari, in quo non fit intellectus. Eo quod intellectus ſe habet ut potentia, & actus primus in ordine ad intellectionem.

Conf. & urgetur. Implicat habere ultimum complementum in aliqua linea, & non habere eſſe ſimpliciter in eadem linea. Sed exiſtentia eſt ultimum complementum in linea entis: forma verò dat eſſe ſimpliciter: ergò implicat materiam eſſe in aliquo actu exiſtendi, & non habere formam. Conſequenterque materia etiam de potentia abſoluta nequit exiſtere ſine forma.

§. III.

Argumentis contra concluſionem occurritur.

CONtra concluſ. noſtram arg. 1. Quia poteſt exiſtentia uniri materiæ immediatè, & abſque aliqua forma: ergò poteſt materia de potentia abſoluta exiſtere ſine forma. Prob. ant. 1. Quia ſecundum D. Th. *q. 2. de Spirit. creat. artic. 3. ad 5.* exiſtentia Verbi Divini in triduo mortis remanſit immediatè unita carni. Sed eſſe immediatè unitam carni eſt eſſe immediatè unitam materiæ: ergò exiſtentia poteſt uniri materiæ immediatè, & abſque aliqua forma.

2. Materia non habet eſſentialem dependentiam à forma ut exiſtat: ergò poteſt exiſtentia immediatè materiæ communicari. Prob. ant. Secundum D. Th. loco citato in incarnatione Verbi Divini anima rationalis fuit medium inter materiam, & Verbum Divinum; non quidem neceſsitatis, ſed congruentiæ. Sed ſi materia dependeret in exiſtendo eſſentialiter à forma, eſſet ipſa forma medium neceſsitatis, & non ſolum congruentiæ. Siquidem, ut uniretur materia cum verbo, forma eſſet eſſentialiter requiſita: ergò materia, ut exiſtat, non dependet eſſentialiter à forma.

Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Immediatione excludente formam ſpiritualem: conc. maj. Excludente omnem formam: neg. maj. & min. & ſimiliter conſeq. Nam D. Th. ſolum intendit Verbum Divinum non fuiſſe materiæ unitum mediante forma ſpirituali, qualis eſt anima rationalis; non tamen excludit formam corporalem; ſed potiùs Verbum Divinum in triduo mortis erat unitum cum materia mediante forma cadaveris.

Inſt. Juſta commune Theologo-

logorum axioma. Verbum Divinum nunquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit. Sed in reſurrectione ſua dimiſit formam cadaveris: ergo numquam illam aſſumpſit. Conſequenterque exiſtentia Verbi Divini in triduo mortis non erat unita carni mediante forma cadaveris.

Reſpond. Verbum Divinum nunquam dimiſiſſe, quod aſſumpſit permanenter: in quo ſenſu axioma intelligendum eſt; ſed formam cadaveris ſolum tranſeunter, & pro illo brevi tempore aſſumpſit.

Ad 2. prob. princ. antec. reſp. Verbum Divinum non potuiſſe aſſumere materiam abſque aliqua forma: potuiſſe tamen materiam aſſumere abſque anima rationali, quamvis fuerit magis congruum materiam aſſumere cum anima rationali propterea, quibus probat D. Th. fuiſſe congruentius aſſumere naturam humanam, quam aliam naturam, & ob iſtam rationem aſſerit D. Th. animam rationalem fuiſſe medium congruentiæ.

2. Arg. Poteſt materia intelligi exiſtens abſque forma: ergo in exiſtendo non dependet eſſentialiter à forma. Prob. antec. Pro illo priori, quo in morte Chriſti materia eius tranſivit de anima rationali ad formam cadaveris, intelligebatur materia exiſtens per exiſtentiam Verbi Divini, cui ſemper unita manſit. Sed pro illo priori non intelligebatur cum aliqua forma, ſed in via ad formam cadaveris: ergo poteſt intelligi exiſtens abſque forma.

Conf. Materia poteſt exiſtere per exiſtentiam non provenientem à forma: ergo poteſt exiſtere ſine forma. Prob. ant. Humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam Verbi Divini, quæ non provenit à forma: ergo verum eſt antec.

Reſp. neg. ant. ad prob. diſt. maj. Exiſtens vialiter: conc. maj. Completè, & in facto eſſe: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Sicut namque in illo tranſitu non intelligebatur materia cum forma, ſed in via ad illam: ita non intelligebatur cum exiſtentia, ſed in via ad exiſtentiam, & ideò pro illo priori tantum intelligebatur exiſtens in completè, vialiter, & in fieri.

Ad conf. facilè reſp. Materiam non dependere eſſentialiter à forma, ut ab ipſa forma exiſtentia dimanet, dependere tamen eſſentialiter à forma, ut per illam reddatur capax exiſtendi. Eo quod materia eſt pura potentia, & ideò ſine forma non poteſt ultimum complementum, & exiſtentiam habere.

3. Arg. Ex quo materia exiſteret ſine forma, ſolum ſequeretur, quod eſſet in actu, & non eſſet

eſſet in actu. Sed hæc contradictoria non ſunt: ergò non ſequerentur contradictoria, ex quo materia exiſteret ſine forma. Prob. mln. Propoſitio affirmativa, quod materia eſſet in actu, verificatur de actu exiſtentiæ: negativa verò, quod materia non eſſet in actu, verificaretur de actu formæ, quam materia non haberet: ergò non ſunt contradictoria. Siquidem non ſunt de eodem ſecundum idem, ſed ſecundum diverſa.

Reſp. Propoſitionem negativam verificari de actu formæ immediatè, & mediatè de actu exiſtentiæ: quia forma, cum ſit primus actus dans eſſe ſimpliciter, eſt prior exiſtentia: & in negatione prioris clauditur negatio poſterioris. Et ita ſicut in negatione rationalitatis clauditur negatio riſibilitatis: ita in negatione formę clauditur exiſtentiæ negatio. Propterèaque propoſitiones prædictæ ſunt contradictoriæ: quia ſunt ſecundùm idem virtualitèr, & mediatè. Sicut proptèr eandem rationem iſtæ ſunt contradictoriæ, Petrus eſt riſibilis: Petrus non eſt rationalis: eo quod qui negat rationalitatem, riſibilitatem etiam negat.

Sed inſt. Secundum doctrinam iſtam propoſitiones prædictæ ſolum opponuntur contradictoriè mediatè. Sed prædicata ſic oppoſita poſſunt ſimul de eodem verificari, & in eodem reperiri: ergò prædictæ propoſitiones poſſunt eſſe ſimul veræ. Prob. min. Contraria in gradibus remiſsis opponuntur contradictoriè mediatè. Quia album eſſentialitèr eſt non nigrum: & ita in albo clauditur eſſentialitèr negatio nigri. Et negatio nigri, & nigrum opponuntur contradictoriè immediatè. Et tamen contraria in gradibus remiſsis inveniuntur ſimul in eodem ſubiecto: ergò prædicata oppoſita contradictoriè mediatè poſſunt ſimul de eodem verificari.

Reſp. Quod contraria phyſicè opponuntur contradictoriè mediatè, nunquam tamen ſunt in eodem ſubiecto formalitèr, ſed in illo ſunt ſecundùm diverſas virtualitates; ex quo non probatur, quod eadem materia formalitèr poſsit eſſe in actu, & non eſſe in actu. Sed ab oppoſito retorqueretur argumentum. Nam quia album, & nigrum ſaltim mediatè contradictoriè opponuntur, non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſecundùm eandem virtualitatem: ergo ſi alia prædicata opponuntur contradictoriè mediatè de eadem materia verificari non poterunt.

4. arg. Materia, ut exiſtat non dependet eſſentialitèr à forma: ergò ſine illa exiſtere poteſt. Prob. ant. 1. Ut materia

recipiat formam, non dependet eſſentialitèr à diſpoſitionibus; quia Deus de potentia abſoluta poteſt introducere formam in materia non diſpoſita: ergò ut materia recipiat exiſtentiam, non dependet eſſentialitèr à forma. Nam forma ſolum ſe habet ut diſpoſitio ad exiſtentiam habendam.

2. Quod perpetuum eſt, & incorruptibile non dependet eſſentialitèr ab alio, ut exiſtat. Sed materia perpetua, & incorruptibilis eſt: ergò non dependet in exiſtendo eſſentialitèr à forma.

3. Ita dependet principium proximum, ut operetur, à principio radicali, ſicut materia à forma, ut exiſtat. Sed principium proximum, ut operetur, non dependet eſſentialitèr à principio radicali, ſicut conſtat in peccatore fideli, in quo non eſt gratia, quæ eſt principium radicale in ordine ſupernaturali. Et tamen in illo ſunt fides, & ſpes, quæ proximè eliciunt actus ſupernaturales: ergò idem quod priùs.

4. Major diſtantia eſt inter eſſe, & non eſſe, quam inter puram potentiam, & ultimum actum. Nam hæc ſecunda diſtantia eſt inter ens, & ens, quæ non ita diſtant, ſicut ens, & non ens. Et tamen poteſt res tranſire de non eſſe ad eſſe, ut patet in Cœlis, & elementis, quæ de nihilo fuerunt per creationem producta: ergò etiam poterit pura potentia tranſire ad ultimum actum exiſtentiæ abſque tranſitu per formam.

5. In linea intellectiva, intellectus eſt actus primus, & intellectio eſt ultimus actus. Et tamen poteſt intellectio poni in ſubiecto, in quo non eſt intellectus, v. g. in lapide: ergò poterit etiam materia tranſire ad ultimum actum ſine tranſitu per formam, quæ ſe habet ut primus actus.

Reſp. ad arg. neg. antec. & ad 1. prob. dicimus: aliquas eſſe diſpoſitiones veras, & rigoroſas, quæ auferunt indifferentiam ſubiecti, & ipſum præparant ad formam habilitantes ad ipſam, quas Deus ſupplere poteſt, qui de potentia abſoluta, poteſt introducere formam hominis, vel ignis abſque ulla diſpoſitione præcedente. Aliàs verò eſſe diſpoſitiones, quæ communicant ſubiecto prædicatum eſſentialitèr requiſitum ad formam, ſicut libertas eſſentialitèr requiritur, ut actus ſit in genere moris: & quantitas, ut corpus ſit in loco: & diaphanum, ut corpus ſit lucidum, & intellectus ad voluntatem. Quæ quidem diſpoſitiones latè ſolum diſpoſitiones appellantur, & re vera ſunt prædicata eſſentialitèr requiſita: & hujus generis eſt forma, quæ requiritur eſſen-

eſſentialitèr ad exiſtentiam habendam.

Ad 2. prob. reſp. Quod materia licèt ſit incorruptibilis, eſt tamen pura potentia. Et ita tranſire non poteſt ad exiſtentiam ſine forma, quæ dat eſſe ſimpliciter.

Ad 3. diſt. maj. Principium proximum, quod eſt paſsio radicalis: conc. maj. Quod paſsio non eſt: neg. maj. & ſub eadem: diſt. min. neg. conſeq. Quia fides, & ſpes non ſunt paſsiones gratiæ, nec habent cum illa indiſpenſabilem connexionem, ſed poſſunt ab illa realitèr ſeparari, & de facto ſeparantur in homine peccatore: & ita mirum non eſt, quod ſine illa operentur.

Addimus etiam, quod accidentia Euchariſtiæ realitèr à ſubiecto ſeparata operantur, & moventur. Major ergò eſt dependentia materiæ à forma, ut exiſtat, quam principij proximi à principio radicali.

Ad 4. diſt. maj. Major materialitèr, & in eſſe entis: conc. maj. Formalitèr in ratione termini producibilis: neg. maj. & conc. min. neg. conſ. Quia illa major diſtantia inter eſſe, & non eſſe, eſt materialis tantum. Eo quod creatura à prima uſque ad ultimam differentiam continetur in Deo tanquam in cauſa. Et ideò poteſt à Deo produci de nihilo. Nam Deus quidquid continet in ſua virtute, producere valet. Conjunctio verò materiæ cum exiſtentia abſque unione cum forma eſſentialitèr repugnat propter ea, quæ dicta ſunt. Et ita diſtantia inter materiam, & exiſtentiam, formalitèr eſt major, & impertranſibilis eſt abſque tranſitu per formam.

Ad 5. Intellectionem materialitèr, & in eſſe qualitatis poſſe poni in lapide, in quo non eſt intellectus, ut aſſerit illa ſententia; formalitèr tamen ut intellectio, & ultimus actus in linea intellectiva, in lapide poni non poſſe. Et ideò argumentum nihil probat.

Dices: ergò poterit exiſtentia ſaltim materialitèr poni in materia abſque aliqua forma.

Negatur conſ. Quia ſi exiſtentia, etiam materialitèr poneretur in materia, aliquod eſſe ſubſtantiale, vel accidentale communicaret illi. Quod Implicat. Quia ante primum actum, qualis eſt forma, non poteſt dari aliud eſſe ſubſtantiale: & ſimilitèr ante formam dantem eſſe ſimpliciter non poteſt dari eſſe accidentale, quod eſt tale ſecundum quid.

Sed inſt. Poteſt intellectus recipere intellectionem formalitèr, & non mediante ſpecie, quæ ſe habet ut actus primus in ordine ad intellectionem ipſam: ergò poteſt materia recipere

pere exiſtentiam formaliter, & non mediante forma. Conſeq. à parietate nota eſt, & anteced. conſtat. Nam intellectus efficit intellectionem mediante ſpecie intelligibili. Et conſequenter non recipit illam mediante ſpecie. Aliàs ſecundum idem eſſet agens, & patiens: ergò poterit recipere intellectionem formaliter non mediante ſpecie.

Reſp. ad arg. Quod ſpecies intelligibilis ad efficiendam intellectionem ſe habet ut actus primus: & ita intellectus intelligere non poteſt ſine ſpecie: ad recipiendam verò intellectionem non ſe habet ſpecies, ut actus primus, ſed ſolum concommitanter ſe habet. Et ideò neceſſarium non eſt, quod intellectio recipiatur mediante ſpecie formaliter. Quin potiùs debet recipi intellectio in intellectu nudè ſumpto, qui ſolus conſtituitur per intellectionem intelligens in actu ſecundo. Præterquamquod, loquendo de motu intentionali, qui rigoroſus, & ſtrictus motus non eſt, nullum etiam eſt inconveniens, quod idem ſecundum idem realiter ſit agens, & patiens ut in proprio loco dicemus.

5. arg. Quidquid Deus facere poteſt mediante cauſa ſecunda, poteſt facere ſe ſolo. Sed media forma poteſt Deus facere, quod materia exiſtat: ergò etiam ſe ſolo facere, poteſt materiam exiſtere ſine forma.

Conf. Poteſt Deus ſupplere effectum ſpeciei intelligibilis, ſicut patet in beatis, quorum intellectui unitur eſſentia Divina per modum ſpeciei: ergò poteſt ſupplere Deus effectum formæ ſubſtantialis, & facere materiam exiſtere ſine forma.

Reſp. Deum poſſe facere ſe ſolo, quod facit mediante cauſa ſecunda purè efficienti; non tamen quod facit mediante cauſa ſecunda formali. Quia ſupplere effectum cauſæ formalis, imperfectionem involvit. Undè, cum forma det eſſe materiæ in genere cauſæ formalis, non poterit Deus talem cauſalitatem ſupplere, & facere materiam exiſtere ſine forma.

Inſt. Forma ſubſtantialis non eſt cauſa formalis intrinſeca: ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. 1. Exiſtentia non eſt effectus formalis formæ. Nam effectus formalis formæ, eſt forma communicata: & exiſtentia communicata non eſt ipſa forma: ergò forma ſubſtantialis non eſt cauſa formalis intrinſeca, ut exiſtat materia.

2. Materia non eſt effectus formalis formæ: ergò forma non eſt cauſa intrinſeca formalis. Prob. ant. Effectus formalis formæ eſt ille, qui reſultat ex unione formæ cum materia. Sed effectus, qui reſultat ex unione prædicta, eſt ipſum com-

compoſitum, non verò materia: ergo materia non eſt effectus formalis formæ.

Reſp. ad replic. neg. ant & ad 1. prob. diſ. conſ. Cauſa formalis immediatè: conc. conſ. Mediata: neg. conſ. Forma namque non eſt cauſa formalis immediata, ut materia exiſtat. Eo quod forma ſe ipſa non reddit materiam exiſtentem; ſed ſolùm eſt cauſa formalis mediata: quatenùs immediatè proportionat materiam cum exiſtentia, & reddit ipſam actuatam in actu primo, & proximè capacem exiſtendi. Et ita ad effectum formæ conſequitur effectus exiſtentiæ. Et propterea dicitur cauſa formalis mediata: quatenùs effectus illius debet mediare ad effectum exiſtentiæ.

Ad 2. prob. ant. reſp. Compoſitum reſultans ex unione materiæ cum forma eſſe effectum mediatum ipſius formæ; effectum verò immediatum eſſe ipſam materiam, ut conſtitutam in actu primo, vel ſecundum rationem entis in actu.

Ad conſ. autem principalis argumenti reſponderur negando conſeq. Quia ſpecies intelligibilis ex conceptu formali ſolum exigit uniri per modum formæ repræſentantis obiectum: ad quod ſufficit unio per modum obiecti, vel termini: quæ unio nullam imperfectionem involvit. Et ita à Deo ſupplebilis eſt. Sicut Deus ſupplere poteſt unionem ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ creatæ, quæ ſolum requirunt unionem per modum termini reddentis ſubſtantiam independentem, & incommunicabilem, & extra cauſas conſtitutam. Forma verò ſubſtantialis communicat materiæ eſſe ſimpliciter, quod abſque informatione fieri non valet. Et ideò à Deo ſuppleri non poteſt.

Sed inſt. Quia poteſt Deus ſupplere effectum cauſæ formalis intrinſicè informantis abſque ulla imperfectione: ergò poterit effectum formæ ſubſtantialis ſupplere. Prob. antec: Poteſt Deus ſupplere effectum cauſæ materialis, ſicut patet in Sacramento Euchariſtiæ, in quo Deus conſervat accidentia ſine ſubiecto, à quo tamen ipſa dependent in genere cauſæ materialis: ergò poterit ſupplere effectum cauſæ formalis intrinſicè informantis abſque ulla imperfectione. Quia cauſa formalis, & materialis in cauſando eandem, vel æqualem imperfectionem important.

Reſp. Subiectum habere duplicem cauſalitatem reſpectu Accidentium. Aliam cauſæ materialis, quatenùs recipit accidentia, & hanc Deus ſupplere non poteſt. Habere inſuper ſubiec-

iectum cauſalitatem cauſæ efficientis in ordine ad accidentia, quatenus illa conſervat, & ſubſtentat dando illis eſſe, quam cauſalitatem ſolam ſupplet Deus in Sacramento Euchariſtiæ, in genere cauſæ efficientis accidentia ſubſtentando.

Dices: Etiam materia dependet à forma in genere cauſæ eſficientis. Nam ipſa forma conſervat etiam materiam: ergo poterit Deus talem cauſalitatem in forma ſupplere, & facere materiam exiſtere ſine forma.

Reſp. tamen facile. Quod ſubſtentare, & conſervare propriè in genere cauſæ efficientis ſolum eſt proprium illius, quod habet eſſe completum, & per ſe primò exiſtit, & ſubſiſtit. Et ita ſolum eſt proprium compoſiti, non verò partis materialis, vel formalis, quæ ratione ſui, nec per ſe primò fieri, nec exiſtere poteſt, nec verò alterum ſubſtentare. Et ideò forma in ordine ad materiam non exercet eſficientis cauſalitatem.

6. arg. Maior eſt dependentia accidentis à ſubſtantia, quam materiæ primæ à forma. Sed accidens poteſt exiſtere ſine ſubſtantia: ergo materia ſine forma. Prob. mai. 1. Totum eſſe accidentis eſt in ordine ad ſubſtantiam; totum verò eſſe materiæ, cum ſubſtantialis ſit, non eſt in ordine ad formam: ergo maior eſt dependentia accidentis à ſubſtantia, quam materiæ à forma.

2. Dependentia poſteriori à priori maior eſt, quam dependentia prioris à poſteriori. Sed materia eſt prior forma, accidens verò eſt poſteriùs ad ſubſtantiam: ergo idem quod priùs.

Reſp. ad arg. neg. mai. & ad 1. prob. dicimus: Totum eſſe materiæ eſſe etiam in ordine ad formam. Quia licèt materia ſubſtantia ſit, eſt tamen pura potentia per ſe ad formam ordinata, à qua etiam magis dependere debet in exiſtendo, quam accidens à ſubſtantia. Eo quod accidens eſt actus. Et ita immediatè capax eſt exiſtendi.

Ad 2. neg. min. quoad primam partem. Quia licèt materia prima abſolutè, & in genere cauſæ materialis prior ſit, quam ipſa forma; in ordine tamen ad exiſtentiam prior eſt forma, cui exiſtentia priùs communicatur, & illa mediante materiæ. Alitè etiam reſp. poterat, neg. mai. intellectam abſolutè. Quia ſi prædicatum priùs eſt pura potentia magis dependet à poſteriori, quam poſteriùs à priori, ſi poſteriùs obtinet rationem actus, cui poteſt immediatè communicari exiſtentia.

Sed inſt. Maiorem proportionem habet materia cum exiſ-

exiſtentia, quam accidens habet: ergo ſi accidens, ut exiſtat, non dependet eſſentialiter à ſubſtantia, nec materia dependebit à forma. Prob. mai. Prædicatum magis perfectum in aliqua linea majorem proportionem habet cum actu ultimo talis lineæ. Sed in linea entis perfectior eſt materia, quæ eſt ſubſtantia, quam accidens: ergo cum exiſtentia majorem proportionem habebit.

2. inſt. Exiſtentia immediatè recipitur in materia: ergo poterit materia exiſtere ſine forma. Prob. ant. Datur variatio formarum ſine variatione exiſtentiæ, ſicut patet in materia humanitatis Chriſti, quæ in morte tranſivit de forma rationali ad formam cadaveris. Et tamen non mutavit exiſtentiam, & ſubſiſtentiam: ergo exiſtentia immediatè recipitur in materia. Prob. conſ. Quia in doctrina Thomiſtarum benè valet, datur variatio formarum ſine variatione accidentis: ergo accidens immediatè recipitur in materia. Qua ratione ab inconvenienti probant non manere in genito eadem numero accidentia, quæ erant in corrupto: ergo ſi datur variatio formarum ſine variatione exiſtentiæ, ſignum eſt, quod exiſtentia immediatè recipitur in materia.

Reſp. ad 1. repl. Quod quamvis materia abſolutè ſit perfectior accidenti: comparativè tamen ad exiſtentiam perfectius eſt accidens. Quia eſt actus: & ita poteſt immediatè exiſtere, quamvis hoc non poſſit habere materia.

2. Reſp. Quod intellectus eſt perfectior aliis accidentibus, & tamen alia accidentia habent majorem proportionem cum exiſtentia. Siquidem alia accidentia de potentia abſoluta poſſunt exiſtere ſine ſubſtantia, non tamen intellectus. Conſequenterque ex quo aliquod prædicatum ſit magis perfectum, non infertur indè majorem proportionem habere cum exiſtentia. Quæ ſolutio cum prima coincidit, & ſolum terminis diverſa eſt.

Ad 2. inſt. reſp. In corrupto non manere aliud prædicatum poteſt ſubſtentare accidentia præter materiam primam. Et ideò ſi formæ variantur, bona conſeq. eſt: ergo accidentia in materia immediatè recipiuntur. In Chriſto verò, quamvis formæ varientur, manet ſuppoſitum cum alia natura, ſubſiſtentia, & exiſtentia, quæ perſeverat in illo. Et propterea licèt formæ varientur, non infertur exiſtentia immediatè recipi in materia, ſed in illa, vel in alio manere, quod verum eſt. Siquidem exiſtentia perſeverat in ſuppoſito divino.

Ex dictis in articuli diſcurſu infertur 1. quod quamvis forma materialis poſsit exiſtere ſine materia; non inde infertur materiam ipſam poſſe exiſtere ſine forma. Quia forma materialis eſt actus; materia verò pura potentia eſt.

2. Infertur quod admiſſo naturam completam poſſe exiſtere ſine ſubſiſtentia, non indè infertur materiam poſſe exiſtere ſine forma. Quia natura completa eſt actus. Et ideò, ut exiſtat, non dependet eſſentialiter à ſubſiſtentia: materia verò pura potentia eſt. Et ita eſſentialiter pendet à forma. Et hæc de artic. iſto in hoc libro text. 42. ad Philoſophum applicanda.

QUÆSTIO QUARTA.

De Potentia materiæ.

ARTIC. UNICUS.

Utrùm materia æqualiter appetat omnes formas, & etiam formam amiſſam.

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur noſtra concluſio.

AD articuli intelligentiam 1. Supponendum eſt, quod appetitus naturalis nihil aliud eſt quam propenſio quædam, & inclinatio naturæ ſubſtantialis in perfectionem propriam convenientem appetenti. Qui tamen eſt duplex. Alius quidem innatus, qui ſequitur ad formam naturalem conſtitutivam cujuſcumque rei, & cognitionem antecedit; ſicut appetitus lapidis in centrum, vel ad locum deorſum: & ignis ad locum ſurſum. Alius verò eſt appetitus elicitus, qui dicitur etiam appetitus animalis, & cognitionem ſenſitivam, vel intellectivam conſequitur, qualis eſt appetitus, quem habet homo ad perfectionem cognitam: & animal ad herbam, quam videt ſibi paratam.

2. not. eſt appetitum innatum duplicem eſſe. Unum activum conſiſtentem in propenſione naturæ, vel potentiæ activæ ad perfectionem ſuam, ut appetitus, quem intellectus habet ad intellectionem, & ad volitionem voluntas. Alterum verò paſsivum conſiſtentem in pondere, vel inclinatione potentiæ receptivæ ad perfectionem convenientem ſibi. De quo quærimus, utrùm detur in materia? Et an æqualis ſit ad omnes formas, quas materia poteſt habere? Et an etiam terminetur ad formam amiſſam, quam materia naturaliter habere non poteſt?

3. ſuppon. eſt (ut procedamus cum majori claritate) materiam

siam naturaliter appetere formas, quas nondum habet, & naturaliter habere potest. Quia quæcumque res naturaliter appetit suam perfectionem. Sed omnis forma est perfectio materiæ: ergo materia formam nondum habitam naturaliter appetit. Prob. min. Quælibet forma substantialis actuat materiam, illique communicat esse simpliciter substantiale: ergo quælibet forma est perfectio materiæ.

Conf. Quæcumque potentia naturaliter appetit proprium actum, sicut intellectus naturaliter appetit intellectionem. Sed quælibet forma substantialis est actus primus materiæ: ergo materia prima naturaliter appetit formam. Quod confirmat Arist. 1. Physic. text. 81. dicens: *Sed hoc est materia perindè appetens illud, atque si fœmina marem, & turpè appetat pulchrum.*

Dices D.Th. 1. p. q 80. affirmare: quod appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem. Sed materia non est forma: ergo in materia nullus datur appetitus naturalis.

Resp. propositionem D.Th. non esse exclusivam. Quia licèt ad omnem formam consequatur appetitus, non indè infertur, quod etiam appetitus non sequatur ad materiam. Sicut ex quo omnis homo sit animal, non infertur equum animal non esse. Quia prima propositio exclusiva non est.

2. resp. D.Th. loqui de appetitu activo, qui semper ad formam consequitur, non verò de appetitu, & inclinatione passiva. Hæc namque consequitur ad materiam.

2. inst. Quia materia non potest recipere omnem formam. Eo quod omnes formæ sunt infinitæ syncathegorematicè: ergo non appetit omnem formam. Pat consequentia. Quia appetitus materiæ terminari non potest ad actum impossibilem ipsi. Consequentèrque si materia non potest recipere omnem formam, non poterit omnem appetere.

Resp. Materiam non appetere omnem formam ut habendam collectivè; sed ut habendam divisivè. Et omnem formam divisivè recipere posse. Eo quod inter omnes formas nulla est, quæ ratione sui non possit in materia reperiri. Sicut, ut intellectus noster possit apperere omnes veritates naturales speculativas divisivè sumptas, sufficit quod omnem veritatem naturalem divisivè cognoscere possit.

Sed inst. Materia dum est sub una forma, non appetit aliàs: ergo non appetit omnes formas divisivè. Prob. antec. Quia materia non potest appe-

tere deſtructionem compoſiti. Sed, ſi dum eſt ſub una forma, appeteret aliam, appeteret deſtructionem totius. Siquidem forma nova nequit in materia introduci, niſi forma prior, & compoſitum deſtruantur: ergo materia, dum eſt ſub una forma, non appetit aliàs.

2. Prob. ant. Materia magis appetit bonum totiùs, quam bonum proprium. Quia bonum totiùs eſt bonum commune. Sed introductio novæ formæ bonum totiùs non eſt, ſed potiùs illius deſtructio: ergo materia non appetit novæ formæ introductionem.

3. Materia dum eſt ſub anima rationali, non appetit aliam: ergo dum eſt ſub una forma, aliàs non appetit. Prob. antec. Omnes formæ continentur in anima rationali. Nam hæc ſola præſtat gradum vegetandi, ſentiendi, & intelligendi: ergo dum materia eſt ſub anima rationali non poteſt appetere aliàs. Quia ideò humanitas Chriſti, dum habet ſubſiſtentiam divinam, non appetit propriam ſubſiſtentiam, quia ſubſiſtentia propria continetur in divina ſubſiſtentia.

Reſp. ad repl. neg. ant. & ad 1. prob. diſt. mai. Deſtructionem compoſiti per ſe, & tanquam terminum primo intentum: conc. mai. Per accidens, & ut terminum conſequutum: nego mai. & diſt. min. Deſtructionem totiùs per accidens: conc. min. per ſe: neg. min & conſeq. Materia namque per ſe ſolum appetit introductionem novæ formæ, & talem terminum per ſe intendit appetitus, & intentio materiæ. Quia tamen generatio unius eſt corruptio alterius: ideò duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt eſſe in eadem materia, & propterea materia, quæ per ſe appetit introductionem novæ formæ, deſtructionem etiam compoſiti per accidens appetere poteſt.

Sed inſt. Materia, nec per accidens poteſt appetere proprium malum. Sed deſtructio compoſiti eſt malum materiæ. Siquidem ex vi talis deſtructionis ammittit materia eſſe ſimpliciter, quod habebat à forma: ergo materia, nec per accidens deſtructionem compoſiti appetere poteſt.

Reſp. neg. min. Quia deſtructio compoſiti non eſt malum materiæ, ſed potiùs illius bonum. Eo quod forma, quantumvis perfecta ſit, amiſſibiliter informat. Et ita poteſt materiam non informare. Conſequenterque, ſi materia non appeteret aliam formam, poſſet materia relinqui ſine aliqua forma: & propter hoc, ut tantum malum ipſi non eveniat, melius illi eſt aliam, & aliam for-

formam appetere, & per formas diverſas ſucceſsivè determinari.

Ad 2. prob. princ. antec. diſt. min. Totius ſecundum ſe, & abſolutè: conc. min. Totius ut eſt pars univerſi: neg. min. & conſ. Deſtructio namque compoſiti eſt bonum univerſi, cujus bonitas, & perfectio conſiſtit in varietate generationis, & corruptionis. Et ita etiam eſt bonum totius, ut totum eſt pars univerſi. Et etiam parti quatenùs tali, bonum eſt, quod reſpectu totius eſt bonum. Conſequentèrque materia deſtructionem totius, modo explicato, appetere poteſt.

Ad 3. reſp. Subſiſtentiam divinam continere creatam ſecundum ultimam differentiam ipſius, & ſecundum quod communicat tale eſſe particulare, & aliàndè eſt perfectiſsima. Et idcò humanitas Chriſti dum habet ſubſiſtentiam divinam non poteſt appetere creatam, ſed potius per divinam appetitus illius perfectè ſaciatus eſt. Anima verò rationalis non continet aliàs formas ſecundum ultimas differentias illarum, nec ſecundum quod communicant eſſe proprium, & peculiare. Undè dum materia eſt ſub anima rationali aliàs formas appetere poteſt.

Quibus præliba-
tis ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

Materia æqualitèr appetit omnes formas.

COnclusio iſta ratione ſequenti prob. Materia prima appetit omnes formas ſub ratione communi formæ amiſſibilitèr informantis. Appetit namque materia formas, ut per ipſas conſervetur in eſſe. Et cum ipſæ poſsint realitèr à materia ſeparari, ne materia relinquatur ſine aliqua forma, & conſequentèr deſtruatur, propterea non appetit unam determinatè: ſed appetit omnes ut inadæquatè ſatiantes, & potentes materiam informare ſucceſsivè. Quod eſt appetere illas ſub ratione communi formæ amiſſibilitèr informantis. Sed ratio formæ amiſſibilitèr informantis æqualitèr reperitur in omni forma ſublunari, quarum quælibet amiſſibilitèr informat. Et propterea omne compoſitum ſublunare corruptibile eſt: ergo materia æqualitèr appetit omnes formas.

Conf. & explicatur: Nam in tantum materia prima appetit formas, in quantum illarum introductio conducit ad finem intentum ab authore naturæ.

Sed

Sed ad talem finem æqualitèr conducunt omnes formæ : ergo æqualitèr appetit omnes. Prob. min. Finis intentus ab authore naturæ eſt pulchritudo univerſi, quæ in varietate generationis, & corruptionis conſiſtit. Sed ad iſtum finem æqualitèr conducunt omnes formæ: ergo min. vera eſt.

Reſpondebis. Quod licèt omnes formæ æqualitèr conveniant in ratione formæ amiſſibilis; una tamen ſecundum differentiam particularem perfectior eſt alia : quod ſufficit, ut materia magis appetat illam. Quia appetitus elicitus conformatur appetitui innato: & ſi materia cognoſceret formas, magis appeteret appetitu elicito eam formam, quæ ſecundum rationem particularem perfectior eſt.

Contra tamen eſt. Quia appetitus elicitus non terminatur ad illud, quod abſolutè melius, & perfectius eſt ; ſed ad illud tantum, quod in ratione medij melius eſt, magiſque ad finem conducit. Meliora namque ſunt viventia, quam non viventia; & tamen avarus appetitu elicito magis appetit pecunias, quam amenitatem in prato virentem. Ac proindè appetitus innatus non debet appetere magis quod abſolutè eſt perfectius; ſed quod magis perfectum eſt in ratione medij, magiſque ad finem conducit. Sed omnes formæ ſublunares conducunt æqualitèr ad conſervandam materiam, & ſpecies rerum, & univerſi pulchritudinem : ergo materia æqualitèr appetit omnes formas.

§. III.

Argumentis contra concluſionem occurritur.

COntra concluſ. iſtam arg. 1. Materia magis appetit formam corpoream, quam ſpiritualem : ergo æqualitèr non appetit omnes. Prob. ant. Forma corporea eſt magis proportionata cum materia, cum qua magis convenit in modo eſſendi materiali. Sed materia magis appetit formam magis proportionatam : ergo magis appetit formam corpoream.

Reſp. neg. antec. & ad prob. dicimus : Quod forma corporea eſt magis proportionata materialitèr, & in eſſe entis. Quia magis convenit cum materia in modo eſſendi ; formalitèr tamen magis proportionata non eſt. Nam in ea de formali ſolum ſe habet ratio formæ communicantis amiſſibilitèr eſſe, in quo omnes formæ materiales, & ſpirituales conveniunt æqualitèr. Et ideò materia æqualitèr appetit omnes.

2. arg. Materia prima magis ap-

ſppetit animam rationalem, quam alias formas: ergo æqualiter non appetit omnes. Prob. ant. Materia magis appetit perfectiorem formam. Sed anima rationalis perfectior eſt: ergò magis appetit animam rationalem.

Reſpondebis animam rationalem eſſe perfectiorem ſecundum ſe, & abſolutè; non tamen comparativè ad materiam. Quia materia appetit formas ut communicantes eſſe ſimpliciter ſubſtantiale modo amiſsibili: & in hoc omnes formæ conveniunt æqualiter, & una alteram non excedit.

Sed inſt. Forma, quæ ſecundum ſe perfectior eſt, perfectiorem terminat appetitum materiæ. Sed anima rationalis ſecundum ſe perfectior eſt: ergò perfectiorem terminat appetitum. Prob. maj. Scientia, quæ ſecundum ſe perfectior eſt perfectiorem terminat appetitum intellectus, ut per ipſam experientiam comperimus: ergò forma, quæ ſecundum ſe perfectior eſt, perfectiorem etiam appetitum terminabit.

Reſp. neg. conſ. Quia materia non appetit formas ſecundum rationes particulares, in quibus invenitur inæqualitas, & exceſſus; ſed appetit illas ſecundum rationem communem formæ amiſsibiliter informantis, in qua omnes conveniunt formaliter. Intellectus verò appetit ſcientias ſecundum rationes particulares. Et ita quæ ſecundum ſe perfectior eſt, perfectiorem terminat appetitum intellectus.

Dices. Intellectus appetit ſcientias ſecundum rationes particulares: ergò etiam materia appetit formas ſecundum particulares rationes.

Reſp. neg. conſ. Nam appetitus intellectus terminatur ad ſcientias ut intellectum perficientes. Cumque ſcientiæ ſecundum rationes particulares intellectum perficiant, conſequens ſit appetitum intellectus terminari ad ſcientias ſecundum proprias, & peculiares rationes. Appetitus verò materiæ primæ inditus eſt ab Authore naturæ, ut per diverſas generationes, & corruptiones ſalvetur, & conſervetur univerſi pulchritudo. Conſequenterque non tendit ad formas ſecundum rationes particulares. Aliàs materia dum habet formam perfectiorem non appeteret aliàs, ne majorem perfectionem amitteret, & ita deficeret univerſi pulchritudo.

Sed inſt. Forma ſecundum rationem particularem etiam eſt perfectio materiæ: ergò materia debet appetere formam ſecundum rationem particularem. Propterea namque intellectus appetit ſcientias ſecun-

cundum rationem particularem: quia ipſæ ſecundum rationem particularem intellectum perficiunt.

Reſp. Intellectum non appetere ſcientias ſecundum rationes particulares: quia ipſę ſecundum rationes particulares perficiunt intellectum; ſed etiam quia purè appetit illas, ut ipſum perficiant. Materia verò non appetit formas ſolum ut perficiant ipſam, ſed potiùs ut perficiant modo conducenti ad pulchritudinem univerſi conſervandam: & ita debet appetere formas, ut convenientes in ratione communi formæ amiſſibilitèr informantis, & non ſatiantis capacitatem materiæ, ſed relinquentis ipſam cum aptitudine ad novam formam habendam, ut ita per diverſas mutationes perſeveret univerſi pulchritudo. Modo autem ſit.

§. IV.

Secunda Concluſio.

In materia non datur appetitus innatus ad formam amiſſam.

COncl. iſta prob. ratione D. Th. *lib. 2. cont. capit.* 60. Quia in quocumque genere tantum ſe extendit potentia paſſiva, quantum activa potentia. Eo quod non eſt aliqua potentia paſſiva in natura, cui non correſpondeat potentia naturalis activa. Nam potentia paſſiva connotat eſſentialitèr agens, à quo poſſit immutari. Sed non eſt dabile agens aliquod naturale potens reunire cum materia formam amiſſam: ergò non poteſt dari in materia in ordine ad formam amiſſam appetitus naturalis.

Conf. & explicatur ratio prædicta. Nam appetitus naturalis ſolum terminari poteſt ad formam naturalitèr acquiſibilem. Sed forma ſemel amiſſa naturalitèr acquiſibilis non eſt: ergò non eſt dabilis in materia appetitus naturalis ad formam amiſſam. Minor conſtat. Quia de privatione ad habitum non eſt regreſſus per naturam. Undè reunio formæ ad materiam, in quo reſurrectio conſiſtit, opus miraculoſum eſt, quod ſolum à Deo fit ſupra totum ordinem, & exigentiam naturæ. Conſequentèrque forma amiſſa naturalitèr acquiſibilis non eſt.

Maj. verò conf. prob. ex doctrina communi Thomiſtarum 1. *p. q.* 12. *art.* 1. Quia appetitus innatus eſt naturalis exigentia termini, ſicut appetitus elicitus eſt elicita exigentia termini, vel obiecti ad quod tendit. Sed naturalis exigentia ſolum eſt ad terminum naturalitèr acquiſibilem: ergò etiam

ap-

appetitus naturalis, & innatus. Prob. min. Naturalis exigentia ſolum eſt ad formam debitam naturaliter. Quia talis exigentia, vel fundatur ſupra privationem, vel illam eſſentialiter involvit: privatio autem eſt carentia formæ debitæ. Sed forma naturaliter impoſsibilis naturaliter debita non eſt: ergò naturalis exigentia ſolum eſt ad terminum acquiſibilem naturaliter. Prob. min. Forma naturaliter impoſsibilis tantum poteſt eſſe poſsibilis ſupernaturaliter. Sed forma, quæ ſolum ſupernaturaliter eſt poſsibilis, non eſt debita naturaliter, ſed potiùs eſt ſupra debitum, & exigentiam naturæ: ergò forma naturaliter impoſsibilis, naturaliter debita non eſt.

§. V.

Solvuntur argumenta.

ARG. 1. contra iſtam concluſ. Quia forma amiſſa eſt proportionata materiæ: ergo materia naturaliter appetit illam. Nam materia naturaliter appetit formam ſibi proportionatam. Ant. prob. Forma amiſſa eſſentialiter eſt actus primus, & materia primum ſubiectum. Sed actus primus, & ſubiectum primum eſſentialiter proportionantur: ergò forma amiſſa eſt proportionata materiæ.

Reſp. Formam amiſſam ſecundum ſe eſſe proportionatam negativè cum materia. Quia ſecundum conceptum communem formæ, ſupernaturalis non eſt quantum ad ſubſtantiam, vel modum; ipſa tamen ut amiſſa, ſupernaturalis eſt quantum admodum. Et ita etiam eſt improportionata poſsitivè cum materia. Conſequentèrque non terminat appetitum naturalem illius.

Sed inſt. Forma amiſſa ut talis naturaliter acquiſibilis eſt: ergò non eſt ſupernaturalis quantum ad modum, & improportionata poſitivè cum materia. Prob. ant. Quia lapis eductus extra centrum naturaliter acquirere poteſt centrum amiſſum, & per virtutem naturalis agentis poteſt ibi iterum collocari, ut experientia quotidiana demonſtrat: ergò forma ſemel amiſſa etiam naturaliter acquiſibilis eſt.

Reſp. neg. conſ. Quia formam reuniri materiæ eſt reproducere eundem numero effectum, quod virtutem infinitam requirit. Exigit namque virtutem contentivam ejuſdem numero actionis, quæ primò talem effectum produxit. Et ideò forma amiſſa naturaliter impoſsibilis eſt. Terminus verò per motum localem derelictus, ſivè centrum, ſivè aliud, ut iterum recuperetur, non requirit eun-

eundem numero effectum reproduci: ſed ſolum exigit actionem limitatam, & finitam agentis naturalis, cui terminus ille ſubijcitur: & propterea naturalitèr acquiſibilis eſt.

2.arg. Ex impoſsibilitate naturali formæ amiſſæ non infertur impoſsibilitas appetitus ad ipſam: ergò materia appetere poteſt formam amiſſam. Prob. ant.1. Nam ſecundum doctrinam D.Th. 1. 2. *q.*85. *art.*2. *ad* 3. In damnatis reperitur appetitus naturalis ad virtutem, & in homine cæco ad viſſum. Et tamen virtus eſt naturalitèr impoſsibilis damnatis, & viſſus homini cæco: ergò ex impoſsibilitate naturali formæ amiſſæ, non benè infertur impoſsibilitas appetitus.

2. prob. ant. In rebus naturalibus datur naturalis appetitus ad perpetuam conſervationem. Et in anima ſeparata datur etiam naturalis inclinatio ad unionem cum materia. Et tamen hæc unio naturalitèr impoſsibilis eſt. Et ſimilitèr perpetua conſervatio in rebus eſt naturalitèr impoſsibilis. Quia ipſæ ſunt corruptibiles naturaliter, vel attenta propria natura: ergò idem quod prius.

Reſp.neg.ant. & ad 1. prob. diſt. maj. Appetitus naturalis radicalis: conc. maj. Proximus, & expeditus: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Cum enim damnati facti ſint ad imaginem Dei, & ſecundum ſuam naturam ſint capaces virtutis: & homo cæcus ſecundum ſuam naturam ſit aptus ad videndum, fit indè in damnatis reperiri appetitum radicalem, & remotum ad virtutem, & in homine cæco ad viſſum. Quem etiam appetitum concedimus in materia, quæ remotam capacitatem habet etiam ad formam amiſſam. Appetitus verò proximus, quem negamus, in his omnibus impoſsibilis eſt.

Ad ſecundam probationem reſpondetur. Appetitum rerum naturalium non eſſe ad perpetuam conſervationem, ſed ad ipſam ptolongandam, quod quidem naturalitèr poſsibile eſt.

Ad aliud de anima ſeparata reſpond. Solum habere inclinationem, & appetitum radicalem ad unionem cum materia, quatenùs materia ipſi animæ ſecundum ſe non repugnat; non tamen habere proximum, & expeditum appetitum, propter dicta. Et ideò dicendum eſt abſolutè appetitum non habere. Quia appetitus abſolutè pro appetitu proximo, & expedito ſupponit.

Dices. Materia habet ſaltem appetitum radicalem ad formam amiſſam, & radicalitèr capax eſt illam habendi: ergò habet privationem illius. Et con-

conſequenter appetitum proximum, & expeditum habebit. Quia privatio eſt cauſa appetitus.

Reſp. Materiam habere privationem radicalem, & remotam propter remotam capacitatem, quam habet ad formam amiſſam, & conſequenter ſolum habere appetitum radicalem Nam privatio eo modo, quo ipſa eſt, cauſat appetitum.

§. Ultimus.

Corollarium ex dictis.

EX dictis in art. diſc. collig. Appetitum materiæ non eſſe realiter à materia diſtinctum. Quia materia appetit formam, quatenùs eſt primum ſubjectum, & pura potentia receptiva formæ. Ratio verò puræ potentiæ realiter à materia diſtincta non eſt, & conſequenter appetitus non erit realiter à materia diverſus: de connotato tamen importat formam, & actionem agentis potentis introducere illam.

Dices: Quod privatio quatenùs importat ſubjectum, ut privatum forma, eſt cauſa appetitus. Sed cauſa realiter ab effectu diſtinguitur: ergo materia ut privata forma realiter diſtinguitur ab appetitu.

Reſp. Subjectum ut privatum forma non eſſe cauſam appetitus, ſed rationem formalem, ad quam appetitus conſequitur abſque ulla diſtinctione reali; ſicut ratio boni conſequitur in ente ad rationem veri: carentia verò ſe ſola tantum eſt conditio, ut appetitus reſultet.

Inſt. 2. Inclinatio hominis ad bonum alterius ſuppoſiti realiter diſtinguitur ab homine, & illius voluntate: & inclinatio lapidis ad centrum realiter diſtinguitur à ſubſtantia lapidis: ergo inclinatio materiæ ad formas realiter à materia diſtinguitur.

Sed neg. conſ. Quia appetitus materiæ eſt ad aliquid intrinſecum immediatè proportionatum cum ipſa, qualis eſt forma ſubſtantialis, & ideò talis appetitus non diſtinguitur realiter à materia. Appetitus verò lapidis ad centrum non eſt ad terminum immediatè proportionatum: centrum namque proportionatur cum ſubſtantia lapidis, mediante gravitate proxima realiter à ſubſtantia diſtincta: & bonum alieni ſuppoſiti proportionatur cum voluntate appetentis, mediante bono proprio, & ita uterque appetitus realiter à ſubjecto diverſus eſt, & hæc de art. Iſto in hoc libro textu 61. ad illa verba ſicut fœmina marem, &c. ad Phyloſophum applicanda.

QUÆSTIO QUINTA.

De eductione formarum.

ARTICULUS. I.

Vtrùm anima rationalis ſit educibilis de potentia materiæ.

§. I.

Natura formæ, & eductionis declaratur.

DAri formam ſubſtantialem in hoc lib & lib. 2. cap. 1. & 7. Metaphyſicæ Ariſt. affirmavit. Quod etiam manifeſtè conſtat. Siquidem ens naturale eſt totum ſubſtantiale completum. Sola autem materia prima non eſt totum ſubſtantiale completum, & conſequenter debet dari aliqua forma ſubſtantialis, quæ ſimul cum materia totum ſubſtantiale componat.

Hæc igitur forma ſubſtantialis in communi diffinitur: *Actus primus materiæ, ex quo ſit unum per ſe.* In qua diffinitione *actus* ponitur loco generis, in quo convenit forma cum accidentibus, & Angelorum natura. *Primus* ponitur loco differentiæ, per quod ab accidentibus diſtinguitur, & à ſubſiſtentia, & exiſtentia, quę formam ſubſtantialem ſupponunt. Per aliam vero particulam *ex quo ſit unum per ſe* denotatur compoſitum ſubſtantiale factum ex materia, & forma, eſſe ens per ſe, & unam ſimpliciter, ad diſtinctionem compoſiti accidentalis, quod eſt unum ſecundum quid.

Sed inſt. contra definitionem prædictam. Quia actus primus materiæ eſt aliquid ſimplex. Sed forma ſubſtantialis componitur ex actu, & potentia. Aliàs eſſet actus carens potentia, & conſequenter actus purus: ergo forma ſubſtantialis non eſt actus primus materiæ.

2. Inſt. Actus primus materiæ eſt in illa tanquam in ſubjecto. Sed eſſe in alio ut in ſubjecto repugnat ſubſtantiæ: cum ſit proprium accidentis: ergo forma ſubſtantialis actus materiæ non eſt.

3. In rebus corporeis forma corporea non eſt actus materiæ: ergo idem quod priùs. Prob. ant. Forma corporea non poteſt ſimul exiſtere cum materia. Quia forma corporea habet quantitatem ſicut ipſa materia, & unum habens quantitatem nequit ſimul eſſe cum alio in eodem loco: ergo in rebus corporeis forma corporea non eſt actus materiæ.

4. Si forma eſſet actus materiæ, ipſa materia eſſet magis ſubſtantia, quam forma: Nam materia pluribus ſubſtat, quam forma. Quia ſubſtat omnibus

alijs,

aliis, & ſubſtat etiam ipſi formæ: ſubſtantia verò dicitur à ſubſtando. Hoc admittendum non eſt: ergò forma non eſt actus materiæ.

Reſp. Formam eſſe ſimplicem realiter entitativè qualiter requiritur ad actum primum materiæ; componitur tamen per rationem ex actu, & potentia. Quia eadem entitas formæ quæ materiam actuat, eſt etiam in potentia ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam. Compoſitio autem per rationem non tollit ſimplicitatem realem.

Dices: ergò forma realitèr eſt actus purus. Siquidem realitèr compoſita non eſt, & quod realitèr non eſt compoſitum, eſt actus purus realitèr.

Reſp. facilè. Formam non eſſe realitèr compoſitam ut *quod* ex partibus diſtinctis realitèr; eſſe tamen realitèr compoſitam, ut *quo*, quatenùs eſt pars realis compoſitionis, & hoc ſufficit, ut realitèr non ſit actus purus.

Ad 2 inſt. reſp. Accidens eſſe in ſubjecto inhæſivè; formam verò ſubſtantialem non inhærere materiæ; ſed ſolum in illa recipi, quod ſubſtantiæ non repugnat.

Ad 3 reſp. Formam corpoream non habere quantitatem diſtinctam à quantitate materiæ, ſed materiam, & formam per eandem quantitatem extendi, & ita benè cohærent in eodem loco.

Ad 4 reſp. Subſtantiam eſſe magis, vel minus perfectam à majori, vel minori actualitate; non autem ab eo quod plura, vel pauciora recipiat, & cum forma ſit magis actualis; eſt etiam magis perfecta in ratione ſubſtantiæ, quam materia.

2. Not. eſt ſecund. doctr. D. Th. 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. formam educi de potentia materiæ, nihil aliud eſſe, quam ipſam formam fieri actu, quæ prius erat in potentia. Sic enim aſſerit, ibi: *Actum extrahi ex potentia materiæ nihil aliud eſt, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia.*

Quia tamen forma, quæ erat in potentia materiæ, poteſt in actu fieri per creationem, propterea advertendum eſt. Quod ut forma educatur, debet fieri dependenter à materia: ita quod ipſa productio formæ à materia dependeat, quod ſolum contingit, quando per talem actionem, non fit materia, ſed potius præſupponitur materia ad actionem illam producentem, & ponentem in actu formam, non quidem extra materiam, ſed in ipſa ut in ſubjecto, in quo forma recipitur. Nam ſic verificatur eductionem eſſe ex præſuppoſito ſubjecto, ſicut creatio fit ex nullo ſubjecto præſuppoſito.

Ex doctrina iſta conſtat ali-

quas formas poſſe eſſe ex natura ſua educibiles, quæ tamen de facto non educantur: quia non ptoducuntur dependenter à materia, ſed per eandem actionem productivam materiæ producuntur etiam formę. Sicut conſtat in formis Cœlorum, & elementorum, quæ de facto non fuerunt eductæ, quamvis natura ſua ſint educibiles.

3. Not. eſt formas aliquas ſubſtantiales de facto eſſe eductas de potentia materiæ. Quod probatur ex doctrina D. Th. q. 3. de Potentia art. 8. Quia ex vi actionis agentis naturalis incipit eſſe forma ſubſtantialis, in his, quæ fieri videmus. Sed non incipit per creationem. Eo quod ſolius Dei eſt creare: ergò incipit per eductionem.

Dices: Agens naturale; v. gr. ignem, ſolum ponere ultimam diſpoſitionem ad novam formam producendam; non tamen ipſam formam producere, ſed illam à Deo creari.

Contra tamen eſt. Quia quando effectus virtutem cauſæ non excedit, ſi incipit ad poſitionem operationis cauſæ, ſine ulla ratione negatur cauſæ influxus in entitatem effectus. Sed poſita operatione ignis; v. gr. incipit etiam forma ignis geniti, quæ non excedit perfectionem, & virtutem generantis: ergo ignis generans verè talem formam producit.

Conf. Quando animalia producuntur, materia, in qua recipitur eorum forma, tempore præſupponitur ad formam ipſam. Sed creatio nullum ſubjectum præſupponit tempore præcedenti ſed de nihilo formam producit: ergò forma non creatur, ſed verè educitur de potentia præſuppoſiti ſubjecti per actionem naturalis agentis.

Inſt. Implicat unum fieri ex alio tanquam ex cauſa, niſi illi ſimile ſit. Nam effectus debet eſſe ſimilis ſuæ cauſæ. Sed materia ſimilitudinem non habet cum forma. Eò quod forma eſt actus, & materia pura potentia: ergò forma non poteſt fieri per eductionem de potentia materiæ, & dependenter ab illa tanquam à cauſa.

Conf. Non poteſt forma educi de potentia materiæ, ſi ſemèl in potentia materiæ non continetur. Sed revera forma non continetur in potentia materiæ. Eò quod forma eſt actus; materia verò pura potentia, & pura potentia excludit omnem actum: ergò forma non poteſt educi de potentia materiæ.

Reſp. ad repl. Similitudinem tantùm requiri inter cauſam efficientem, & effectum. Eo quod cauſa efficiens communicat eſſe per ſuam actionem, & intendit ſe ipſam communicare in quantum poteſt, & ita intendit pro-

du-

ducere ſibi ſimile. Cauſa verò materialis ſolum eſt potentia, & capacitas paſsiva ad formam recipiendam: non quia ſimilem, ſed quia dat eſſe, & materiam perficit.

Addimus. In cauſa materiali ſufficere ſimilitudinem, & convenientiam analogam, quam habet materia cum forma in omnium ſententia.

Ad conf. verò reſp. Formam contineri in potentia materiæ, non quidem continentia formali: & quia formalitèr in materia ſit ſecundùm eſſe accidentale; ſed contineri in potentia materiæ continentia virtuali, & prout ſic contentam non eſſe in actu diſtinctam ab ipſa materia, ſed ſolùm in virtute, & in potentia. In quo ſenſu materia non excludit omnem actum. Sicut effectus cauſæ efficientis reduplicativè ut contentus in cauſa non eſt diſtinctus ab ipſa: nec entitas cauſæ excludit entitatem effectus, ſed potiùs entitas cauſæ, & effectus ut contenti virtualiter in ipſa eadem realitèr eſt.

Dices: ergo antequam forma fiat, non eſt actu in materia, ſed ſolum in potentia, & conſequentèr quando producitur, fiet de nihilo ſui, & ità non per eductionem, ſed per creationem fiet.

Reſp. Quod ut forma non fiat per creationem, non requiritur quod ſecundum aliquod eſſe actuale præcedat in materia, ſed ſatis eſt, quod præcedat in potentia materiæ, & ex illa fiat per actionem agentis.

Dices: Creatio eſt productio entis ex nihilo: ergò ſi forma fit ex nihilo ſui, per creationem producitur.

Reſp. Explicando ant. Ex nihilo abſolutè: conc. antec. Ex nihilo formæ productæ: nego ant. & conſeq. Creatio namque debet eſſe abſolutè de nihilo, illud verò quod fit ex præſuppoſito ſubjecto, quamvis fiat de nihilo formæ productæ; non tamen fit de nihilo abſolutè. Siquidem præſuponit ſubjectum, ex quo fit: & conſequenter non per creationem, ſed per eductionem producitur. His ergo ſuppoſitis, quorum etiam intelligentia ex infra dicendis conſtabit, circa principalem difficultatem ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Anima rationalis non poteſt educi de potentia materiæ.

ANimam rationalem de facto non educi, ex Sacra Scriptura colligitur, in qua habetur animam rationalem eſſe immortalem, & per ſe ſubſiſten-

ſiſtentem, & Geneſ. 1. dicitur: Animam rationalem à Deo creari. Undè oppoſita ſententia ut erronea ab aliquibus habetur: ab alijs verò tanquam hæretica reputatur, & eſſe ſaltim erroneam conſtat, ex eo quod communitèr docetur à Theologis. Quia videlicèt propoſitio erronea ea eſt, quæ opponitur conſequentiæ deductæ ex duplici præmiſſa de fide, vel ex una de fide, & altera evidentèr nota lumine naturali. Talis autem eſt noſtra ſententia, ut videri poteſt in Mag. Bañez 3. p. q. 90. art. 2. ubi ſolita eloquentia præſentem difficultatem examinat, & extendi: ergo oppoſita ſententia ſaltim ut erronea reputanda eſt. Eandem doctrinam habet Ang. Doct. 1. *p. q.* 75. *art.* 2. *&* 3. *&* 79. *art.* 4. *&* 90. *art* 2. & præcipuè 118. *art.* 2. *& q. unica de anima, art.* 14. *&* 2. contra gentes, *cap.* 55. ubi aſſerit: *Quod animæ rationalis non poteſt educi de potentia materiæ. Quia habet eſſe elevatum ſupra omnem illum.* Quæ authoritas eſtim videtur probare animam rationalem de potentia abſoluta educi non poſſe de potentia materiæ.

Id ipſum ratione probatur. Ea ſola forma de potentia materiæ educibilis eſt, quæ continetur in potentia materiæ. Si namque in materia non continetur, non poteſt extrahi de potentia materiæ. Sed anima rationalis in potentia materiæ non continetur: ergo de potentia materiæ educibilis non eſt. Prob. min. Forma contenta in potentia materiæ non eſt elevata ſupra potentiam materiæ, & illius eſſe, ſed potius talis forma dependet in eſſe à materia. Sed anima rationalis non dependet in eſſe à materia: ergo in potentia materiæ contenta non eſt. Prob. min. Anima rationalis eſt per ſe ſubſiſtens, & exiſtens: ergo non dependet in eſſe à materia. Aliàs per ſe, & ſine materia ſubſiſtere, & exiſtere non poſſet. Ant. prob. Anima rationalis à materia ſeparata intelligit, & amat, ſicut fides docet: Sed operatio eſt rei ſubſiſtentis, & exiſtentis: ergo anima rationalis eſt per ſe ſubſiſtens.

2. Prob. min. Anima rationalis non dependet in operari à materia. Siquidem anima rationalis à materia ſeparata operatur intelligendo, & amando: ergo non dependet in eſſe. Patet conſ. Quia operari ſequitur ad eſſe, & cum illo proportionatur. Conſequenterque forma, quæ non dependet in operari, non dependet in eſſe.

Eadem doct. explic. Quia intelligere, & velle, ſunt operationes animæ rationalis; & in his non dependet à materia: ergo nec in eſſe dependet. Quia operationes elevatæ, & indepen-

den-

dentes debent provenire ab aliquo eſſe independenti, & elevato: Ant. prob. Operationes illæ non ſunt affixæ organo corporali, ſicut 1.p.q.14.art. 1. latiſſimè prob. à Noſtris: ergò anima rationalis in his operationibus non dependet à materia.

Rurſus etiam. Anima rationalis poteſt intelligere objectum in univerſali: ergo in intelligendo non dependet à materia. Quia namque Phantaſia, & alij ſenſus à materia in operari dependent, non poſſunt objectum in univerſali percipere.

Ex his etiam conf. ratio noſtra. Quia anima rationalis non dependet in eſſe à materia. Siquidem immortalis, & incorruptibilis eſt, & perſeverat in eſſe à materia ſeparata, ut Catholici fatentur: ergò non dependet in fieri. Conſequenterque educi non poteſt. Patet conſ. Quia eo modo quo convenit fieri, convenit eſſe: & fieri ad eſſe ordinatur: ergo ſi anima rationalis non dependet in eſſe, non dependebit in fieri. Quæ doctrina amplius ex argumentorum ſolutione conſtabit.

§. III.

Argumentis contra concluſionem ſatis fit.

COntra concluſionem noſtram arg. 1. Eductio eſt productio formæ ex præſuppoſito ſubjecto. Sed ad productionem animæ rationalis præſupponitur ſubjectum. Siquidem ſupponitur materia: ergò anima rationalis educitur.

Reſp. Ad productionem animæ rationalis ſupponi quidem materiam, non ut ſubjectum, ex quo anima producatur, ſed ut ſubjectum in quo recipitur, & cui unitur anima per creationem producta.

Dices: Datur potentia activa naturalis productiva animæ rationalis. Sed potentia naturalis activa ſolum poteſt formam producere ex ſubjecto præſuppoſito; ergò ad productionem animæ rationalis præſupponitur materia ut ſubjectum, ex quo forma ipſa producitur. Prob. maj. In materia datur potentia paſſiva naturalis in ordine ad animam rationalem: ergo datur potentia naturalis activa productiva talis formæ. Quia cuilibet potentiæ paſſivæ aliqua potentia correſpondere debet.

Reſp. tamen facile. Quod, ex quo detur in materia potentia naturalis paſſiva ad recipiendam animam rationalem, ſolum infertur debere dari potentiam naturalem activam ad uniendam animam rationalem cum materia; non tamen ad illam producendam.

2. Arg. Anima rationalis dependet in fieri à materia: ergò

de potentia materiæ educibilis eſt. Prob. ant. 1. Anima rationalis connaturaliter fieri non poteſt abſque materia. Eo quod eſt pars per ſe ordinata ad totum ſimul cum materia componendum: ergo dependent in fieri à materia. Patet conſ. Nam licèt accidens de potentia abſoluta poſsit exiſtere, & fieri ſine ſubjecto; quia tamen connaturaliter ſine ſubjecto fieri non valet, abſolutè dependet in fieri: ergo ſi anima connaturaliter fieri non poteſt ſine materia, ab illa dependebit in fieri.

2. Prob. ant. Materia exercet ſuam cauſalitatem in animam rationalem. Siquidem recipit illam: ergo anima rationalis à materia dependet in fieri.

3. Anima rationalis in exiſtendo dependet à materia: ergo etiam in fieri. Prob. ant. Anima rationalis in compoſito ſubſiſtit, & exiſtit *ut quo* per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam totiùs. Sed totum abſque materia non eſt. Imò ab illa eſſentialiter dependet: ergò anima rationalis in exiſtendo à materia dependet.

4. Anima rationalis continetur in potentia materiæ: ergo ab illa pendet in fieri. Prob. ant. Nulla res naturaliter appetere poteſt perfectionem, quam in ſua potentia non continet. Sed materia naturaliter appetit animam rationalem; ergo hæc continetur impotentia materiæ.

5. Ab oppoſito. Species intelligibilis dependet in fieri à Phantaſmatibus. Et tamen non continetur in potentia illorum. Quia ipſa materialia ſunt, ſpecies verò ſpiritualis eſt: ergo quamvis anima rationalis non contineatur in potentia materiæ, ab illa dependebit in fieri.

Reſp. ad arg. neg. antec. ad prob. neg. conſ. & ad ejus prob. diſt. ant. Ly *quia* dicente principium eſſentialiter requiſitum: conc. ant. Dicente principium, & cauſam ſufficientem: neg. ant. & conſeq. Licèt namque non poſſe connaturaliter fieri ſine ſubjecto ſit principium neceſſarium, ut accidens à ſubjecto dependeat in fieri; non tamen eſt principium ſufficiens. Sed cauſa ſufficiens eſt. Quia cum accidentis eſſe ſit in eſſe ſubjecto, non poteſt accidens attenta propria natura ſine ſubjecto naturaliter exiſtere, ſed ſolum miraculosè, & de potentia abſoluta. Anima verò rationalis, quamvis abſque materia connaturaliter fieri non poſsit: eo quod eſt pars per ſe ordinata ad totum cum materia componendum; poteſt tamen abſolutè naturaliter exiſtere ſine materia. Et conſequenter in fieri à materia non dependet.

Ad 2. prob. reſp. diſt. ant. In for-

formam quantum ad in eſſe: conc. ant. Quantum ad eſſe: nego ant. & conf. Materia namque exercet cauſalitatem in formam quantum ad unionem, & in eſſe formæ: quia recipit illam; non tamen exercet cauſalitatem in formam quantum ad eſſe. Quia non continet eſſe formæ, & hæc ſecunda cauſalitas neceſſaria erat, ut forma à materia dependeret in fieri.

Ad 3. prob. reſp. Quod, ut anima rationalis exiſtat ut *quo*, & in compoſito per exiſtentiam totius à materia dependet, non tamen ut exiſtat abſolutè, ſed potiùs à materia ſeparata exiſtere poteſt, & ſecundum erat neceſſarium, ut à materia dependeret in fieri.

Ad 4. quidam ſapientiſsimus Magiſt. R. Quod ſicut materia appetit animam rationalem ſecundum rationem communem formæ: ita illam continet ſecundum rationem communem; quod tamen non ſufficit, ut anima rationalis educatur. Quia eductio non ad rationem communem, ſed ad totam entitatem terminatur.

Si autem objicias illi. Quod aliæ formæ educuntur de potentia materiæ, & tamen ſolum continentur in materia ſecundum rationem communem.

Reſp. Quod anima rationalis continetur in potentia materiæ ſecundum rationem communem formæ abſtrahentis à corporea, à dependenti, & non dependenti à materia; aliæ verò formæ continentur in materia ſecundum rationem communem formæ corporeę dependentis in eſſe, & fieri à materia, & ideò aliæ formæ educuntur de potentia materiæ; anima verò rationalis educibilis non eſt.

Hæc tamen ſolutio veritatem non continet. Quia, ſi materia contineret formas corporeas ſecundum rationem communem formæ corporeæ, illas etiam appeteret ut corporeas; & ut à forma ſpirituali diſtinctas. Conſequenterque materia appeteret formas corporeas ſecundum illam rationem, in qua à forma ſpirituali exceduntur, & ita non æqualitèr appeteret omnes formas; quapropter hac ſolutione relicta.

Reſp. ad 4. neg. ant. & ad prob. dicimus: Quod, ut materia appetat animam rationalem, ſufficit animam rationalem poſſe naturalitèr recipi in materia, & cum illa naturalitèr uniri: contineri autem in potentia materiæ minimè neceſſarium eſſe.

Dices: Ideò in homine non datur appetitus naturalis ad viſionem beatam: quia talis viſio non continetur in potentia, & virtute naturali: ergo ſi anima rationalis non continetur in potentia materiæ, non erit in materia appetitus ad animam rationalem.

Reſp.

Reſp neg. cauſalem ut adæquatam; ſed cauſa adæquata eſt. Quia Viſio Beata non continetur in potentia naturali; nec cum tali potentia naturaliter univilis eſt, cuius oppoſitum contingit in anima rationali.

Ad 5 neg. min. Quia licèt Phantaſma materiale ſit, recipit tamen ab intellectu agente ſpiritualem virtutem, ratione cujus poteſt ſpeciem intelligibilem continere, ut ex ipſo educatur. Vel quod verius eſt recipit ab intellectu virtutem ſpiritualem, ratione cujus poteſt efficienter producere ſpeciem intelligibilem de potentia intellectus poſsibilis. Nam ſpecies intelligibilis recipitur in intellectu poſsibili, & ita de potentia intellectus poſsibilis debet educi per virtutem cauſæ efficientis

Addimus. Species intelligibiles eſſe aliquid ſpirituale, accidentale, diminutum, & imperfectum, & ita mirum non eſt, quod contineantur in potentia Phantaſmatis materialis. Anima Vero rationalis ſpiritualis perfectè eſt, & per ſe ſubſiſtens, & ideò in potentia materiæ, contineri non poteſt.

3. Arg. Anima rationalis dependet in operari à materia: ergo dependet in eſſe, & fieri. Et conſequenter educitur. Prob. ant. Vegetare, & ſentire ſunt operationes provenientes ab anima rationali. Sed in his à materia dependet: ergò in operari dependet à materia.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. maj. Operationes principales, differentiales, & propriæ: neg. maj. Operationes minus principales: conc. maj. & conc. min. neg. conſ. ſecundum diſtinctionem. maj. Quia dependentia formæ à materia non colligitur ex dependentia cujuſcumque operationis, ſed ſolum ex dependentia operationis principalis, differentialis, & propriæ. Eo quod in operatione principali explicatur eſſe proprium, & differentiale formæ. Et ideò forma, quæ dependet in tali operatione, etiam in eſſe dependet. Vegetare autem, & ſentire ſunt operationes minùs principales animę rationalis, & illi cum alijs formis communes, quatenùs per ſentire convenit cum Brutis, & per vegetare eum Plantis. Conſequenterque ex dependentia prædictarum operationum non infertur animæ dependentia. Inſtantia eſt in Angelo, qui habet dependenter à materia aliquas operationes, videlicèt loquitiones, ſigna exteriora, & alia, quæ exercet in corporibus aſſumptis, & tamen in ſuo eſſe à materia non dependet.

Sed inſt. Si anima rationalis in intelligendo dependeret à materia, educeretur de potentia materiæ formalitèr ut intellectiva eſt: ergo ſi in vegetare,

&

& ſentire à materia dependet, erit etiam educibilis ut vegetativa, & ut ſenſitiva eſt.

Reſp.neg.conſ. Quia in operatione principali explicatur eſſe proprium, & differentiale formæ, & ideò dependentia operationis principalis connectitur cum dependentia in eſſendo, & arguit neceſſario dependentiam in eſſe. Cumque intellectio ſit operatio principalis animæ, ſi in illa dependeret à materia, etiam dependeret in eſſe. In alijs verò operationibus non explicatur eſſe proprium, & differentiale formæ, & conſequenter ex illarum dependentia non colligitur, quod forma dependeat in eſſe.

Sed urg. Ex dependentia in operatione principali formæ benè infertur dependentia in eſſe ipſius formæ, quæ eſt operationis principium. Sed ſentire eſt operatio principalis animæ rationalis ut ſenſitiva eſt: ergo ex dependentia in hac operatione infertur etiam dependentia animæ quatenùs ſenſitiva eſt.

Reſp. Dependentiam formæ non inferri ex dependentia operationis principalis animæ ut ſenſitiva eſt; ſed ſolum ex dependentia operationis principalis abſolutè, qualis eſt operatio intellectiva, alia autem operatio videlicèt ſenſitiva ſolum eſt principalis animæ reduplicata formalitate ſecundaria animæ ut ſenſitivæ.

Sed inſtabis. Operatio dependens ſequitur ad eſſe dependens: ergo ſi anima rationalis in ſentiendo dependet à materia, etiam in eſſe ſenſitivo dependebit ab illa.

Reſpondebis. Quod operatio dependens, ſi eſt primaria, ſequitur ad eſſe dependens; non tamen ſi operatio ſecundaria ſit.

Dices: ergò ſaltim in eſſe ſenſitivo reduplicativè ut tali anima rationalis dependebit à materia.

Sed neg.conſeq. Quia entitas animæ ut rationalis, & ut ſenſitivæ eadem realitèr, & indiviſibilis eſt. Conſequenterque ſi in eſſe rationali non dependet à materia, etiam ut ſenſitiva non dependebit ab illa. Dependentia namque à materia in eſſendo, non penes formalitates diverſas, ſed penes entitatem attenditur.

Sed inſt.1. Eadem indiviſibilis entitas animæ in una operatione dependet, & non in alia: ergo eadem entitas poterit dependere, ut ſenſitiva, quin ut rationalis dependeat.

2. Inſt. Quamvis anima indiviſibilis ſit illi tamen ut intellectivæ convenit aliqua operatio videlicèt intellectio, quæ illi ut ſenſitivæ repugnat: ergo pariter poterit illi convenire dependentia ſub aliqua formalitate eſſendi, quin ſub alia formalitate conveniat.

Reſp. ad primam inſtantiam neg.

neg. conſeq. Quia operari convenit principio etiam ſecundum formalitatem, ſicut patet in intellectu, qui ut in intellectus intelligit, & ut ratio diſcurrit, & voluntas ut natura elicit actum neceſſarium, & ut libera actum liberum producit. Sicut ergo poteſt principium ſecundum unam formalitatem, & non ſecundum alteram operari: ita poteſt ſecundum unam, & non ſecundum alteram dependere à materia. Dependentia verò formæ in eſſe, & educi de potentia materiæ convenit formæ ſecundum entitatem ſuam, & cum entitas animæ ut rationalia, & ut ſenſitivæ ſit eadem realitèr, & tàm gradus rationalis, quàm gradus ſenſitivus, & vegetativus ſint per ſe ſubſiſtentes: indè fit animam rationalem non poſſe in eſſe ſenſitivo à materia dependere, ſi ſemel ut rationalis à materia non dependet. Per quæ conſtat ad ſecundam replicam ſupra factam.

Addimus. Operationes animæ realiter eſſe diſtinctas, & ideò poteſt in una dependere, quin in altera dependeat: eſſe verò rationale, ſenſitivum, & vegetativum ſunt idem realiter, & conſequenter diſpar eſt ratio, & argumentum in contrarios retorquetur. Quia, ſi operatio intellectiva, & ſenſitiva eſſent realiter idem, utraque, vel nulla dependeret à materia: ergo idem de eſſe ſenſitivo dicendum.

4. Arg. Anima rationalis in operatione principali dependet à materia: ergo etiam in eſſe à materia dependet. Prob. ant. Intellectio eſt operatio principalis animæ rationalis. Sed in hac dependet à materia: ergò in operatione principali dependet à materia. Prob. min. Anima pro iſto ſtatu Intelligit dependenter à ſenſibus materialibus: ergo in intelligere dependet à materia.

2. Prob. ant. Anima in quocumque ſtatu, etiam in ſtatu ſeparationis exigit materiam, ut intelliget, ut docèt. Angelicus Præceptor. 1. p. q. 39. art. 1. ergò in intelligere dependet à materia. Prob. conſ. Accidens abſolutè poteſt exiſtere, & operari ſine ſubſtantia, & tamen quia ſemper exigit ſubſtantiam, ut operetur, in operari dependet à ſubſtantia: ergo ſi anima rationalis exigit materiam, ut intelligat in quocumque ſtatu, ſignum eſt, quod in intelligere à materia dependet.

Reſp. neg. ant. & ad probationem nego minor, & ad illius probationem diſtinguo antec. Dependenter à ſenſibus materialibus dependentia præſuppoſita: conc. ant. Dependentia formali, & tamquam ab organo: neg. ant. & conſeq. Cum enim anima rationalis ſit omnino ſpiritualis, & adhùc à materia ſepa-

parata potens intelligere: indè eſt, quod in intelligendo non dependet à ſenſibus dependentia formali, & tanquam ab organo. Quia anima rationalis formaliter ut talis non utitur organo corporali, neque eſt ad extra operativa, ſed ſolum à corpore præſuppoſitivè dependet, quatenus in iſto ſtatu ſemper intelligit per ſpecies à Phantaſmatibus abſtractas.

Sed inſt. Intellectus agens ſpiritualis eſt, & tamen in principali operatione à materia dependet: ergò etiam anima poterit à materia dependere in principali operatione, quamquam ſpiritualis ſit. Prob. minor. Operatio principalis intellectus agentis eſt abſtrahere ſpecies à Phantaſmatibus: ergo in operatione principali dependet à materia.

Reſp. diſtinguendo ultimum conſeq. A materia tanquam ab objecto: conc. conſeq. Tanquam ab organo: nego conſeq. Dependentia enim intellectus agentis à Phantaſmatibus ſolùm eſt ab illis tanquam ab objecto, ex quo educit ſpecies; non tamen tanquam ab organo. Hæc autem dependentia à materia tanquam ab objecto etiam intellectui poſsibili, imò Angelico intellectui convenit. Undè ex hac dependentia nullatenus infertur intellectum educi de potentia materiæ. Conſequenterque ex hac dependentia non poteſt à patitate probari eductio animæ rationalis.

Ad 2. prob. ant. princ. nego conſ. ad probationem conc. maj. diſt. min. Quia exigit præciſè, neg. min. Quia exigit ſubſtantiam, & principium radicale in virtute cujus operatur: conc. min. & neg. conſeq. Licèt namque anima rationalis ſit pars perſe ordinata ad totum ſimul cum materia componendum; & ideò ſit illi connaturale operari, ut conjuncta cum altera compatte, ſcilicèt materia, ob hocque exigat illam; non tamen indè ſequitur, quod in operari à materia dependeat. Quia cum anima rationalis, ſit ſemiſuppoſitum, ſeparata à materia propria virtute exiſtit, & operatur. Cujus oppoſitum in accidenti invenitur, quod quidem ſeparatum à ſubſtantia ſemper operatur in virtute ſubſtantiæ: quapropter exigit illam, ut principium radicale, in virtute cujus operatur, & ita ſemper dependet à ſubſtantia in operari.

5. Arg. Eadem realiter forma poteſt ſecundum unum gradum eſſe dependens à materia, & ſecundum alterum independens; ergò quamvis gradus ſenſitivus, & rationalis identificentur in anima poterit ſecundum gradum ſenſitivæ à materia dependere, & ex illa educi; quamvis non pendeat ab illa ſecundum

quod

quod rationalis. Prob. ant. Eadem forma realiter entitativè poteſt ſecundum unum gradum produci ab aliqua cauſa, à qua ſecundum alterum gradum producibilis non eſt: ergò eadem realitèr forma poterit ſecundum unum gradum, & non ſecundum alterum à materia dependere. Conſeq. à paritate nota eſt. Ant. Verò plurib⁹ exemplis conſtat. Quia entitas peccati identificatur cum malitia poſitiva. Et tamen entitas producitur à Deo, non verò malitia. Et relatio filiationis producitur à Patre Æterno; non autem Divina Natura. Et in Sacramento Euchariſtiæ ponitur ex vi verborum ratio corporis, non verò ratio intellectivi. Et Cœlum producit in homine rationem corporis; non verò rationem intellectivi.

2. prob. antec. princ. Eadem realitèr Gratia ſecundum conceptum juſtificantis dependet à diſpoſitionibus, à quibus Gratia ſecundum conceptum auxiliantis non dependet. Et eadem anima rationalis ut vegetativa communicatur capillis, & ungibus; non tamen ut rationalis: ergo eadem etiam ut vegetativa poterit à materia dependere, quin ut rationalis dependeat.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. Quando identificantur ſolum quantum ad ſubſtantiam: conc. ant. Si identificantur quantum ad ſubſtantiam, & modum: neg. ant. & conſeq. Si namque gradus ſolum identificantur quantum ad ſubſtantiam, poteſt unus ab aliqua cauſa produci, à qua non producitur alius. Et ita entitas peccati producitur à Deo, quin indè inferatur produci malitiam: & Pater Æternus producit filiationem non producendo naturam. Quia natura non ſubinduit modum relativum filiationis, & entitas peccati non ſubinduit modum deformitatis, & malitiæ, ſed pertinet ad genus phyſicum formalitèr. Undè non identificantur quoad ſubſtantiam, & modum. Cujus oppoſitum contingit in gradibus animæ, qui identificantur quoad ſubſtantiam, & modum. Eo quod omnes gradus trahuntur ad eſſe gradus rationalis, & omnes fiunt per ſe ſubſiſtentes. Sicut calor ſolis non poteſt ab igne produci. Quia ſubinduit modum incorruptibilem ſolis. De quo plura quæſt. 2. procemiali artic. 1. §. 3. diximus.

Ad aliud exemplum dicimus: quod licèt ex vi verborum ſolum cauſetur formalitèr ratio corporis, quatenùs hæc ſola formalitèr ſignificatur; realitèr tamen per concommitantiam, & propter identitatem ponitur

ibi

ibi ratio intellectivi, & alia prædicata identificata realitèr. Quod quidem intelligendum eſt, quando per concomitantiam ponitur anima rationalis. Si tamen non ponatur anima rationalis, ut in triduo mortis Chriſti, non ponitur etiam gradus corporis identificatus realitèr cum anima rationali.

Ad aliud exemplum dicimus: Cœlum ex parte rationis ſub *qua* ſolum producere hominem ſub ratione corporis; ex parte tamen rationis *quæ* etiam producere formalitèr ipſam rationem viventis.

2. Poterat etiam dici: Cœlum non producere formalitèr ipſam rationem corporis: Sicut nec rationem viventis, ſed ſolum producere rationem corporis per quamdam appropiationem, quatenùs producit diſpoſitiones ad gradum corporis requiſitas.

Ad 2. prob. ant. neg. conſeq. Quia dependentia, quam habet gratia juſtificans à diſpoſitionibus, non eſt dependentia ſtricta in genere cauſæ materialis, ſed ſolum eſt dependentia, ut gratia connaturalitèr recipiatur, ſubjectoque communicet proprium effectum formalem: quam dependentiam à diſpoſitionibus, & ut ſit connaturalitèr in materia, habet etiam anima rationalis.

Ad aliud exemplum de animo unita capillis dicimus: foramam uniri ſubjecto ſecundum capacitatem illius. Cumque in ſubjecto poſsit eſſe capacitas ad unum, & non ad alterum gradum, etiam forma poteſt illi unum, & non alterum communicare. Dependentia verò à materia penes entitatem attenditur; & omnes gradus in anima ſunt ejuſdem entitatis.

6. Arg. Forma, quæ in proprio effectu formali dependet à materia, educitur de potentia materiæ. Sed anima rationalis in ſuo effectu formali à materia dependet. Nam effectus formalis animæ rationalis eſt eſſe humanum, vel homo: quod quidem non datur ſine materia: ergo anima rationalis educitur de potentia materiæ. Prob. maj. Magis intimus, & intraneus eſt formæ effectus formalis, quam principalis formæ operatio. Siquidem formalis effectus eſt ipſa forma ſubjecto communicata; operatio verò eſt accidens realitèr à forma, & à potentia proximè operativa diſtinctum. Sed forma, quæ in principali operatione dependet à materia, educitur de potentia materiæ: ergo etiam illa forma, quæ dependet à materia in proprio effectu formali.

Conf. Anima rationalis producitur per generationem: ergo educitur de potentia materiæ. Prob. ant. Per generationem

nem hominis aliquid producitur. Non materia, nec modus unionis, in ſententia negante illum: ergo anima rationalis producitur.

Reſp. ad arg. diſt. min. In ſuo effectu formali ſumpto adæquatè: conc. min. In adæquatè ſumpto: neg. min. & conſeq. Effectus namque formalis animæ rationalis poteſt conſiderari inadæquatè, quantum ad intrinſeca talis effectus. In quo ſenſu non dependet à materia, ſed ſine materia ſalvatur in ipſa anima rationali ſeparata, in qua invenitur eſſe intellectivam, & operativam formaliter. Poteſt etiam effectus animæ adæquatè conſiderari quantum ad intrinſeca, & extrinſeca, videlicèt quantum ad materiam, cui forma communicatur: & totum, quod ex materia, & forma reſultat; in quo ſenſu effectus formæ à materia dependet. Cæterum in conſideratione iſta non eſt intimior formæ, quam principalis operatio. Nam operatio principalis convenit formæ in quocumque ſtatu ſit, & procedit à primario conceptu formæ, à quo tamen non provenit materia, nec totum, quod ex materia, & forma reſultat.

Ad conſ. reſp. Quod, ut homo per generationem alium hominem producat, non requiritur, quod formam, vel materiam producat; ſed ſatis eſt, quod formam uniat cum materia. Sicut qui parietem facit album, non producit lutum, albedinem, nec materiam lapidis; ſed ſolum albedinem cum luto, & lapidibus unit.

Inſt. Homo per generationem ponit ultimam diſpoſitionem ad animam rationalem: ergo animam rationalem producit. Ideò namque ignis alterum ignem producit: quia ponit ultimam diſpoſitionem ad ipſum.

Reſp. Hominem ponere ultimam diſpoſitionem ad animam rationalem; non tamen quantum ad eſſe, ſed ſolum quantum ad in eſſe, & unionem cum ſubjecto. Quia anima rationalis non requirit diſpoſitiones, ut abſolutè ſit, ſed tantum ut uniantur cum materia: in igne verò alia ratio militat. Quia forma ignis eſt materialis, & ideò in eſſe dependet à materia. Conſequenterque qui ponit ultimam diſpoſitionem, ut talis forma ſit in materia, ponit etiam ultimam diſpoſitionem ad eſſe formæ, & ad ipſam producendam. Anima autem rationalis ſpiritualis eſt, & per ſe ſubſiſtens. Et ita à ſolo Deo debet produci: & qui generat ſolum ponit diſpoſitiones ad illam uniendam.

Dices: Quia homo non poteſt producere divinam eſſentiam,

tiam, non poteſt etiam ponere unionem eſſentiæ Divinæ cum intellectu creato, nec ultimam diſpoſitionem ad unionem iſtam, quod eſt lumen gloriæ: ergò ſi homo animam rationalem producere non valet, nec etiam poterit producere ultimam diſpoſitionem ad animam rationalem uniendam.

Dices ſecundo: Anima rationalis non producitur à Deo: ergo produci debet ab homine generante. Prob. ant. Si Deus produceret animam rationalem, non produceret illam extra materiam, ſed in ipſa materia, & cum materia de facto unitam. Sed hoc dicendum non eſt. Aliàs homo animam rationalem non uniret cum materia: ergò anima rationalis non producitur à Deo.

Reſp. ad 1. inſt. Non ideò præciſsè hominem non poſſe ponere unionem eſſentiæ cum intellectu creato, & ultimam diſpoſitionem ad illam: quia non poſsit producere eſſentiam. Sed quia eſſentia, & illius unio ſunt in ordine diverſo, & altiſſimo ad quem pertingere non poteſt intellectus creatus. Et propterea non poteſt intellectus ponere ultimam diſpoſitionem ad unionem eſſentiæ cum intellectu creato. Oppoſitum autem, ut conſtat, in anima rationali contingit.

Ad ſecundam inſt. reſpond. Deum pro priori quo creat animam rationalem, illam producere in materia negativè, ideſt non extra materiam: non tamen producere illam in materia poſitivè, ideſt unitam, & conjunctam cum materia tanquam illius ſubjecto; ſed hoc facit Deus pro alio poſteriori, pro quo ſimul cum cauſa ſecunda unit, & conjungit poſsitivè animam rationalem cum materia.

§. Ultimus.

Ultimum argumentum ſolvitur.

ULtimo arguitur argumento difficili contra noſtram concluſionem. Quia homo per generationem produ-cere poteſt animam rationalem: ergò anima rationalis educibilis eſt de potentia materiæ. Prob. antec. Anima rationalis non excedit hominem in ratione generantis: ergò homo per generationem poteſt producere animam rationalem. Prob. antec. Forma hominis generantis adæquat animam rationalem geniti. Siquidem forma hominis generantis eſt etiam alia anima rationalis: ergò anima rationalis non excedit hominem in ratione generantis.

Reſp. Animam rationalem generantis entitativè adæqua-

re animam geniti; non tamen in ratione cauſæ, & effectus. Eo quod anima rationalis eſt forma per ſe ſubſiſtens. Et ita ratione effectus excedit virtutem cujuſcumque creaturæ. Inſtantia eſt in homine juſto, qui conſtituitur in ratione talis per gratiam habitualem. Et tamen non poteſt principaliter aliam gratiam habitualem producere.

Sed inſt. Ideò forma generantis non adæquaret animam rationalem in ratione cauſæ, & effectus: quia agit mediante ſemine corporeo. Sed hoc non tollit adæquationem: ergò illam adæquat in ratione cauſæ, & effectus. Prob. min. Virtus corporea ut ſubordinata animæ rationali generantis poteſt producere aliam animam rationalem: ergò operari mediante ſemine corporeo, non tollit adæquationem prædictam. Prob. antec. Accidens ut ſubordinatum ſubſtantiæ poteſt producere ſubſtantiam, quamvis accidens ſecundum ſe non poſsit ſubſtantiam producere. Et phantaſma materiale ſubordinatum intellectui agenti ſpeciem intelligibilem ſpiritualem producit: & ipſa phantaſia ſubordinata intellectui circa ſingularia diſcurrit, & poteſt in probabili ſententia facere entia rationis. Et virtus ipſa corporea ſeminis producit modum ſpiritualem, quem probabilis ſententia admittit inter materiam, & formam: ergò virtus etiam corporea ut ſubordinata animæ rationali generantis poteſt producere aliam animam rationalem.

Reſp. tamen. Virtutem corpoream non poſſe ſubordinari animæ rationali formaliter, ut talis eſt. Quia virtus corporea non eſt formaliter virtus animæ rationalis. Eo quod anima rationalis, ut intellectiva, & ſpiritualis eſt, non eſt operativa ad extra per actiones immanentes intelligendi, & amandi, & ita ſemen corporeum tantum ſubordinatur animæ in quantum eſt eminenter formaliter ſenſitiva; non tamen quatenus rationalis eſt. Rurſus etiam anima formaliter ut ſpiritualis non poteſt uti organo corporali. Et ideò non poteſt mediante ſemine corporali producere aliam animam rationalem.

Ex quo conſtat ad exempla. Quia accidens eſt virtus ſubſtantiæ formaliter ut talis. Et ideò ipſi ſubſtantiæ ut tali ſubordinatur. Et conſequenter in virtute ſubſtantiæ, cui ſubordinatur, poteſt producere aliam ſubſtantiam. Phantaſma autem non ſubordinatur intellectui agenti tanquam potentia, ſeu virtus operativa intellectus agentis; ſed tanquam obiectum, vel ſubiectum illuſtratum,

&

& perfectum per virtutem intellectus agentis: quæ ſubordinatio ſatis eſt, ut aliquid ſpirituale imperfectum, qualis eſt ſpecies intelligibilis, producere poſsit. Et cogitativa non ſubordinatur etiam intellectui tanquam virtus, vel organum illius, ſed ſolum ſicut potentia imperfecta conjuncta ſuperiori potentiæ: quæ etiam ſubordinatio ſufficit, ut aliquid ſpirituale imperfectum producere poſsit. Virtus etiam ſeminis ſolum ſubordinatur animæ ſenſitivæ: hæc tamen ſubordinatio ſatis eſt, ut modum ſpiritualem imperfectum inter materiam, & formam producere poſsit.

Sed inſt. Quamvis phantaſma, & potentia cogitativa ſint aliquid materiale; poſſunt tamen ſubordinari intellectui formaliter ut ſpiritualis eſt: ergò etiam virtus corporea poterit ſubordinari animæ ut rationali, & ſpirituali formaliter. Conſeq. à paritate bona videtur.

2. inſt. Virtus corporea ſeminis ex parte termini attingit animam ut intellectivam formaliter: ergò etiam ex parte principij agit in virtute animæ ut intellectivæ, & illi ſubordinatur. Prob. ant. Virtus corporea ſeminis producit hominem, ut homo eſt. Sed homo conſtituitur in ratione talis per animam ut intellectivam formaliter: ergò virtus corporea ſeminis attingit ex parte termini animam ut intellectivam formaliter.

Reſp. ad 1. repl. neg. conſeq. ratioque diſcriminis eſt. Quia virtus corporea ſubordinari non poteſt animæ, niſi per modum principij proximi, vel virtutis inſtrumentariæ, qua mediante anima operatur: virtus verò inſtrumentaria cum principio radicali proportionari debet. Cumque virtus corporea proportionata non ſit cum anima ut rationali: & quia non eſt ad extra operativa: & quia rationalis, & intellectiva eſt ſupra corpus in agendo formaliter elevata. Indè fit virtutem corpoream animæ ut rationali non poſſe ſubordinari. Phantaſma verò ſubordinatur intellectui, ſicut ſubjectum perfectibile per virtutem ab intellectu derivatam, & ſicut inſtrumentum cauſæ principali. Et phantaſia ſubordinatur intellectui, ſicut potentia inferior ad potentiam ſuperiorem. Et ita ſimilem proportionem non requirunt.

Ad 2. Virtutem corpoream attingere ex parte termini animam ut rationalem, & intellectivam ſpecificativè, non tamen reduplicativè ut talem. Quia anima ut intellectiva formaliter

litèr non eſt terminus formalis: nec etiam eſt principium generationis, ſed ſolum anima eſt terminus generationis quatenùs eſt actus corporis, & hoc modo eſt etiam generationis principium.

Dices: ergò non producitur homo, ut homo eſt per generationem. Nam homo, ut homo per animam ut rationalem conſtituitur.

Neg. conſeq. Quia homo ut homo non conſtituitur per animam rationalem ſecundum ſe; ſed per ipſam, ut eſt actus corporis. Et cum per generationem attingatur anima ut actus corporis eſt. Indè fit, quod homo ut homo per generationem producitur.

Sed inſt. Homo genitus procedit per generationem formalitèr, ut intellectivus, & ut rationalis eſt: ergò virtus corporea ſeminis attingit animam reduplicativè ut talem.

Reſpondebis. Hominem per generationem procedere formalitèr ut rationalem, & intellectivum, ex parte rationis *quæ*; non tamen ex parte rationis *ſub qua*.

Contra tamen eſt. Quia ſi homo ex parte rationis *ſub qua* non procedit ut intellectivus formalitèr, ſed ſolum ex parte rationis *quæ*, non communicabitur illi natura ut intellectiva formalitèr: ergò non procedit ut filius ſecundum quod rationalis.

Reſp. neg. conſeq. Quia, ut homo procedat ut filius, ſufficit, quod natura rationalis communicetur illi formalitèr ex parte rationis *quæ*.

Sed inſt. Quia Spiritui Sancto ſolum ex parte rationis *quæ*, communicatur Divina natura, propterea Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis non procedit ut Filius formalitèr: ergò ſi homini genito ſolum ex parte rationis *qua* communicatur natura ut rationalis, & intellectiva, homo genitus non procedit ut filius ſecundum quod rationalis.

Reſpond. explicando cauſalem. Natura identicè, & concomitantèr: concedo cauſalem. Natura formalitèr ex parte rationis *quæ*: nego cauſalem antecedentis, & conſequentiam illatam. Quia Spiritui Sancto ſolum identicè communicatur natura Divina proptèr identitatem realem, quam habet cum impulſu, qui eſt terminus formalis proceſſionis. Homini verò genito formalitèr ex parte rationis *quæ* communicatur natura rationalis. Eo quod homo generans ponit ultimam diſpoſitionem ad unionem animæ rationalis, quatenùs rationalis eſt. Et ideò ex parte rationis

qua

quæ unitæ attingit formaliter animam ut rationalem. Ac proindè homo genitus procedit ut filius ſecundum quod rationalis eſt.

Ex dictis in artic. Diſcurſu colligitur diſpoſitiones materiales poſitas ab agente naturali eſſe proportionatas cum anima rationali. Quia licèt anima rationalis ſit ſpiritualis ut quod, ut quo tamen corporea eſt. Eo quod eſt actus corporis, & per ſe ad totum materiale componendum ordinata.

2. collig Quod qui ponit ultimam diſpoſitionem ad gratiam, non facit ſanctum, & gratum. Quia effectivè non unit gratiam ipſam cum anima. Eo quod accidentis eſſe eſt in eſſe. Et ita qui uniret effectivè gratiam cum ſubiecto, produceret ipſam gratiam. Quod implicat. Nam gratia à ſolo Deo producibilis eſt. Qui verò ponit ultimam diſpoſitionem ad unionem animæ rationalis unit ipſam effectivè cum materia. In anima namque rationali aliud eſt eſſe, & aliud eſſe in materia: primum fit à Deo, ſecundum ab homine generante, & ultimam diſpoſitionem ponente, qua materia ultimo ad unionem præparatur.

ARTICULUS II.

Utrùm formæ Cœlorum potuerint educi.

§. I.

Statuitur prima Concluſio:

Formæ Cœlorum, & elementorum de facto non fuerunt eductæ.

CONcluſionem iſtam probat illud Geneſis cap. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram.* Quod convincit formas Cœlorum, & elementorum non eſſe factas per eductionem ex præſuppoſito ſubiecto, ſed potiùs creatas, & de nihilo productas. Quod confirmat Clem. unica de ſummâ Trinit. in qua dicitur Deum utramque de nihilo condidiſſe creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicèt, & mundanam.

Eandem doctrinam tradit Ang. Doct. 1. *p. q.* 65. *art.* 5. & 65. *artic.* 4. & 2. Contr. *cap* 43. & in Compendio Theologiæ, *cap* 95. per ea verba: *Manifeſtum eſt autem quod corporea cœleſtia non poſſunt produci in eſſe, niſi per creationem. Non enim poteſt dici quod ex materia aliquia præjacente ſint facta.*

Ratione autem concluſio noſtra prob. Totum compoſi-

tum Cœli v.g. (& idem de elementis dicendum) fuit productum per creationem. Sed eo ipſo forma Cœli, & elementi fuit per creationem producta; ergò formæ Cœlorum, & elementorum fuerunt de facto creatæ. Prob. min. Si actio productiva totiùs fuit creatio, materia, & forma ſimul ſumptæ fuerunt creatæ. Quia totum aliud non eſt præter materiam, & formam ſimul ſumptas, & unitas. Sed ſi materia, & forma ut unitæ, & ſimul ſumptæ, fuerunt per creationem productæ, etiam entitas formæ fuit facta per creationem: ergò forma Cœli, & elementi fuit per creationem producta. Prob. min. Si materia, & forma ut unitæ, & ſimul ſumptæ fuerunt per creationem productæ, actio productiva earum non præſupponebat aliam actionem præcedentem terminatam ad illarum entitates. Aliàs actio, quæ produceret materiam, & formam, ut unitas, & conjunctas, non eſſet productio illarum ex nihilo. Siquidem illarum entitates ſupponeret ut aliam actionem terminantes. Et conſequentèr non eſſet creatio: ergò ſi materia, & forma unitæ, & ſimul ſumptæ fuerunt factæ per creationem etiam. entitas illarum fuit per creationem producta.

Conf. Quotieſcumque aliquod totum per creationem producitur, per creationem etiam producuntur ejus partes. Eo quod ſi totum creatur, partes non præſupponuntur antecedentèr productæ. Aliàs totum non poſſet per creationem produci. Et quando partes non præſupponuntur factæ, fiunt per actionem totiùs. Nam totum ſine partibus non eſt. Sed totum Cœli, & elementi fuit per creationem productum, ſicut ſcriptura teſtatur, ut videmus. Et in 2. Machac. cap. 7. dicitur Cœlum, & terram de nihilo fuiſſe producta: ergò forma Cœli, & elementi non fuit educta de potentia materiæ, ſed per creationem facta.

Conf. 2. Eadem actione produxit Deus materiam, & formam tàm Cœli, quàm elementi. Sed talis actio non fuit eductio. Quando quidem erat creatio productiva materiæ de nihilo. Et eadem actio nequit eſſe eductiva, & creativa: ergò forma Cœli non fuit educta. Prob. maj. Deus ſe ſolo producens Cœlum, & elementum fruſtra multiplicaret actiones, ſi eadem actione poſſet producere omnes partes. Sed Deus eadem actione potuit producere materiam, & formam, & in prima rerum productione nihil fruſtra egit: ergò eadem actione produxit materiam, & formam ſimul.

Reſp.

Reſp. ad conſ. iſtam. Deum ſruſtra non operaſſe actiones multiplicando, creando per unam actionem materiam, & per aliam educendo formam. Quia operabatur juxta rerum naturam, & illarum exigentiam: & forma Cœli, & elementi ex propria natura exigebat per eductionem produci: eo quod forma materialis eſt, & à materia dependet in eſſe.

Sed contra eſt. Quia forma Cœli, & elementi ſolum exigit per eductionem produci ab illo agente, qui ut formam producat, debet neceſſario ſuppenere productam materiam, ut ita formam producat ex præſuppoſito ſubiecto. Sed Deus quando ſe ſolo operatur, non habet neceſsitatem præſupponendi materiam, ut ex illa educat formam: ergò forma Cœli, & elementi non exigit per eductionem à Deo primo operante produci.

Eandem doctrinam facta ſuadent, quæ in ſcriptura continentur. Quia in homine pueritia, & adoleſcentia antecedunt virilitatem: & in plantis virgulta antecedunt arbores, & ſemina parva fructus. Et tamen Deus in principio hominem in perfecta ætate produxit: & arbores cum fructibus fecit: ergò ex quo aliqua res exigat connaturalitèr fieri ſpeciali aliquo modo per actionem naturalis agentis non infertur indè eodem modo etiã exigere produci per actionem Dei primo operantis. Quod etiam conſtat. Ex eo quod forma petit fieri per actionem naturalis agentis ex materia antecedentèr diſpoſita: & tamen Deus in contrariorum ſententia formam Cœli ex materia non diſpoſita produxit. Alia autem ex argumentorum ſolutione conſtabunt.

§. II.

Solvuntur argumenta.

COntra concl. iſtam arg. 1. auct. D. Th. opuſc 42. cap. 15. ubi loquens de prima productione corporis cœleſtis hæc verba ſubjungit. *Corpus cœleſte conſequutum eſt per eductionem ſuæ formæ de potentia propriæ materiæ, nullo motu locali, vel alteratione præcedente eſſentialitèr: ergò natura corporis ſequitur eductionem formæ corporalis de potentia materiæ*: ergò forma Cœli fuit educta de potentia materiæ.

Reſp. 1. opuſc. Illum non eſſe D. Th. ut ſtilus ejus demonſtrat, & propterea juſſu Pij V. fuiſſe minoribus caracteribus impreſſum, ut diſtinguatur à legitimis operibus D Thom.

2. reſp. cum Rmo. à S. Th. eductionem dupliciter ſumi. Uno modo ſtrictè pro eductione formæ de potentia materiæ

per actionem antecedentem productæ. Alio quidem modo latè materialitèr, & terminativè pro productione videlicèt formæ, quæ in ſuo eſſe à materia dependet: & modo prædicto ſumi eductionem formæ in opuſc. D. Th. Quod conſtat ex his, quæ ibi dixerat, videlicèt: *Cœlum non eſſe genitum, ſed per ſimplicem emanationem à Deo tantum proceſſiſſe.* Et poſt verba in argumento relata ſequentia ſubjungit: *Nec hoc adhuc eſt, quia educitur; ſed quia fit unum ex materia, & forma educta.* Et hoc confirmat doctrina qua in proprijs locis affirmat oppoſitum D. Th. Conſtat ergò ibi tantum de eductione latè ſumpta fieri ſermonem, & ſenſum.

2. Arg. Formæ Cœlorum, & elementorum dependent in fieri à materia, & de facto ſic dependebant: ergò fuerunt eductæ. Prob. antec. 1. Formæ Cœlorum, & elementorum dependent in eſſe, & operari à materia: ergò ab illa dependent in fieri. Quia fieri eſt via ad eſſe, & cum illo proportionatur. Et conſequentèr, ſi dependent in eſſe, dependebunt in fieri.

2. Formæ Cœlorum, & elementorum dependent in conſervari à materia: ergò ab illa dependent in fieri. Quia conſervatio eſt continuata productio, ac proindè, ſi dependent in conſervari, etiam in fieri, & in produci dependent.

3. Ex dependentia in eſſe, & operari benè infertur dependentia in produci, & fieri. Sed formæ Cœlorum dependent in eſſe, & operari: ergò dependent in fieri. Prob. maj. Ex independentia in eſſe, & operari benè infertur independentia in fieri: ergò ex dependentia in eſſe, & operari benè infertur dependentia in fieri. Quia ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis: & ideò ſi ex independentia in eſſe infertur independentia in fieri, ab oppoſito ex dependentia in eſſe infertur dependentia in fieri. Ant. verò conſtat in anima rationali, quam probavimus non dependere in fieri à materia. Quia in eſſe, & operari non dependet ab illa.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. neg. conſ. Quia eductio eſt actio, quæ terminatur ad formam educendam de potentia materiæ. Et ita requirit, quod materia ſe habeat aliquo modo ex parte termini à quo comparativè ad formam. Quod tamen fieri non valet niſi materia ſupponatur priùs per aliam actionem producta. Cumque in prima rerum productione materia, & forma connaturalitèr debeant per eandem actionem produci, propter ea, quibus concluſionem probavimus. Indè fit formam Cœli in prima rerum productione non dependere in

ſuo

ſuo fieri à materia. Nec quantum ad hoc ſervandam eſſe proportionem inter eſſe, & fieri, ſed ſolùm quantum ad alia, quatenùs videlicèt utrumque materiale eſt, & connaturalitèr non datur ſine materia.

Ad 2. prob. reſp. diſt. conſ. In fieri ex parte formæ productæ: conc. conſ. Ex parte formæ, & actionis producentis: neg. conſ. Ex quo enim formæ Cœlorum: & elementorum ſine materia conſervari non poſsint, ſed à materia in conſervari dependeant, ſolum infertur, quod dependeant in fieri ex parte formæ productæ, quod ita contingit. Quia forma non poteſt niſi in materia naturalitèr produci. Non tamen infertur formam dependere in fieri ex parte formæ, & actionis producentis Eo quod actio productiva formæ non præſupponit actionem productivam materiæ, quod erat neceſſarium ad veram dependentiam in fieri.

Dices: Conſervatio eſt continuata productio: ergò ſi verum eſt formam Cœli dependere in conſervari, etiam dependebit in fieri.

Reſp. claritatis gratia, diſt. conſ. In conſervari ratione formæ & actionis: conc. conſ. Ratione ſolius formæ: neg. conſ. Forma namque Cœli ſolum dependet in conſervari ratione ſui, quatenùs eſt forma materialis, quæ ſine materia naturalitèr eſſe non valet. Non tamen dependet ratione ſui, & actionis conſervantis. Nam actio conſervativa non exercetur dependentèr ab actione conſervante materiam, ſed eadem actio formalitèr produxit utramque, & eadem utramque conſervat. Et quando dicitur, conſervationem eſſe continuatam productionem, fit ſermo de conſervatione activa, vel de actione conſervante, quæ non poteſt formaliter dependere ab actione conſervante matetiam, niſi etiam actio productiva formæ dependeat ab actione materiam producente. Inſtantia invenitur in Intellectu, & voluntate Angeli, & in ſubſtantia, & exiſtentia, quæ ratione ſui dependent in conſervari à ſubſtantia Angeli, ſine qua ſaltim naturaliter eſſe non poſſunt. Et tamen non dependent in fieri. Siquidem eadem actio creativa Angeli, intellectum, & voluntatem, ſubſiſtentiam illius, & exiſtentiam creavit.

Ad 2. prob. ant. princ. neg. maj. & ad prob. neg. conſ. Quia forma, quæ non dependet in eſſe, excedit capacitatem materiæ. Et ita non continetur in potentia ipſius. Conſequenterque de potentia materiæ non poteſt educi. Forma verò, quæ dependet in eſſe, poteſt produci per eandem actionem produc-

tivam materiæ. Et ideò poteſt in fieri non dependere, ſed ab ipſo Deo produci per actionem à materia independentem.

Dices: Deus ſupplere non poteſt concurſum materiæ continentis in potentia ſua formam producendam: ergò non poteſt producere formam per actionem à materia independentem.

Ad prob. verò diſt. ant. Concurſum materiæ executivè: conc. ant. Æquivalentèr: neg. antec. & conſ. Deus namque non poteſt ſupplere concurſum materiæ exercendo munus cauſæ materialis; poteſt tamen ſupplere concurſum materiæ æquivalentèr, id eſt poteſt præſtare concurſũ, in cujus præſentia cõcurſus materiæ neceſſarius non eſt.

Ad prob. verò in 3. prob. ant. contentam: reſp. Quod illud axioma intelligendum eſt, quando affirmatio, & negatio ſunt cauſæ adæquate; non tamen quando affirmatio, vel negatio ſolùm eſt cauſa ſufficiens. Et non dependere in eſſe eſt cauſa ſufficiens, ut forma non dependeat in fieri; non tamen cauſa adæquata. Quia quamvis forma dependeat in eſſe non dependebit in fieri, ſi materia, & forma per eandem actionem fiant. Undè benè valet, non dependent in eſſe: ergò non dependent in fieri, ut conſtat in anima rationalis non tamen valet, dependent in eſſe: ergò dependent in fieri. Sicut benè valet, non eſt animal: ergò non eſt homo: non tamen valet, eſt animal: ergò homo. Quia non eſſe animal eſt cauſa ſufficiens, ut aliquid non ſit homo, non tamen cauſa adæquata. Eo quod licèt ſit animal, ſi non eſt rationale, non erit homo.

3. Arg. Formæ Cœlorum, & elementorum ex natura ſua petunt educi de potentia materiæ: ergò de facto fuerunt eductæ. Patet conſeq. Quia Deus in operando ſe conformat cum rerum natura, & illarum exigentia. Ant. prob. Formæ Cœlorum, & elementorum ſunt formæ materiales: ergò ex natura ſua petunt educi.

Reſp. Formam materialem ex natura ſua eſſe educibilem, quando producitur ab agente naturali per actionem præſupponentem materiam antecedentèr productam; non tamen quando producitur à ſolo Deo producente materiam, & formã ſine agente naturali, ut in prima rerũ productione: in quo eventu exigentia formæ ſubordinatur modo proprio operandi Dei. Et ita non petit educi, ſed produci per eandem actionem, qua producitur materia. Quia Deus ſe ſolo agens per eandem actionem poteſt materiam, & formam producere. Et hoc modo utramque producere debet,

ne multiplicèt actiones fruſtra, & abſque illa neceſsitate. Sicut Deus quando ſe ſolo operatur, non diſponit materiam per unam actionem antecedentem, & per alteram producit formam, ſed potiùs formam de materia non diſpoſita producit, & oppoſitum fruſtra faceret.

Sed inſt. Deus ſe ſolo produxit volucres, & plantas. Et tamen non fecit eas per creationem, ſed per eductionem: ſicut etiam Adamum non per creationem produxit: ergò quamvis Deus ſe ſolo producat materiam, & formam elementorum, non debet formam per creationem producere.

Secundò inſtabis. Deus ſe ſolo produxit ſubſtantiam Angelorum, & illis gratiam juſtificantem infundit. Et tamen gratia fuit per eductionem producta in communiri ſententia 1. p. q. 62. artic. 2. ergò idem quod priùs.

Reſpondetur ad primam inſtantiam. Quod ante volucres, & plantas præexiſtebat materia, ex qua poterat Deus prædictas educere. Et ideò, ne Deus fruſtra de novo materiam produceret, debuit ex materia præexiſtenti eorum formas educere. Quando verò Cœlos, & elementa produxit, non præexiſtebat materia antecedentèr producta. Et ita Deus per eandem actionem debuit formam, & materiam producere. Et conſequentèr utramque creare.

Ad 2. Quod gratia, utpotè forma ſupernaturalis, exigit ſupernaturalem actionem. Et ita petit fieri per actionem diſtinctam ab actione producente ſubſtantiam naturalem. Conſequentèrque petit ſubſtantiam naturalem productam ſupponere, & de potentia illius educi. Formæ verò Cœlorum, & elementorum in prima productione non exigebant ſupponere materiam productam, ſed potiùs per eandem actionem cum materia ſimul exigebant produci.

4 Arg. In prima productione Cœlorum per diverſam actionem produxit Deus materiam, & formam: ergò formam non eduxit. Prob. antec. Modo perſeverat actio productiva materiæ. Quia conſervatio eſt continuata productio: & ita eadem actione, qua Deus produxit materiam, conſervat materiam modo. Conſequentèrque actio productiva materiæ modo perſeverat. Et tamen actio productiva formæ non perſeverat modo: ergò per diverſam actionem utramque produxit. Minor prob. Formæ primæ elementorum non perſeverant modo. Quia ſunt formæ corruptibiles, & ſaltim quantum ad plures partes manent ſubſtantialitèr tranſmutatæ: ergò non perſeverat modo actio productiva.

Reſ-

Reſpondetur negando antec. ad probationem diſtinguo minor. Non perſeverat, ut ad formam terminata: conc. min. Ut terminata ad materiam: nego minor. & conſequent. Eadem namque actio, qua Deus à principio materiam, & formam produxit, perſeverat modo: non quidem completa, & ut terminata ad utramque, ſed incompleta, ut ad materiam terminata. Sicut, ſi Deus ab initio creaſſet equum, modo perſeveraret actio divina, non quidem completa, & ut terminata ad totum, ſed incompletè ſumpta, & ad materiam terminata.

Sed inſt. Deſtructa forma perſeverare non poteſt actio illius productiva etiam incompletè ſumpta: ergò talis actio in prædicta conſideratione non manet. Prob. ant. Deſtructo termino primario actionis non poteſt actio ullo modo perſeverare. Eo quod actio eſt in ordine ad terminum primarium. Sed deſtructa forma non manet terminus primarius actionis. Nam terminus primarius erat totum compoſitum elementi. Et totum compoſitum non manet forma deſtructa: ergò deſtructa forma perſeverare non poteſt actio productiva illius.

Reſpond. Actionem dependentem, & ſpecificatam à termino primario perſeverare non poſſe termino primario deſtructo; ſecus verò actionem independentem, & non ſpecificatam à termino: & talis eſt actio, qua Deus Cœlos, & elementa produxit, quæ non ſpecificatur à termino producto primario. Et ita illo deſtructo perſeverare poteſt.

§. III.

Statuitur ſecunda Concluſio.

Formæ Cœlorum, & elementorum de potentia abſoluta potuerunt educi.

PRob. concl. iſta. Quia Deus facere poteſt, quod non implicat contradictionem: ſed formas Cœlorum, & elementorum educi de potentia materiæ contradictionem non implicat: ergò formæ prædictæ potuerunt educi. Prob. min. Non implicat contradictionem in eodem inſtanti reali, pro aliquo priori producere materiam, & pro alio poſteriori educere formam: ergò min. vera eſt. Probatur antec. ratione, & exemplo. Ratione quidem. Quia materia pro illo priori intelligitur cum actualitate ſufficienti, ut de illius potentia educatur forma: ergò poteſt Deus pro priori producere materiam, & pro alio poſteriori educere formam. Probatur ant. Ut materia exerceat cauſalitatem materialem,

non

non requiritur, quod intelligatur exiſtens, neque completè producta; ſed ſatis eſt, quod intelligatur in via ad habendam exiſtentiam. Quod quidem conſtat ex differentia, quam aſſignant Philoſophi inter cauſam efficientem, & materialem. Quia cauſa efficiens, ut cauſet, debet intelligi cum exiſtentia; cauſa verò materialis ſatis eſt, quod intelligatur in via ad habendam exiſtentiam. Sed materia pro illo priori ſic intelligitur: ergò intelligitur pro illo priori cum actualitate ſufficienti, ut de illius potentia educatur forma.

Exemplo autem probatur art: Quia in eodem inſtanti reali, in quo Deus ſubſtantiam Angeli produxit, largitus eſt illi gratiam, educendo illam de potentia naturæ Angelicæ, ut communiter docent Thomiſtæ cum D. Aug. & D. Thom. 1. p. q. 62. artic. 3. ergò poterit ſimiliter Deus in eodem inſtanti reali, pro uno priori producere materiam, & pro alio poſteriori educere formam.

Addimus. Quod in frequentiori ſententia quando vermis generatur ex ſpeciebus Sacramentalibus, in eodem inſtanti reali, vel creatur materia, vel quantitas in materia convertitur, & pro alio poſteriori educitur forma: ergò idem poterit in præſenti contingere. Nec vera ſi, ut effectus fiat cum dependentia à cauſa efficiente, ſufficit præcedentia naturæ, ſicut ſol tantum prioritate naturæ antecedit illuminationem. Et intellectus Angeli ſuam operationem; eadem præcedentia naturæ ſufficiens erit, ut forma fiat dependenter à materia, & de potentia ipſius verè, & realiter educatur.

§. IV.

Argumentis occurritur.

COntra concluſ. iſtam arg.

Materia non poteſt terminare actionem diverſam ab actione productiva formæ; ſed materia ſolum poteſt creari: ergò forma non poteſt educi. Prob. maj. Omnis actio tendit ad ponendum terminum ſub exiſtentia. Sed materia ſe ſola capax exiſtentiæ non eſt: ergò non poteſt terminare actionem diverſam ab actione productiva formæ.

Conf. Cœlum eſt incorruptibile. Et conſequenter debet eſſe ingenerabile: ergò forma Cœli ſolum poterit per creationem produci.

Reſp. diſt. maj. Diverſam actionem completam: conc. maj. Incompletam: neg. maj. Et ad prob. diſt. maj. Completè, vel incompletè: conc. maj. Completè determinatè: neg. maj. Actio namque juxta qualitatem ſui

ſui ipſius tendit ad communicandam exiſtentiam. Actio quidem completa, ad communicandam exiſtentiam completè, & in facto eſſe. Actio autem incompleta tendit ad communicandam exiſtentiam incompletè, vialitèr, & in fieri, & mediante altera actione, per quam ipſa ultimo determinatur, & completur. Cumque materia pro priori ad formam poſsit exiſtere incompletè, & vialitèr. Indè fit, quod poſsit etiam pro illo priori actionem incompletam terminare diverſam ab actione productiva formæ. Inſtantia eſt in quacumq; generatione ſubſtantiali, in qua pro priori ad formam ſupponitur materia conſervata per actionem diſtinctam, ab actione per quam de novo forma producitur.

Ad conf. diſting. anteced. Incorruptibilitate proveniente ex independentia formæ à materia: neg. antec. Ex quo materia per fotmam ſatiatur: conced. antec. & neg. conſeq. Cœlum namque eſt incorruptibile. Quia forma Cœli totalitèr, & adequatè faciat capacitatem materiæ; non tamen Cœlum eſt incorruptibile. Quia forma ejus non dependeat à materia. Et hoc erat neceſſarium, ut forma non poſſet educi, & Cœlum non eſſet generabile, quod videlicèt forma Cœli à materia non dependeret.

Secundo arguitur fundamento contrariorum. Quia ad eductionem requiritur materiam præcedere formam in aliquo inſtanti reali temporis. Sed materia Cœlorum non potuit in aliquo inſtanti reali temporis præcedere formam. Aliàs pro aliquo inſtanti reali præceſſiſſet ſine forma: ergò Deus formas Cœlorum non potuit educere de potentia materiæ. Prob. mai. Ad eductionem requiritur tranſmutatio materiæ. Sed tranſmutatio dari non poteſt, niſi materia præcedat formam pro aliquo inſtanti reali temporis: ergò talis præcedentia ad eductionem requiritur. Prob. min. Ad tranſmutationem neceſſarium eſt, quod materia præcedat cum privatione formæ. Sed, ut materia præcedat cum privatione formæ requiritur etiam quod præcedat pro aliquo inſtanti reali temporis. Aliàs materia pro eodem inſtanti reali temporis haberet formam; & illius privationem: ergò ad tranſmutationem requiritur præcedere formam temporis præcedentia.

Reſp. ad arg. neg. mai. ad ejus prob. neg. min. & ad prob. diſt. mai. Cum privatione mutationi proportionata: conced. mai. Non proportionata mutationi: neg. mai. & diſt. min. Cum privatione rigoroſa: conc. min. Cum privatione lata: neg. min.

min. & conſeq. Privatio namque cum mutatione proportionari debet. Mutatio verò alia eſt riguroſa, quæ regulariter contingit, ut quando per virtutem naturalis agentis materia per alterationem diſponitur, & ex illa jam diſpoſita per aliam actionem educitur forma, quæ mutatio veram, & riguroſam privationem requirit. Et ita, ut materia talem induat mutationem, debet etiam priori temporis formam præcedere, ne pro uno, & eodem inſtanti reali temporis ſit materia cum forma, & cum vera privatione. Quod eſſentialiter implicat. Alia autem eſt mutatio lata, quando videlicet pro uno priori producitur materia, & pro alio poſteriori in eodem inſtanti reali per aliam actionem producitur forma. Et talis mutatio veram privationem non includit, ſed ſolum privationem latam, quæ præcedentiam temporis in materia non requirit.

Sed inſtabis. Ex prædicta ſolutione ſequitur aliquam privationem eſſe ſimul cum forma in eodem inſtanti reali. Sed implicat aliquam privationem eſſe cum forma ſimul in eodem inſtanti reali. Sicut implicat corpus eſſe ſimul lucidum, & tenebroſum: & hominem eſſe cæcum, & videntem: ergò ſolutio data nulla eſt.

Reſpondetur diſtinguo minor. Aliquam privationem ſtrictam: conc. min. Latam: neg. min. & conſeq. Privatio namque eſt duplex: alia videlicet ſtricta, quæ facit ſubjectum eſſe in re ſine forma: & hæc privatio cum forma eſſe non poteſt. Alia eſt privatio lata, quæ ſolum facit, quod ſubjectum pro aliquo priori non intelligatur cum forma: quæ privatio compatibilis eſt cum forma pro eodem inſtanti reali, & ad eductionem miraculoſam ſufficiens.

Sed inſt. Ad eductionem requiritur riguroſa privatio. Nam ad omnem eductionem concurrere debent tria principia materia, forma, & privatio, quæ de privatione riguroſa intelligi debet. Et in oppoſitum non eſt aſſignabilis ratio. Sed privatio riguroſa in materia Cœli reperiri non potuit, ut concedimus: ergò forma non potuit educi.

2. inſt. Illa privatio lata, quam damus, eſt non eſſe formæ. Sed non eſſe formæ, & forma non poſſunt ſimul eſſe: ergò illa privatio non potuit eſſe in eodem inſtanti reali cum forma producta.

Reſpondetur ad primam inſtantiam. Privationem riguroſam tantum requiri ad eductionem regulariter contingentem; non tamen ad eductionem miraculoſam, qualis eſſet educ-

tio

ſtia formæ. Communè de potentia naturali, tùm privatio figuræ non neceſſariò notabit ad educi eandem connaturalem, dummodo miraculum præſupponat, ut conſtat in generatione, qua vermis ex ſpeciebus Sacramentalibus generatur.

Ad ſecundò, replicam negatur maj. Privatio non eſt, non eſſe formæ in re. Sed ſolum non intelligi ſubjectum cum forma pro aliquo priori à quo. Et quamvis impoſſibile ſit ſubjectum eſſe in re ſine forma, & ſimul eſſe cum illa. Aliàs darentur duæ contradictoriæ ſimul veræ. Impoſſibile tamen non eſt ſubjectum eſſe in re cum forma, & pro aliquo priori non intelligi cum illa, ſicut implicat notitiam intuitivam eſſe in re cum termino, & objecto præſenti, & non eſſe in re cum illo. Non tamen implicat eſſe cum illo in re, & pro aliquo priori non intelligi cum illo. Nam pro illo priori, quo Deus intuitivè cognoſcit objecta creata, non dum ipſa intelliguntur cum præſentia reali, & exercitè exiſtentia.

§. Ultimus.

Corollarium ex dictis.

EX dictis in art. diſc. collig. 1. Formas accidentales, quæ ſe habent ut proprietates, & paſſiones reſpectu naturæ, vel formæ, educi de potentia ſubjecti, ſi educatur forma, cujus ſunt proprietates. Si verò talis forma creetur, etiam iſtæ proprietates creantur, ſicut ſi aqua crearetur etiam frigiditas, quæ eſt ejus proprietas: & ſi ignis crearetur, etiam calor crearetur, qui eſt proprietas ignis. Quando verò regulariter forma ignis educitur, etiam coeducitur calor, & idem de omnibus proprietatibus, & paſſionibus. Cujus ratio eſt. Quia proprietates, & paſsiones ſiunt per eandem actionem, qua fit materia, & forma. Tùm quia, qui dat formam dat conſequentia ad formam. Tùm quia ſunt terminus ſecundarius actionis producentis naturam. Ac perindè per eandem actionem ſiunt. Et conſequentèr, ſi natura, vel forma creatur, etiam iſtæ creabuntur.

Secundo colligitur omnes aliàs formas accidentales artificiales ſcilicèt, vel violentas, vel naturales, & ſupernaturales educi de potentia ſubjecti. Cujus ea eſt ratio. Nam illæ formæ educuntur de potentia ſubjecti, quæ in eſſe, & fieri ab illo dependent. Sed omnes prædictæ formæ à ſubjecto in eſſe, & fieri dependent. Quia naturaliter loquendo ſine ſubjecto, nec exiſtere, nec conſervari poſſunt. Et aliàs ſiunt per diverſam actionem; ergò omnes for-

formæ productæ educuntur de potentia materiæ.

Dices: Quod gratia, & virtutes ſupernaturales creantur à Deo juxta illud *cor mundum crea in me Deus*, & in Tridentin. Seſsione 6. de Juſtific. cap. 7. diffinitur gratiam, & virtutes ſupernaturales à ſolo Deo infundi: ergo non educuntur de potentia ſubjecti prædictæ formæ.

Dices ſecundo. Nèc formæ ſupernaturales, nèc artificiales, nèc violentæ continentur in potentia ſubjecti: ergo de illius potentia educi non poſſunt. Conſeq. eſt bona, & ant. probat. Subjectum contentivum formæ dicit inclinationem naturalem ad illam. Sed ſubjectum inclinationem non habet ad virtutes, & formas ſupernaturales, & artificiales: ergo iſtæ formæ non continentur in potentia ſubjecti.

Reſp. ad 1. Gratiam, & virtutes ſupernaturales dici infuſſas à Deo: non quia creentur, ſed quia in creatis nullum eſt earum principium, ſed ſolum virtute divina poſſunt produci.

Etſi dicas: Subjectum eductionis formæ debet habere proportionem cum illa. Sed ſubjectum naturale cum forma ſupernaturali proportionem non habet: ergo forma ſupernaturalis de illius potentia educi non poteſt.

Reſpondetur: diſting. maj. Proportionem ſimilem continentiæ: conced. maj. Diſsimilem, & non accomodatam: neg. maj. Et diſt. min. ſub eadem diſt. neg. conſeq. Proportio namque debet eſſe ſimilis continentiæ. Cumque ſubjectum naturale ſolum contineat ſupernaturalem formam in potentia obedientiali, quæ conſiſtit in non repugnantia, & ſubjectione ad Deum, ut in eo, & ex eo faciat, quid volverit. Indè eſt quod ſolum proportionem non repugnantiæ requirit, quam proportionem ſubjectum, naturale cum ſupernaturali forma de facto habet.

Ad ſecundum reſpondetur: Negand. antec. Ad prob. diſting. maj. Contentivum ſecundum potentiam naturalem: conced. maj. Secundum obedientialem: nego maj. Et conc. minor. neg. conſequent. Licèt namque ſubjectum, in cuius potentia naturali aliquid continetur, dicat naturalem inclinationem ad illud, ſubjectum tamen, quod ſolum in potentia obedientiali continet formam, neceſſarium non eſt, quod dicat inclinationem ad illam; ſed ſufficit habere capacitatem, vel non repugnantiam, ut de illius potentia obedientiali educatur. Undè ad formas ſupernaturales, artificiales, & violentas non habet ſubjectum naturalem inclinationem. Quia in ejus potentia

naturali non continentur, ſed ſolum in potentia obediențiali, ex qua etiam educuntur. Et hæc de art. iſto in hoc lib. text. 80. & 81. ad Phyloſophum applicanda.

QUÆSTIO SEXTA.

De Compoſito.

ARTICULUS. I.

Vtrùm detur modus unionis, inter materiam, & formam realiter, ab utraque diſtinctus.

§. I.

Senſus difficultatis apperitur, & ſtatuitur negativa concluſio.

MAteriam, & formam realiter uniri, & ex illis ſic unitis compoſitum ſubſtantiale reſultare, ratio convincit, & experientia demonſtrat. An verò realitèr uniantur per ſe ipſas immediatè, & abſque aliquo modo ſuperaddito ad utranque, quo formaliter copulentur? Ita certum non eſt, ſed plurimi negant extra ſcholam D. Th. & ex Thomiſtis Illuſt. Godoy, Araujo, Herrera, & Patres venerandi Carmelitæ. Alij autem nullum modum neceſſarium eſſe cognoſcunt, ſicut Capteolus, Cayetanus, & Ferrara, & magis communiter noſtri. Et hanc ſententiam exiſtimo D. Th p. 1. q. 76. art. 7. & 8. & 1. 2. q. 110. art. 1. q. unica de Ani. art. 9. ubi aſſerit: *Formam ſecundum ſe ipſam uniri materiæ primæ, & non per aliud ligamentum.* Quæ verba expreſiſsima ſunt: nec minorem expreſsionem habent alia, quæ adducit 2. contrag. cap. 71. quod videlicèt: *Forma unitur materiæ abſque omni medio. Per ſe enim competit formæ, quod ſit actus corporis, & non per aliquod aliud.* In quibus clariſsimè continetur formam per ſe ipſam uniri, & non per aliquem modum, & ideò hæc erit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

COncl. iſta efficaciter prob. ratione deſumpta ex doctrina D. Th. Quia modus unionis inter materiam, & formam neceſſarius non eſt: ergò non eſt admittendus. Nam entitates abſque neceſsitate multiplicandæ non ſunt. Eo quod fruſtra fit per plura, quod per pautiora fieri poteſt. Ant. verò prob. Poſita actione cauſæ efficientis applicantis materiam ad formam, materia per ſe ipſam unitur cum forma: ergo modus ſuperadditus neceſſarius non eſt. Prob. ant. Materia per

ſe

ſe ipſam eſt proportionata cum forma: ergo ſuppoſita applicatione cauſæ efficientis, per ſe ipſam debet uniri cum forma. Ant. prob. Materia per ſe ipſam eſt pura potentia: & forma eſſentialiter eſt primus actus. Sed pura potentia, & primus actus ſibi invicem correſpondent, & immediatè proportionantur: ergò materia per ſe ipſam eſt proportionata cum forma.

Reſp. contrarij. Materiam, & formam per ſuas entitates eſſe proportionatas in actu primo, non tamen in actu ſecundo, & ideò, ut in actu ſecundo uniantur, indigent aliquo modo realiter ab utraque diſtincto, quo mediante forma poſsit actuare materiam, & materia recipere formam.

Hæc tamen ſolutio in primis D. Thom. impugnat aſſerentem: *Formam ſecundum ſe ipſam uniri materiæ primæ* Uniri autem, non actum primum, ſed exercitium, & actum ſecundum ſignificat.

2. Impug. data ſolutio. Quia enim figura quantitatis per ſe ipſam proportionata eſt in actu primo cum quantitate, per ſe ipſam etiam cum eadem quantitate in actu ſecundo proportionatur, & unitur: ergo ſi materia per ſe ipſam in actu primo cum forma proportionatur, per ſe ipſam etiam erit proportionata in actu ſecundo, & poterit uniri cum forma.

3. Materia in actu ſecundo eſt proportionata cum forma. Sed talem proportionem non habet à modo unionis realiter ſuperaddito: ergo per ſe ipſam habet materia proportionem iſtam. Prob. min. Proportio materiæ cum forma provenit, ex quo materia eſt primum ſubjectum, & forma primus actus. Sed eſſe primum ſubjectum non habet ab aliquo ſuperaddito: ergo proportionem in actu ſecundo non habent ab aliquo modo.

4. Materia per ſe ipſam recipit, & forma per ſe ipſam informat. Sed recipere, & informare eſt in actu ſecundo uniri: ergo per ſe ipſas uniuntur, & exercitè proportionantur. Prob. maj. Forma per ſe ipſam dat eſſe materiæ primæ, & materia per ſe ipſam recipit eſſe: ergo materia per ſe ipſam recipit, & forma per ſe ipſam informat. Sicut etiam per ſe ipſam tanquam per rationem formalem vivificat corpus, & dat illi primum eſſe.

Dices. Materiam per ſe ipſam recipere, & formam per ſe ipſam actuare tanquam per rationem formalem; unionem verò realiter diſtinctam eſſe ſolam conditionem, ſine qua forma non informabit materiam.

Sed contra eſt. Forma per ſe ipſam eſt actus primus, & materia per ſe ipſam eſt primum ſubjectum. Sed primum ſubjectum, & actus primus non requi-

runt conditionem intermediam, ut uniantur: ergo non requirunt unionem, etiam tanquam conditionem. Prob. min. Primum ſubjectum reſpicit primum actum tanquam proprium, & magis inter omnia proportionatum, ut ex terminis patet. Sed potentia, ut uniatur cum actu magis proportionato, conditionem intermediam non requirit: ergo primum ſubjectum, & actus primus non requirunt conditionem intermediam, ut uniantur.

Conf Natura, ut uniatur cum prima paſsione accidentali realiter à natura diſtincta non indiget aliqua conditione, vel diſpoſitione intermedia; ſed potiùs immediatè unitur cum illa ſicut riſibilitas, vel eſſe admirativum proximè conveniunt immediatè naturæ. Et inter potentias, ut voluntas uniatur cum anima, non requiritur aliquod medium, niſi ſolus intellectus: & ut intellectus uniatur, non indiget alio intermedio. Sed hoc ideò eſt: quia prima proprietas in linea proprietatis eſt magis proportionata; & intellectus in linea potentiæ eſt prima potentia: ergo primum ſubjectum, ut uniatur cum primo actu, nullam requirit conditionem intermediam.

Conf. 2. Ut intellectus uniatur cum prima ſpecie repræſentativa primi objecti, & magis proportionati nullam conditionem intermediam requirit: ergò idem de materia in ordine ad formam.

Reſpondebis. Modum unionis requiri tanquam cauſalitas materiæ, & tanquam cauſalitas formæ, quæ cauſalitantes debent convenire materiæ, & formæ per aliquid realiter ab utraque diſtinctum. Eo quod cauſalitates iſtæ non poſſunt non realiter à materia, & forma diſtingui.

Sed contra eſt. Quia cauſalitas formæ, qua in actu ſecundo cauſat effectum formalem, non poteſt realiter à forma diſtingui: & idem dicendum de cauſalitate materiæ: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Magis diſtat effectus formalis à forma, quam cauſalitas ipſius formæ, vel ſaltim æqualiter. Eo quod cauſalitas formæ mediat inter effectum, & formam. Et medium minus diſtat ab extremis, quam extrema ipſa inter ſe. Sed effectus formalis formæ non diſtinguitur realiter ab ipſa forma: ergo etiam cauſalitas formę realiter diſtincta non eſt.

2. Prob. concl. deſtruendo fundamentum contrariorum. Quia ſicut forma indifferens eſt, ut ſit, vel non ſit unita: ità etiam indifferens eſt, ut det eſſe, vel non det eſſe materiæ, & tamen forma per ſe ipſam in actu ſecundo tanquam per rationem for-

formalem dat esse materiæ: ergò per se ipsam tanquàm per rationem formalem poterit in actu secundo uniri.

Cons. Compositum substantiale diffinitur per materiam, & formam tanquam per partes essentiales Physicas, & nihil aliud ponitur in eius diffinitione: ergò non datur modus unionis realitèr à materia, & forma distinctus. Pater conseq. Quia, si talis modus daretur, esseturque essentialitèr exactus, ut totum compositum resultaret, deberet poni in diffinitione physica, in qua poni debent omnia prædicata physicè constitutiva. Sicut in diffinitione metaphysica omnia prædicata metaphysicè constituentia ponuntur.

Conf. ulterius. Si modus unionis esset essentialitèr exactus inter materiam, & formam, ipsa forma non esset prima differentia in genere physico. Siquidem supponeret aliud prædicatum essentiale, & physicum à materia essentialitèr distinctum. Sed hoc dicendum non est. Quia forma dat primam speciem physicam, & consequentèr est prima differentia: ergò modus unionis realitèr à materia, & forma distinctus admittendus non est.

Addimus tamen. Modum unionis non posse esse duplicem neque unum. Non quidem duplicem. Quia modus se tenens ex parte materiæ vere, & realiter unit illam cum forma. Aliàs non esset modus unionis: ergo quilibet alius modus ab isto diversus admittendus non est. Consequenterque modus unionis non debet esse duplex.

Modum verò illum non esse unicum prob quia modus unionis recipitur realitèr in extremis diversis, videlicèt in materia, & forma, & consequenter nequit esse unus. Nam idem modus recipi non potest in extremis realitèr entitativè diversis.

Rursus etiam Modus unionis est causalitas materiæ, & formæ. Sed materia, & forma habent causalitates diversas. Siquidem sunt causæ distinctæ, & distinctæ causæ distinctas: etiam debent habere causalitates: ergò modus unionis unicus esse non potest.

Dices: Modum se tenentem ex parte materiæ esse inadæquatum sufficientem ad uniendam materiam; non tamen adæquatum, & sufficientem etiam ad uniendam formam.

Contra tamen est. Implicat esse modum unionis, & solum se tenere ex parte materiæ: & inadæquatum esse: ergo nulla est data solutio. Prob. ant. Unio essentialitèr connotat extrema, quæ uniuntur, & essentialitèr est nexus inter utrumque. Sed nexus inter duo essentialitèr connectit utrumque, & ex parte utriusque se tenet. Undè eadem,

& unica copula propoſitionis connecti prædicatum cum ſubjecto, & ex parte utriuſque ſe tenet; quæ tamen magis diſtant, & minorem proportionem habent, quam materia, & forma: ergo implicat eſſe modum unionis, & inadæquatum eſſe, vel ſolum ſe tenere ex parte materiæ.

§. III.

Argumentis occurritur.

COntra concl. iſtam arg. 1. Generatio hominis aliquem terminum debet producere. Eo quod eſt vera actio, & omnis vera actio aliquem terminum producere debet. Sed generatio hominis non producit materiam, nec formam ergo producit modum unionis realitèr ab utraque diſtinctum.

Reſp. poterat neg. maj. Nam actiones ſenſuum externorum non producunt aliquem terminum, & viſio beata nullum terminum producit, & ſecunda demonſtratio nèc habitum, nèc modum aliquem producit, ſed ſolum habitum præexiſtentem ad novam materiam applicat, & extendit, & tamen ſunt verè actiones.

Dices: Actiones enumeratas eſſe actiones immanentes; nos autem ſolum de actione tranſeunte loquimur in præſenti.

Contra tamen eſt. Quia ſicut actio tranſiens eſt vera actio ad extra, ita actio ad intra. Sed actio immanens ſalvatur ſine termino ad intra: ergo actio tranſiens ſalvari poteſt ſine termino producto ad extra.

Quidquid tamen ſit de probabilitate ſolutionis hujus. Aliter reſp. 2. Quod licèt generatio hominis non producat materiam, vel formam, vel etiam modum unionis; producit tamen totum compoſitum: & ad producendum totum, neceſſarium non eſt aliquam partem quantum ad ſuam entitatem produci; ſed ſufficit unionem partium effectivè cauſare. Sicut conſtat in homine de albante parietem, qui albedinem, vel parietem non producit, & tamen: quia albedinem cum pariete conjungit, verè facit album: & producit compoſitum accidentale.

Sed Inſt. Illa actio productiva hominis eſt vera actio eductiva: ergo aliquid præter totum producit. Nam illud, quod formaliter educitur, non eſt ipſum totum. Ant. verò prob. Illa actio non eſt converſio, nec eſt creatio: ergo eſt actio eductiva. Quia prætèr illas duas actiones alia aſsignabilis non eſt.

2. Inſt. Per generationem hominis non ſolum producitur terminus *qui*, ſed etiam terminus *quo*. Quia per nullum actionem producitur terminus *qui*, vel

vel totalis niſi ratione termini *quo* formaliter producti. Sed terminus *quo* productus per actionem illam non eſt materia, nec forma : ergo erit modus unionis realiter ab utraque diverſus.

Reſp. ad 1. inſt. Præter actionem converſivam, creativam, & eductivam dari etiam alteram actionem effectivè unitivam partium, & productivam totius, quæ facit efficienter quod forma ſit in materia, & materiam uniri formæ. Inſtantia eſt in actione de albantis parietem, quæ non eſt creatio, nec eductio, nec converſio, & tamen eſt vera actio; quia efficienter parieti albedinem unit.

Ex eadem doctrina conſtat ad 2. repl. Non enim omnis actio productiva termini *qui* debet producere terminum *quo*: ut patet in actione parietem de albantis, quæ parietem, vel albedinem non producit; ſed ſolùm eſt de ratione actionis producentis terminum *qui* producere terminum *quo*, ſi illum non ſupponat pro alio priori producto. Cumque generatio hominis ſupponat terminum *quo*, vel animam rationalem pro alio priori productam à Deo. Indè fit non debere illam producere, ſed tantum illam unire.

Poterat etiam dici: Quod ſicut conſecratio eſt vera actio. Quia licèt Chriſtum non producat abſolutè quoad ſuam entitatem; ipſum tamen prout ex pane producit: ita generatio hominis actio vera eſt. Quia licèt formam non producat quantum ad eſſe; illam tamen quantum ad ineſſe producit faciendo quod forma ſit in materia.

2. Arg. Quod eſſentialiter conſiſtit in potentia ad aliquem actum, non poteſt ad ipſum actum tranſire, niſi per aliquid realiter ſuperadditum. Quia ſi nihil realiter ſuperadditur, manebit in potentia ſicut anteà. Sed eſſentia materiæ, & formæ non in actuali unione, ſed in potentia ad illam conſiſtit: ergò materia, & forma non poſſunt ad unionem actualem pervenire, niſi per aliquem modum realiter ſuperadditum, & ab utraque diſtinctum. Prob. min. Si eſſentia materiæ, & formæ conſiſteret in unione actuali, ſemper materia, & forma eſſent actualiter unitæ. Nam quod eſt de eſſentia alicujus, ab illo ſeparari non poteſt. Sed materia, & forma ſemper unitæ non ſunt: ergo eſſentia materiæ, & formæ non conſiſtit in unione actuali, ſed potiùs in potentia ad unionem.

Conf. Materia, & forma non poſſunt actualiter uniri abſque modo realiter ſuperadditò: ergo talis modus inter materiam, & formam admittendus eſt. Prob. ant. Ita com-

paratur materia ad formam, ſicut intellectus ad objectum Sed intellectus non poteſt in actu ſecundo uniri cum objecto, niſi mediante verbo: ergo materia, & forma non poteſt uniri abſque medio, vel modo realiter ſuperaddito.

2. Accidens non poteſt uniri cum ſubjecto, niſi mediante modo inhærentiæ realiter ab accidenti diſtincto: ergo idem de materia, & forma dicendum eſt.

3. Partes continui per aliqua indiviſibilia intermedia coputantur: ergo materia, & forma per aliquem modum uniuntur.

4. Materia, & forma uniuntur per proprias cauſalitates. Sed iſtæ cauſalitates realiter differunt à materia, & forma: ergo uniuntur per aliquid realiter ſuperadditum. Prob. min. Nulla cauſa creata poteſt identificare ſe cum propriam cauſalitatem. Aliàs evaderet infinita: ergo cauſalitas materiæ, & formæ realiter diſtinguitur ab illis.

Reſp. ad arg. diſt. maj. In potentia ad aliquem actum, quantum ad rectum actus: conc. maj. Quantum ad connotatum, & obliquum: neg. maj. & diſt. min. ad illam quoad rectum: neg. min. Quantum ad obliquum: conc. min. & neg. conſ. Materia namque, & forma, cum ſe habeant, ſicut primum ſubjectum, & primus actus, habent proportionem immediatam ut uniantur, & ita propria entitas utriuſque eſt ratio formalis uniendi, quæ ad proprium exercitium unionis ſolum deſiderat connotatum actionis cauſæ efficientis applicantis materiam ad formam. Quapropter entitas materiæ, & formæ per ſe ipſam eſt unio, & ideò ſolum eſt in potentia ad unionem quantum ad connotatum, & obliquum actionis unitivæ; non tamen quantum rectum unionis.

Dices. Entitas formæ; v. gr. non eſt ratio formalis uniendi: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Si entitas formæ eſſet ratio formalis uniendi, ipſam formam eſſe unitam, & compoſitum ex unione reſultans, tribuerentur principaliter Deo creanti, & minus principaliter homini generanti: & ipſum etiam compoſitum eſſet principaliter creatum. Sed hoc dicendum non eſt: ergò entitas formæ non eſt ratio formalis uniendi. Min. cum conſ. tenet. Et prob. maj. Deus produceret rationem formalem uniendi ſcilicet formam; homo verò ſolum applicationem, vel conditionem producit: ergo animam eſſe unitam tribueretur Deo principaliter creanti rationem formalem uniendi: & con-

compoſitum eſſet principaliter creatum.

Reſp. tamen facilè. Deum producentem formam producere rationem formalem uniendi materialiter, & in eſſe rei; non tamen formaliter. Eo quod ratio formalis uniendi eſt ipſa forma, quatenùs actuat corpus, & materiæ communicatur, ſecundum quam rationem forma non eſt à Deo, ſed ab homine uniente illam cum materia. Ideòque compoſitum principaliter eſt gentium: & formam eſſe unitam fit principaliter ab homine generante.

Ad conf. arg. princip. neg. conſeq. primæ prob. Quia objectum eſt extra intellectum, & illi extraneum, & non poteſt intra intellectum poni, niſi per aliquam ſimilitudinem in actu ſecundo, quæ dicitur verbum. Conſequenterquæ licèt intellectus per ſe ordinetur ad objectum, indiget verbo, ut uniatur cum objecto. Materia verò per ſe ipſam cum forma proportionata eſt, & ita diſpar eſt ratio.

Ex hoc ad 2. prob. anteced. conſtat ſolutio. Quia accidens non eſt immediatè proportionatum cum ſubſtantia. Eo quod non eſt actus ſimpliciter talis reſpectu ſubſtantiæ, nec ſubſtantia per ſe ordinatur ad accidens, & ita mirum non eſt ad unionem cum ſubſtantia indigere modo inhærentiæ realiter ab accidenti diſtincto.

Addimus probabilius eſſe inhærentiam non eſſe realiter ab accidenti diſtinctam: & alios etiam aſſerere inhærentiam non eſſe unionem accidentis, ſed modum peculiarem exiſtendi dependenter à ſubjecto, accidentis completivum. Sicut ſubſiſtentia eſt completiva ſubſtantiæ.

Ad 3. neg. conſ. Quia partes continui non comparantur per modum actus, & potentiæ, ſed tanquam actus, & actus. Et ita, ut uniantur, indiviſibilibus indigent. Rurſùs partes continui faciunt extenſionem in toto, & una ponitur extra aliam, ad quod indiviſibilia neceſſaria ſunt, ut una pars ſit extra aliam & ſecundum ſe totam non tangat alteram partem.

Ad 4. Nullam cauſam creatam poſſe identificare cauſalitatem dicentem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, poſſe tamen abſque ulla infinitate identificare cauſalitatem dicentem imperfectionem in ſuo conceptu formali. Et talis eſt cauſalitas materiæ, & formæ, receptio videlicèt, & informatio, & ideò mirum non eſt cauſalitates prædictas non eſſe realiter à materia, & forma diverſas.

3. Arg. Quod accidentaliter de aliquo prædicatur, realiter ab

ab illo diſtinguitur. Sed unio prædicatur accidentaliter de materia, & forma: ergò ab illis realiter diſtincta eſt.

Conf. Quia ſubjectum eſt indifferens ut ſit album, & non album, & ut ſit agens, & non agens: albedo, & actio ſunt aliquid ſuperadditum, & realiter à ſubjecto diſtinctum. Sed materia, & forma ſunt realiter indifferentes ad uniri, & non uniri: ergò unio realiter diſtinguitur à materia, & forma.

Conf. 2. implicat rem aliquam tranſire de uno ad aliud contradictorium abſque aliquo realiter ſuperaddito. Sed materiam eſſe unitam, & non eſſe unitam ſunt prædicata contradictoria: ergo quando materia tranſit de non unita ad unitam, ſupperadditur unio realiter à materia diverſa.

Ad hoc arg. reſp. Quod ſi illud, quod prædicatur accidentaliter, ſit prædicatum abſolutum, neceſſarium eſt realiter à ſubjecto diſtingui. Secus verò ſi ſit prædicatum connotativum ex conceptu formali, qualis eſt unio, quæ ex conceptu formali connotativa eſt. Nam unio connotat eſſentialiter extrema, & actionem agentis, extrema unibilia applicantis. Et inſtantia eſt in exercitio referendi, quo Pater per relationem realem ad ſecundum filium refertur, quod exercitium realiter ſeparatur à relatione, quando moritur ſecundus filius, & tamen non diſtinguitur realiter à relatione ipſa. Nam Pater eadem relatione ad omnes filios refertur. Similiter etiam albedinem fundare relationem ſimilitudinis poteſt realiter ab albedine ſeparari, deficiente altera albedine, cui ſimilis ſit, & tamen hoc exercitium fundandi non eſt diſtinctum realiter ab albedine fundante, & actum liberum Dei terminari ad creaturas non eſt quid diſtinctum realiter ab ipſo actu, & tamen poteſt realiter ſeparari, & Verbum Divinum potuit non terminare realiter humanitatem abſque aliqua mutatione reali. Quia hæc omnia prædicata connotativa ſunt.

Ad 1. conf. reſp. explicando cauſalem majoris. Quia indifferens præcisè: neg. cauſalem. Quia indifferens ad talia extrema: conc. cauſalem, & diſt. min. ad uniri quantum ad denominationem: conc. min. Quantum ad entitatem: neg. min. & conſ. Albedinem namque, & actionem eſſe aliquid realiter à ſubjecto diſtinctum, non infertur præcisè ex indifferentia ſubjecti; ſed etiam ex indifferentia ſubjecti ad extrema determinata, ad albedinem videlicet, & actionem, quæ ſecundum ſuas entitates poſſunt adeſſe, & abeſſe

eſſe abſque ſubjecti corruptione, & ita ſubjectum eſt indifferens ad illas formas etiam ſecundum entitates. Conſequenterque ipſæ debent eſſe aliquid realiter entitativè à ſubjecto diſtinctum. Materia vero, & forma non ſunt indifferentes ad entitatem unionis; ſed ſolum, ut denominentur unitæ, ad quam denominationem habendam ſolum deſiderant actionem agentis applicantis materiam ad formam; non tamen aliquod medium realiter à materia, & forma diſtinctum.

Ad 2. conf. diſt. maj. Ad aliud contradictorium entitativè: conc. maj. Contradictorium denominativè ſecundario: neg. maj. & diſt. min. Contradictoria denominativè ſecundario: conc. min. Entitativè: neg. min. & conſ. Res namque non poteſt tranſire de uno contradictorio in aliud contradictorium quantum ad entitatem abſque aliquo realiter ſupperaddito, poteſt tamen tranſire de uno contradictorio in aliud quantum ad denominationem abſque aliquo intrinſeco ſuperaddito realiter. Sicut quando naſcitur ſecundus filius, pater denominatur relatus ad ipſum abſque aliquo intrinſeco realiter ſuperaddito. Quia per eandem relationem, qua anteà referebatur ad primum filium, modo ad ſecundum refertur: & in materia eſſe unitam ſolum eſt denominatio ſecundaria ejuſdem entitatis materiæ. Undè materia poteſt ad illam tranſire abſque aliquo ſuperaddito realiter. Addimus. Quod quando materia denominatur unita, ſuperadditur realiter forma, quæ eſt intrinſeca materiæ informativè, ſicut materia receptivè eſt intrinſeca formæ.

Sed inſt. Quando materia tranſit de non unita ad unitam, reſultat in materia relatio realis ad formam. Sed hæc relatio reſultare non poteſt abſque aliquo realiter producto de novo: ergo aliquid de novo producitur realiter à materia diſtinctum. Prob. min. Relatio realis non poteſt reſultare, niſi ad productionem alicujus termini primario producti. Eo quod ad relationem non datur per ſe motus: ergo relatio realis unitæ in materia reſultare non poteſt abſque aliquo realiter producto de novo.

Reſp. Ad relationem non dari per ſe motum, ſed ad aliquem terminum, ex quo relatio reſultat; non tamen requiri talem terminum eſſe de novo productum quantum ad entitatem, ſed ſatis eſt eſſe productum quantum ad in eſſe, vel eſſe cum alio de novo unitum. Cumque per actionem agentis materia uniatur cum forma, & forma ſit in materia. Indè eſt, quod

quod ad utramque ſic unitam poteſt reſultare relatio.

4. Arg. fundamento principali contrariorum. Quæ realitèr ſeparantur realitèr diſtinguuntur. Sed unio inter materiam, & formam realitèr ab utraque ſeparatur: ergò realitèr à materia, & forma diſtinguitur. Prob. minor. In morte hominis non deſinit eſſe materia, nèc deſinit eſſe forma, & tamen deſinit eſſe unio: ergò realitèr ab uttaque ſeparatur.

Reſp. diſt. min. Separatur quantum ad denominationem ſecundariam: conc. min. Quantum ad entitatem: neg. min. & conſeq. Quia materia, & forma ſe habent ſicut pura potentia, & primus actus, & ita habent immediatam proportionem, ut per ſe ipſas uniantur ſuppoſita actione agentis applicantis utramque. Conſequenterque, quando de facto uniuntur, ſolum advenit de novo denominatio ſecundaria: & hæc eadem deficit, quando ab invicem ſeparantur. Non tamen deficit aliqua entitas realitèr ab utraque diſtincta. Eo quod entitas unionis ab utraque diſtincta non eſt.

Sed inſtabis primò. In morte hominis deficit aliquid reale. Siquidem deficit denominatio uniti, quæ eſt denominatio realis: Sed non deficit materia, nèc deficit forma: ergo deficit alia entitas præter materiam, & formam. Nam defectus alicujus realitatis ſine defectu alicujus entitatis impoſsibilis eſt.

Secundo inſtabis. In morte hominis deficit entitas unionis conſtitutiva: ergo deficit entitas realitèr à materia, & forma diſtincta. Quia entitas materiæ, & formæ non deficit. Antec. prob. Si non deficeret entitas unionis conſtitutiva maneret unio in ſuo eſſe conſtituta Sed non manet vnio conſtituta in ſuo eſſe. Aliàs etiam extremo maneret unita: ergo deficit entitas unionis conſtitutiva.

Tertio inſt. Unio eſt aliquid quantum ad entitatem à materia, & forma diſtinctum: ergò quando deficit uuio, deficit aliqua entitas. Prob. ant. Actio agentis applicantis materiam ad formam, eſt conditio neceſſaria, ut unio ſit in rerum natura. Sed non eſt conditio neceſſaria, ut detur materia, vel forma: ergo quia unio eſt aliqua entitas à materia, & forma diſtincta.

4. Modo dantur omnia identificata cum materia, & forma Divi Petri, & conſequenter nihil illorum deficit. Sed modo deficit unio: ergo unio non eſt identificata cum materia, & forma, ſed realitèr ab illis diſtincta.

Quinto inſtabis. In morte hominis deficit unio quantum ad denominationem; ergo deficit

etiam

etiam unio quoad entitatem. Probat. conſequent. Tum quia forma, quæ in exercitio conſiſtit, non poteſt deficere quantum ad denominationem, niſi deficiat etiam quantum ad entitatem. Tum etiam quia relatio deficiente termino deficit quantum ad denominationem, deficit etiam quod ſuam entitatem: ergo idem de unione dicendum.

Reſp. diſt. maj. Aliquid reale denominativum: conc. maj. Entitativum; neg. maj. Et diſt. min. Materia, & forma entitative: conc. min. Dominativè: neg. min. & conſeq. Licèt namque materia, & forma intrinſecè, & formaliter per ſuas entitates uniantur, ut tamen de facto ſubinduant denominationem unitæ, connotant neceſſario actionem agentis: Et ideò, quando deficit actio unitativa, perſeverantibus materia, & forma, deficit denominatio realis unitæ, ſine defectu alicuius entitatis. Eo quod denominatio unitæ non deficit propter defectum alicuius entitatis in recto; ſed tantum propter defectum extrinſeci connotati. Sicut deficiente ſecundo filio deficit in Patre denominatio realis relati ad ipſum; non quidem propter defectum alicujus entitatis in recto, ſed ſolum propter defectum extrinſeci connotati.

Ad ſecundam inſtantiam diſting. ant. Deficit quantum ad rectum entitatis neg. ant. Quantum ad obliquum: conc. ant. Quia in morte hominis entitas unionis conſtitutiva non deficit, ſed potius manet unio in ſuo eſſe entitativo conſtituta; non tamen manet unio in ratione denominantis. Quia entitas unionis non denominat extrema unita: niſi ut connotat actionem agentis applicantis materiam ad formam, & cum hæc actio deficiat; deficit etiam unio in ratione denominantis abſque deffectu alicuius entitatis.

Ad tertiam inſtantiam neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Unio quoad entitatem: neg. maj. Unio denominativè: conc. maj. & diſt. min. Ut detur materia, vel forma entitativè: conc. min. Denominativè: neg. min. & conceſ. Quia licèt actio agentis non ſit conditio neceſſaria, ut detur unio entitativè; eſt tamen neceſſaria conditio, ut detur unio quoad denominationem; ſicut etiam eſt conditio neceſſaria, ut forma fit in materia, & ambæ partes denominentur unitæ.

Ad 4. eodem modo. Quod videlicèt modo deficit unio, non quantum ad entitatem identificatam cum materia, & forma; ſed ſolum quantum ad denominationem ſecundariam talis entitatis, propter defectum extrinſeci connotati.

Ad

Ad quintam inſtantiam neg. conſeq. Ad probationem dicimus: formam conſiſtentem in exercitio quantum ad denominationem ſecundariam poſſe deficere quoad talem denominationem ſine defectu entitatis: & talem eſſe unionem, in qua denominatio unionis exercite connectentis extrema ſolum ſecundaria eſt. Eſſentia verò, & differentia primaria talis unionis eſt ratio puræ potentiæ, & primi actus, à materia, & forma indiſtincta.

Inter denominationem verò relationis, & unionis lata diſparitas eſt. Quia denominatio relationis eſt primaria denominatio. Eo quod relatio ſecundum ſuam entitatem, & eſſentiam eſt ad aliud, & habet denominare relatum, & ita deficiente quantum ad denominationem, etiam deficere debet quoad ipſam entitatem, cujus eſſe eſt primaria denominatio. In unione verò primaria denominatio eſt denominatio puræ potentiæ, & actus primi, denominatio verò exercitè unientis, & exercitè uniti ſolum ſecundaria eſt. Et ita ex defectu hujus denominationis non infertur defectus alicujus entitatis.

Sed inſtabis. Entitas materiæ, & formæ non poteſt præſtare primario denominationem puræ potentiæ, & actus primi, & ſecundario denominationem unientis exercitè: ergò denominatio unionis ſecundaria eſſe non poteſt. Prob. ant. Eadem entitas albedinis non poteſt primario facere album, & ſecundario referre unum ad alterum album: ergo entitas materiæ non poteſt primario præſtare denominationem puræ potentiæ, & ſecundario denominationem unientis.

Secundo inſtabis. Deficiente unione quoad denominationem deficit aliquid adæquatè diſtinctum à materia, & forma, & à connotato actionis applicantis utramque: ergo deficit unio quo ad aliquam entitatem. Aliàs nihil deficeret adæquatè diſtinctum à materia, & forma, & ab ipſo connotato. Prob. antec. Defectus formalis, & immediatus unionis eſt defectus formalis, & immediatus compoſiti. Sed quando deficit compoſitum, formaliter, & immediatè difficit aliquid adæquatè diſtinctum à materia, & forma, & ab ipſo connotato: ergo hoc idem deficit, quando deficit unio quoad denominationem. Probat. min. Quando deficit compoſitum formaliter, & immediatè, non deficit materia, vel forma, & aliundè defectus immediatus connotati non eſt defectus formalis, & immediatus compoſiti, ſed tantum mediatus, & illativus: ergo

gò quando deficit compoſitum formaliter, & immediatè, deficit aliquid adæquatè diſtinctum à materia, & forma, & ab ipſo connotato.

3. Illud, quod ſolo deficiente deficit compoſitum, eſt eſſentia, vel pars eſſentiæ compoſiti. Quia ſi nulla pars eſſentiæ deficit, tota res, & eſſentia perſeverabit. Sed deficiente ſola unione quoad denominationem, deficit totum compoſitum: ergò deficit eſſentia, vel pars eſſentiæ compoſiti, & conſequenter aliqua entitas deficit.

4. Unio quantum ad denominationem non deficit præciſsè ad defectum extrinſeci connotati, ſed neceſſario deficere debet ad defectum alteriùs. Sed illud aliud non eſt materia, vel forma, quæ non deficient: ergo eſt aliqua alia entitas ab his omnibus realiter conditincta. Min. cum conſeq. tenet. & prob. maj. Nulla res deficit, deficiente præciſsè aliquo adæquatè ab ipſa diſtincto. Sed actio unitiva adæquatè diſtincta eſt ab unione quantum ad denominationem: ergo unio quantum ad denominationem non deficit præciſsè ad defectum huius extrinſeci connotati.

Hæc omnia adducit ſapi. Modernus extra ſcholam D. Tho. Quæ licèt ſubtiliter appoſita, ſpecialem tamen difficultatem ſupradicta non addunt. Et ad 1. reſp. nego ant. & ad prob. neg. conſ. Quia albedo ſecundum ſuam entitatem, eſt aliquid abſolutum, & non habet totum eſſe in ordine ad aliud, & ideò per ſuam entitatem nèc primario, nèc ſecundario poteſt unum ad alterum referre; ſed ad hoc indiget alia forma entitativè diſtincta, & entitativè pertinente ad prædicamentum relationis. Materia verò per ſe ipſam eſt proportionata cum forma. Et ita ſuppoſita actione agentis poteſt materia per ſe ipſam ſecundario præſtare denominationem unitæ.

Ad ſecundam replicam reſpondetur negando anteced. Ad probationem negatur min. Ad probationem diſtinguo ant. Materia, & forma entitativè: conc. antec. Denominativè: neg. ant. & conſeq. Quando namque deficit compoſitum, licet non deficiant materia, & forma entitativè, deficiunt tamen ſecundum denominationem unitæ: & ipſum compoſitum deficere nihil aliud eſt, quàm materiam, & formam unitas non permanere. Undè unum ex his per alterum deficit formaliter immediatè. Conſequenterque deficiente unione quoad denominationem non deficit aliquid adæquatè diſtinctum à materia, & forma unitis, vel ab illis ſumptis denominativè.

Ad tertiam reſpondetur diſtin-

tinguendo major. Pars eſſentiæ quoad entitatem, & denominationem: conc. maj. Pars eſſentiæ ſolum quoad entitatem: neg. maj. & ſecundum eandem diſtinctionem conceſſa min. neg. conſeq. Compoſitum namque non ſolum eſſentialitèr includit entitates materiæ, & formæ; ſed eſſentialitèr etiam importat utramque partem unitam, vel utramque ſecundum denominationem unitæ. Et ideò deficiente unione quoad denominationem deficit totum compoſitum, non proptèr defectum entitatis alicujus ex partibus, ſed proptèr defectum denominationis unitæ, quæ compoſito eſſentialis eſt. Nam dum partes ſeparantur, quamvis entitativè perſeverent, non manent ultra totum, vel compoſitum ex illis.

Ad quartam reſpondetur diſtinguendo minor. Non eſt materia, vel forma entitative, & materialitèr: conc. min. Formalitèr in ratione connotantis: neg. min. & conſeq. Unio namque quantum ad denominationem non deficit præciſsè ad defectum extrinſeci connotati, ſed deficit formalitèr immediatè ad defectum materiæ, & formæ in ratione connotantis. Quia materia, & forma ſolum habet denominationem unitæ, dùm perſeverant connotando actionem agentis applicantis utramque. Et ideò ſi talis actio unitiva virtualitèr non perſeverat, deficit unio quoad denominationem. Eo quod deficit etiam materia in ratione connotantis actionem applicantem, & unientem, & formam tanquam extremum unitum.

Dices: Unio quoad denominationem deficit neceſſario ad defectum alicujus entitatis: ergo unio eſt aliqua entitas à materia, & forma diſtincta. Probatur antec. Quando deficit unio, deficit compoſitum ex materia, & forma; ſed compoſitum ex materia, & forma, eſt entitas totalis realitèr diſtincta ab ipſa materia, & forma: ergo unio quoad denominationem deficit neceſſario ad defectum alicujus entitatis.

Reſp. diſt. ultimum conſeq. Alicujus entitatis materiæ, vel formæ, vel mediantis inter utramque: neg. conſ. Entitatis ex utraque reſultantis: conc. conſ. Non enim negamus deficiente unione deficere etiam compoſitum, quod eſt realitèr entitativè à quacumque parte diſtinctum, & vera entitas compoſita ex entitatibus partium; quæ quidem non manet, ſi partes ab invicem ſeparantur. Eo quod compoſitio eſt diſtinctorum unio. Sed tantùm in præſenti negamus deficiente unione deficere aliquam entitatem mediantem inter formam & materiam, ſicut adverſarij perſuadere conantur: & ſolum dici-

dictionis deficiente unione deficere materiam, & formam in ratione connotantis, quod eſt deficere ſecundum formalitatem ſecundariam unionis entitativè, & eſſentialiter ſumptæ.

Ex dictis in articuli diſcurſu colligitur, quod licet admittatur modus unionis inter humanitatem, & Verbum Divinum, quem aliqui Thomiſtæ concedunt, non propterea admittendus eſt inter materiam, & formam. Eo quod humanitas infinite diſtat à Divina ſubſiſtentia. Conſequenterque proportionem immediatam cum ipſa non habet. Et ideò ad uniendam utramque modus aliquis ſupernaturalis neceſſarius eſt. Oppoſitum autem, ut vidimus, in materia, & forma contingit. Et hæc de artic. iſto in hoc libr. text. 17. ad Phyloſ. applicanda.

ARTICULUS. II.

Vtrùm Totum diſtinguatur realiter à partibus ſimul ſumptis, & unitis?

§. I.

Difficultas apperitur.

TOtum, quod ex partibus reſultat, aliud eſt accidentale, quod quidem ex ſubſtantia, & accidenti componitur. Aliud eſt ſubſtantiale, in quo una pars per ſe ad alteram ordinatur, ſicut compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali. Aliud verò eſt integrale, quod componitur ex partibus, quarum quælibet ab alia diviſa, eſt totum: & hoc aliud eſt. Etherogeneum, quod habet partes diverſæ rationis, & denominationis, ſicut homo compoſitus ex oſſibus, & carne, ex quibus nulla pars ſubinduit denominationem totius. Caro namque non denominatur homo. Homogeneum autem conſtat ex partibus ejuſdem rationis, quarum quælibet ſubinduit denominationem totius, ſicut ignis, cujus quælibet pars eſt ignis: & aqua, cujus quæcumque pars aqua etiam denominatur, & de his omnibus, an realiter diſtinguantur à partibus? Diſputamus; non tamen à quacumque diviſive, de quo dubium eſſe non poteſt: quia totum includit plures partes, & ratione unius realiter ab alia diſtinguitur; ſed de diſtinctione totius à partibus ſimul ſumptis, & unitis, in præſenti ſermo eſt.

Affirmant aliqui Thomiſtæ totum eſſe realiter diſtinctum à partibus ſimul ſumptis, & unitis. Ita Capreolus, Cayetan. Ferrara, & alijs. Plurimi verò negant. Cum quibus ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

HÆc ſententia videtur expreſſa D. Thom. 4. contra gent. cap. 81. ubi ait: *De humanitate verò non eſt intelligendum, quod ſit quædam forma conſurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quaſi realiter ſit alia ab utraque. Quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, ut dicitur 3. de anima text. 9. illa tertia forma conſurgens non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis.* Et 4. phyſ. text. 53. aſſerit: *Non enim præter partes eſt totum.* Quæ verba clara ſunt, & ponderatione non indigent.

Ratione autem probatur concluſ. noſtra. Quia totum phyſicum nihil addit ſupra partes ſimul ſumptas, & unitas: ergò non diſtinguntur realitèr à partibus ſimul ſumptis, & unitis. Conſeq. patet, quidquid in contrarium clament aliqui Thomiſtæ. Nam iuxta regulam dialecticorum. Hæc propoſitio *totum realitèr diſtinguitur à partibus.* Exponitur ſic: totum realitèr eſt, & partes realitèr ſunt, & totum realiter non eſt ſuæ partes. Conſequentèrque implicabit totum realiter à partibus diſtingui, ſi ſemel nullam addit entitatem, quæ non ſit entitas partium.

Ant. verò probatur primo: Unita materia cum forma reſultat compoſitum abſque aliqua entitate realitèr ſuperaddita: ergo totum phyſicum ſupra partes ſimul ſumptas nullam addit entitatem. Prob. antec. Unita materia cum forma abſque entitate ſuperaddita intelligitur adæquata diffinitio phyſica compoſiti ſubſtantialis. Nam totum ſubſtantiale ſolum diffinitur per materiam, & formam: ergo unita materia cum forma reſultat compoſitum abſque aliqua entitate ſuperaddita realitèr.

2. Per hoc præciſsè quod partes componant totum, manet compoſitum in ſuo eſſe conſtitutum: ergo totum nullam addit entitatem ſupra partes ſimul ſumptas. Prob. antec. Per hoc præciſsè quod partes componant totum, materia recipit formam, & forma informat materiam. Sed per hoc præciſsè quod materia recipiat formam, & forma informet materiam, manet compoſitum adæquatè conſtitutum: ergo per hoc præciſsè quod partes componant abſque aliquo ſuperaddito dabitur totum conſtitutum adæquatè.

3. Materia, & forma, ſimul ſumptæ, & unitæ ſunt aliquid per ſe unum; non quidem unitate ſimplicitatis, ſed unitate compoſitionis, ut per ſe notum vide-

videtur. Sed unum unitate compoſitionis eſt totum : ergo totum nihil addit ſupra partes ſimul ſumptas.

4 Illa entitas ſupperaddita deberet eſſe entitas accidentalis : quia adveniret materiæ conſtitutæ jam in actu per formam : & quidquid advenit materiæ conſtitutæ jam in actu, eſt accidens, præter ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, quæ ſunt modi ſubſtantialiter eſſendi. Sed implicat illam entitatem ſupperaditam eſſe accidentalem. Aliàs totum ſubſtantiale non eſſet. Eo quod per illam entitatem accidentalem conſtituitur ; ergò totum nullam addit entitatem ſupra partes ſimul ſumptas.

Addimus illam entitatem ſuperadditam debere unitricum entitatibus partium. Aliàs illa ſola conſtitueret totum ; non verò ipſa cum partibus. Uniri autem illam entitatem cum entitatibus partium implicatorium eſt. Aliunde ex illa unita cum partibus alia entitas reſultaret, & ex his alia, & ſic in infinitum, quod tamen admittendum non eſt.

Hoc idem aſſumptum probari poterat ad hominem contra Scotum. Quia in ejus ſententia, quę realiter diſtinguntur realiter ſeparantur. Sed totum non poteſt à partibus realiter ſeparari. Nam totum ſine partibus implicat : ergo totum non poteſt realiter diſtingui à partibus ſimul ſumptis, & unitis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſ. noſtram arg. 1. Realiter, & ex parte objecti idem ſunt materia unita formæ, & materiæ forma, & unio Sed totum non eſt realiter materia unita formæ : ergo totum non eſt realiter materia forma, & unio, ſed aliquid addit ſupra iſta, ratione cujus realiter diſtinguatur ab illis.

Ad hoc facile reſp. Quod licet ex parte objecti idem realiter importetur in utraque objecto, modus tamen ſignificandi diverſus eſt. Quod ſufficit, ut una propoſitio ſit vera, & altera falſa. Sicut etiam ex parte objecti idem importatur in complexo iſto pallium Petri, & in alio Petrus, & pallium, & tamen Petrus, & pallium ſunt duæ res, & pallium Petri eſt unica tantum.

Reſp. 2 Quod realiter pro recto, & obliquo idem eſt materia unita formæ, & materia, & forma ; non tamen materia unita formæ eſt pro recto realiter materia, & forma; ſed tantum eſt pro recto materia, & forma de connotato. Sicut ma-

teria ut recipiens, & cauſans realitèr formam eſt forma pro obliquo; non tamen eſt materia, & forma pro recto realitèr.

2. Arg. Quæ diſtinguntur realitèr inter ſe, non poſſunt identificari cum uno tertio. Sed partes componentes realitèr diſtinguuntur inter ſe: ergo non identificantur cum toto, ſed hoc erit realiter diſtinctum ab illis.

Reſp. explic. maj. Cum uno tertio unitate ſimplicitatis: conc. maj. Unitate compoſitionis: neg. maj. Quia partes componentes ſolum faciunt unum tertium unitate compoſitionis: & quæ realiter diſtinguntur inter ſe poſſunt eſſe unum, & idem cum tertio unitate compoſitionis, quæ plura involuit realitèr inter ſe diverſa.

Addimus. Partes ſimul ſumptas eſſe idem realitèr cum toto, & in hoc eodem ſenſu non eſſe realitèr diſtinctas inter ſe. Quia partes ſimul ſumptæ, & unitæ non differunt realitèr à ſe ipſis.

Dices: plura dicuntur de toto, quæ de partibus non dicuntur: quia de homine dicitur, quod operatur, quod generatur, & alia; quæ tamen de partibus non dicuntur: ergo totum realitèr à partibus diſtinguitur.

Reſp. poterat quod ea, quæ realitèr prædicantur de toto, prædicantur etiam de partibus ſimul ſumptis. Partes namque ſimul ſumptæ, & unitæ realitèr operantur, & generantur realitèr.

Dices: De partibus verificatur componere totum. De toto autem non verificatur, quod ſe ipſum componat: ergo aliqua verificantur realitèr de partibus, quæ non verificantur de toto.

Reſp. Quod partes ſimul ſumptæ, & unitæ ſolum componunt formalitèr, quatenùs ſunt cauſa formalis totius; non tamen componunt, materialitèr. Sed partes ſimul ſumptæ, & unitæ, & ipſum totum ſupponunt pro eodem cum ſola diſtinctione rationis inter utrumque.

Melius tamen hac ſolutione relicta reſp. Quod, ut aliqua dicantur de toto, quæ de partibus non dicuntur, ſufficit diſtinctio rationis formalitèr per intellectum, & fundamentalis à parte rei, quæ quidem verè reperitur inter totum, & partes ſimul ſumptas, & unitas. Sicut definitio conſtituit definitum, de quo non dicitur, quod conſtituat ſe ipſum. Et tamen definitum, & definitio ſolum differunt diſtinctione rationis, & non excludentis, & excluſi, ſed penès implicitum, & explicitum. Et ratio omnium eſt. Quia hæc prædicata, quæ de

ali-

aliquo dicuntur, & non de alio ſecum identificato, ſunt prædicata appellativa, & ita appellant ſupra unum ratione ab alio diſtinctum, & fundamentaliter à parte rei. Undè de rationali dicitur, quod facit differre hominem ab equo; non tamen hoc dicitur de animali, quamvis animal, & rationale idem realiter ſint.

3. Arg. Inter cauſam, & effectum realem datur realis diſtinctio. Nam idem realiter non poteſt cauſare ſe ipſum. Sed partes ſimul ſumptæ, & unitæ cauſant realiter totum: ergo totum realiter diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis. Probat. min. Quia partes realiter cauſant totum. Non diviſæ, & ſeparatæ: ergo ſimul ſumptæ, & unitæ.

Reſp. 1. diſt. min. Simultate concomitantiæ: conc. min. Simultate cauſalitatis: neg. min. & conſeq. Quia partes non cauſant totum ſimul ſumptæ ſimultate cauſalitatis. Eo quod partes ſimul ſumptæ ſunt realiter ipſum totum; cauſant tamen totum ſimul ſumptæ ſimultate concomitantiæ, quatenùs non una ſola cauſat, ſed materia, ut realiter diſtincta à forma, recipiendo formam cauſat totum: & forma actuando materiam totum ſimiliter cauſat. Et ideò cauſalitas unius concomitatur cauſalitatem alterius. Conſequenter que cauſant ſimul ſimultate concomitantiæ: totum tamen ab illis prout ſic realiter diſtinctum eſt.

Dices: Aliqua datur cauſa adæquata totius. Sed non alia, niſi partes ſimul ſumptæ: ergo ſimul ſumptæ cauſant totum ſimultate cauſalitatis. Prob. minor. Forma diviſive à materia, & materia diviſive à forma non eſt cauſa adæquata totius: ergo cauſa adæquata alia non eſt, niſi partes ſimul ſumptæ.

Reſp. neg. min. & ad prob. diſt. antec. Diviſivè diviſione unionis: conc. antec. Diviſione cauſalitatis: neg. ant. & conſeq. Licet namque materia, & forma diviſive diviſione unionis, ideſt, ut ſeparatæ, & diviſæ non ſint cauſa adæquata totius ſunt tamen cauſa adæquata diviſive, diviſione cauſalitatis, ideſt, materia ut exercet cauſalitatem in formam, & forma ſimiliter, ut concomitanter exercet cauſalitatem in materiam, cauſant adæquate totum. Quod eſt, ipſum cauſare ſimultate concomitantiæ, non tamen ſimultate cauſalitatis; ſed pro uno priori materia recipit, & forma recipitur, & pro alio poſteriori forma cauſat informando: quæ cauſalitates adinvicem ſe præcedunt in diverſo genere cauſæ, & advicem ſe concommitantur. Et ideò ſimul cauſant ſimul

multate concommitantiæ, in qua conſideratione realiter diſtinguntur à toto. Quam ſolutionem ſatis probabilem judicamus. Aliter tamen, & fortasè melius, & clarius.

2. Ad arg. reſp. Partes non eſſe cauſam extrinſecam totius, quæ per emanationem extra ſe producit effectum; ſed eſſe cauſam intrinſecam illius. Quia cauſant totum per unionem inter ſe, & communicationem ſui. Et ita non debent realiter à toto diſtingui. Eo quod cauſa intrinſeca non debet eſſe realiter diſtincta ab effectu, quem intrinſece cauſat, & ſimul ipſum conſtituit. Exemplum eſt in diffinitione, quæ cauſat intrinſecè diffinitum: & in quacumque forma, quæ in genere cauſæ formalis cauſat effectum intrinſecum. Et tamen inter diffinitionem, & diffinitum realis diſtinctio non eſt: nec inter formam, & intrinſecum effectum. Siquidem effectus intrinſecus nihil aliud eſt, quam forma ipſa ſubjecto communicata.

Sed inſt: Idem non poteſt cauſare realiter ſe ipſum: ergò ſi partes ſimul ſumptæ cauſam realiter totum, tanquam cauſa intrinſeca, & formalis ipſius, debent realiter ab illo diſtingui. 1. Prob. ant. Inter cauſam, & effectum realem datur realis relatio, & dependentia realis. Sed ejuſdem ad ſe ipſum non poteſt eſſe relatio, vel dependentia realis: ergo idem non poteſt realiter cauſare.

2. Prob. ant. Forma eſt cauſa intrinſeca reſpectu materiæ, & materia reſpectu formæ, & tamen realiter diſtinguuntur: ergo nunquam idem poteſt realiter cauſare ſe ipſum.

Reſp. diſt. ant. Tanquam cauſa extrinſeca, vel inadæquata: conc. ant. Tanquam cauſa intrinſeca, & adæquata: neg. ant. Et ad prob. diſt. mai. Inter cauſam extrinſecam, vel inadæquatam: conc. maj. Intrinſecam adæquatam: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Licèt namque inter cauſam extrinſecam, vel cauſam inadæquatam, & effectum detur realis relatio, & dependentia realis; non tamen inter effectum, & cauſam intrinſecam adæquatam. Sicut conſtat in effectu intrinſeco formæ, qui non dependet realiter à forma, nec dicit relationem realem ad ipſam, ſed eſt realiter ipſa forma ſubjecto communicata. Partes autem ſimul ſumptæ, & unitæ ſunt cauſa formalis, & intrinſeca totius.

Dices: Totum eſſentialiter importat relationem realem ad partes: & ipſæ partes realiter ordinatur ad totum, & realiter ab ipſo dependent tanquam à cauſa finali. Quia par-

tes

tes ſunt propter totum ut finem: ergò ſolutio nulla eſt.

Reſp. Totum dicere relationem realem ad partes diviſivè ſumptas, & partes ad totum: & etiam diviſive ſumptas ad ipſum ordinari tanquam ad finem, & ab illo realiter dependere; inter ipſum tamen, & partes ſimul ſumptas, & unitas non dari relationem, vel dependentiam realem, nec illas prout ſic à toto finalizari.

Ad 2. prob. antec. reſp. Formam non eſſe cauſam intrinſecam reſpectu materiæ, nec materiam reſpectu formæ; ſed ſolum formam eſſe cauſam intrinſecam reſpectu ſui ipſius, ut communicatæ materiæ. Cumque forma à ſe ipſa ut communicata materiæ realiter diſtincta non ſit, inde eſt cauſam intrinſecam nunquam eſſe realiter à proprio effectu diſtinctam.

Ex dictis in art. diſc. infert. 1. Quod quando Ariſt. 5. Metaph. textu 19. aſſerit: *Bis tria non eſſe ſex*, intelligendus eſt de tribus formaliter, & ut conſtituunt ſpeciem numeri ternarij, in quo ſenſu ſunt duo numeri ternarij, non tamen ſex: cæterum non negat Ariſt. bis tria materialiter eſſe ſex. Siquidem bis tria materialiter ſex unitates importat.

Infertur 2. Quod quando 7. Metaph. text. 60. affirmat Ariſtotel. Sylabam non eſſe elementa, tantum intendit ſylabam non eſſe elementa, vel litteras ſine ordine, ſicut aceruas lapidum; non tamen negat ſylabam eſſe elementa, vel litteras ordinate ſe habentes, ut ipſe in eodem explicat loco.

3. Colligitur quod ſi aliquis Patrum inveniatur affirmaſſe totum eſſe aliud præter partes, intelligendus eſt non de alietate reali, ſed de alietate rationis. Vel eſſe aliud præter partes diviſivè ſumptas, non tamen ſimul ſumptas, & unitas, & hoc intendit D. Thom. *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *queſt. unic.* 1. dum ait in Chriſto fuiſſe corpus, & animam, & ulterius formam totius: quod eſt dicere, Verbum aſſumpſiſſe corpus, & animam non ſeorſim, & diviſivè, ſed corpus, & animam, ut inter ſe uniuntur, & faciunt humanitatem. Et hæc de art. iſto, & toto lib. 1. Phyſic. locis in art. citat. & etiam in præcedentibus ad Philoſoph. applicanda.

LIBER SECUNDUS.

PHYSICORUM.

PRINCIPALIOREM de Natura, cauſa efficiente, & finali Ariſt. in 2. lib. diſputationem induxit, & in omni arte, caſu, & fortuna ingenij ſui, ſedes, & recta locavit. Naturæ quidem ante omnia virtutem prædicat, excellentiam indicat, cujus varia ſemper, & numeroſa poteſtas intrinſeca rebus, cunctorum motibus una, melior eſt omnibus, latis, extenſiſsima regnis. Quæ utique, tàm in viventibus, quàm non viventibus laborioſa viget; nunquam orioſa latet: quamque cupiditas artis ſemper Æmula imitari cupit: ſed artis forma, ſi natura apparet, ſemper obſcura filet. Fortunæ inſuper, quæ ordinem mutat, mutationes ordinat; & invariabili doctrina deſcribit, quàm variabilem eſſe docet, quàm pedibus priſci Vates finxere carentem, inque pila ſtantem, pennigeramque Deam. Rurſus, etiam inter omnia prædicta differentiam inveniri demonſtratione declarat, & claritate demonſtrat. Et dum eorum proprietates mentis fulgore corruſco abundantius explicat, explicatione corruſcat. Et tandem ad cauſas fœlicitèr tranſeundo diſcurrit, & diſcurrendo fœliciſsimè tranſit: fœlix definit omnes, fœlix conſequitur fines, fœlix pervenit ad metas, & fœlix, qui rerum potuit cognoſcere cauſas. Talem ergo fœlicitatem præſtet nobis Doctor veritatis Ang. Thom. Eccleſiæ lumen Aquinas, cui tot ſunt dotes, quot grana ſegetes, metalla generat Alpes, quod gemmas continet indus niger, quot herbas germinat ager, quot fluvius aquas, quot mare tenet arenas. Cujus gratia ſit.

QUÆSTIO PRIMA.

De Naturâ.

ARTICULUS I.

Quibus competat ratio Naturæ.

§. I.

Diffinitio Naturæ explicatur.

DIverſas naturæ acceptiones 1 p. q. 29. art. 1. explicavit D. Thom. quibus tamen omiſsis ad illud, quod principalius eſt, devenientes tradimus diffinitionem naturæ, de qua Philoſ. in præſ. text. 3. *Eſt ergò natura principium, & cauſa motus, & quietis ejus, in quo eſt primum per ſè, & non ſecundum accidens.*

Bonitas deſſinitionis iſtius prob.

prob. particulas explicando. Illa namque particula *principium*, & *cauſa*, ponitur loco generis. Quia in ratione principij convenit natura cum privatione, quæ eſt principium, licèt non ſit cauſa, & propterea à ratione naturæ non habeat. In ratione verò cauſæ convenit natura cum cauſa extrinſeca effectiva, vel finali. Aliæ autem particulæ *motus*, & *quietis* accipiuntur per diſtributionem accommodam, ut nulla ſit natura, quæ non ſit principium motus, vel quietis. Et aliqua etiam natura ſit, quæ eſt principium utriuſque, ſicut lapidis natura, quæ eſt principium motus in centrum, & ſimul quietis in ipſo.

Illa particula, *ejus, in quo eſt*, ſignificat naturam debere eſſe ſubjectum ipſius motus cujus eſt naturale principium: quia ignis v. gr. non habet naturam, propterea quod alia calefaciat, & moveat; ſed potius quia in ſe recipit motum ſurſum, & in ſe ipſo habet principium illius.

Illa particula *primum* denotat naturam debere eſſe, non principium, & cauſam qualecumque, ſed principium radicale, & primum motus. Alia particula *per ſe*, & *non ſecundum accidens* excludit à ratione naturæ illud principium motus, quod ſolum per accidens, & non per ſe eſt in eodem ſubjecto, in quo motus reperitur. Sicut ars, qua medicus ſe ipſum curat, per accidens eſt in ipſo medico, & æquè benè ars eſſet principium motus ſanationis, & fortaſè melius, ſi infirmus non haberet artem, & ab alio curaretur.

Sed inſt. contra definitionem aſſignatam. Quia nihil poteſt eſſe principium oppoſitorum. Sed motus, & quies opponuntur: ergò natura non poteſt eſſe motus, & quietis principium.

Reſp. diſt. maj. Oppoſitorum ſimul, & in eodem ſtatu convenientium ſubjecto: conc. maj. Diviſivè convenientium: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Quia natura non eſt principium motus, & quietis ut habendæ ſimul cum motu, ſed habendæ ſucceſſivè, vel pro tempore diverſo: ſicut natura lapidis eſt principium motus antequam veniat ad centrum, & principium quietis cum in centro reperitur.

Sed inſt. Natura non poteſt radicare oppoſita etiam ſucceſſivè convenientia, vel pro diverſo ſtatu: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Natura inclinationem habet ad ea, quæ radicat. Sed non poteſt habere inclinationem ad oppoſita. Aliàs daretur duplex oppoſita inclinatio in eadem natura: ergo non poteſt oppoſita radicare etiam pro diverſo tempore convenientia.

2. Inſt. Natura non poteſt eſſe prin-

principium non entis, vel nihil. Sed quies eſt carentia motus, & conſequenter eſt nihil: ergo natura non poteſt eſſe principium quietis.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. min. Quia inclinationes ad terminos oppoſitos ſucceſsivè convenientes, vel pro tempore diverſo non ſunt inclinationes oppoſitæ. Quia non tendunt ad terminos ipſos, ut exercentes oppoſitionem, & ſimul habendos, & ita inclinatio ad terminos, quorum unum alterum excludit poteſt eſſe ſimul in materia. Sicut homo ſimul habet potentiam ad ſedendum, & ambulandum, licèt non habeat potentiam ad ſedendum, & ad ſimul ambulandum. Et eadem gratia juſtificans eſt principium meriti, & motus proſtatu viæ, & viſionis beatæ, vel quietis pro ſtatu patriæ.

Ad 2. inſt. reſp. Naturam non eſſe principium quietis, & cauſam illius, quatenùs quies eſt præcisè carentia motus. Sic enim quies non habet cauſam per ſe; ſed natura eſt principium quietis ſecundum quod quies eſt poſſeſsio termini, permanentia, & conſervatio in loco naturali: ſecundùm quam rationem quies eſt eliquid poſitivum, & primario terminat inclinationem naturæ.

2. Arg. Calefactio ignis eſt illi naturalis, & tamen non recipitur in igne, ſed potius in ſubjecto, quod calefacit. Eò quod actio tranſiens non recipitur in agente, ſed in paſſo: ergo datur motus naturalis non receptus in ſubjecto, in quo eſt natura, qui talem motum radicat.

Reſp. aliqui calefactionem ignis eſſe quidem naturalem propter. Inclinationem principij paſſivi ſcilicèt materiæ, quæ reperitur in lingno, in quo calefactio recipitur. Et ità calefactio recipitur in ſubjecto; in quo eſt natura, quæ eſt principium ipſius, non activum, ſed paſsivum.

Hæc tamen ſolutio continet doctrinam falſam. Quia calefactio, quæ producit calorem ut octo, vel ſaltim calorem ut ſeptem eſt naturalis in ligno, in quo recipitur; calefactio vero, quæ minorem calorem producit, ſemper eſt ligno violenta. Eo quod eſt contra inclinationem formæ ligni, quæ prædominatur in ligno, uſque ad ultimam, vel penultimam diſpoſitionem ad formam oppoſitam. Et motus contra inclinationem prædominantem ſemper eſt violentus: conſequentèrque calefactio ſolùm dici poteſt naturalis propter naturam calefacientis. Et tamen non recipitur in ipſo: ergo manet in ſolutum argumentum, & ideò alitèr.

Reſp. diſt. maj. Naturalis in lata acceptione: conc. maj. Strictè naturalis: neg. maj. Et conc. min.

min. neg. conſ. Illa namque calefactio non eſt naturalis inſenſu proprio, qualitèr accipitur in præſenti pro motu videlicèt, qui eſt à principio intrinſeco ſubjecti, cujus eſt motus; ſed ſolum eſt naturalis naturalitate ſumpta pro inclinatione naturali ad terminum, vel pro termino talis inclinationis. Sicut infrigidare dicitur naturale aquæ, vel nivi, & Angelo naturale eſt ſe ipſum cognoſcere: & homini circa plura diſcurrere.

Ex his, quæ diximus ſuprà dictam definitionem explicantes, clariſsimè conſtat traditam diffinitionem eſſe quidditativam. Quia datur per eſſe primum, & radicale principium motus, & quietis: eſſe verò primum, & radicale principium motus, & quietis eſt de eſſentia naturæ. Eo quod eſt primum quod intelligitur in natura. Et eſſentia rei debet eſſe ea forma, quæ primo intelligitur in ipſa re. Tùm etiam quia nomen naturæ per ſe primò ſignificat conceptum radicis, motus, vel operationis. Et ita nèc de potentia abſoluta poteſt dari natura, quæ non ſit principium motus, vel quietis, quod quidem ſignum eſt, eſſe primum, & radicale principium eſſe de eſſentia naturæ. Et conſequentèr, diffinitionem datam eſſe quidditativam. Sicut gratia ſanctificans eſſentialitèr diffinitur per eſſe principium radicale cognoſcendi, & amandi Deum tanquam auctorem, & finem connaturalem. Et ipſam etiam divinam naturam conſtituimus per illud prædicatum, quod eſt prima radix operandi.

Sed inſt. Prius eſt naturam eſſe in ſe ipſa, quam operari. Eo quod operari ſequitur ad eſſe; ergo eſſe primum, & radicale principium, non eſt quod primo intelligitur in natura, & conſequenter eſſentia natura non eſt.

Reſp. diſt. ant. Naturam ſecundum conceptum eſſentiæ: conc. ant. Secundum conceptum naturæ: neg. ant: & conſeq. Natura namque ſecundum conceptum eſſentiæ dicit ordinem ad eſſe, & prior eſt ſe ipſa ſecundum conceptum naturæ: quamvis hi duo conceptus non diſtinguantur adæquatè. Natura verò ſecundùm rationem naturæ non eſt prius, quam eſſe radicem operandi, ſed potiùs in conceptu radicis conſiſtit eſſe differentiale naturæ. Et quando dicitur: prius eſt eſſe, quam operari, intelligitur de operatione exercita, & potentia proximè operativa, quæ ſupponunt eſſe ſubjecti, non tamen de operari radicalitèr in actu primo, quod non conſequitur ad eſſe, ſed eſt ipſum eſſe naturæ. Nam tale prædicatum, licèt connotet motum, & operationem poſſibilem, non tamen dicit ela-

tio-

tionem ad ipſam, ſe verè abſolutum eſt.

Dices. Natura in diffinitione prædicta diffinitur per motum, qui eſt illius effectus: ergo diffinitio deſcriptiva eſt.

Reſp. Non diffiniri per motum in recto, ſed per eſſe principium radicale illius, in quo eſſentia naturæ ſita eſt.

Sed inſt. Natura non poteſt eſſentialiter diffiniri per ordinem ad aliquod accidens, eo quod eſt ſubſtantia. Et conſequenter eſt aliquid abſolutum, & ens ad ſe, & non per ordinem ad accidens. Sed in diffinitione data diffinitur per ordinem ad motum, qui eſt accidens: ergo diffinitio eſſentialis non eſt.

Reſp. diſt. maj. Per ordinem relativum: conc. maj. Per ordinem connexionis, vel connotativum: neg maj. & ſecundùm eandem diſt. min. neg. conſ. Natura namque non diffinitur per veram relationem ad motum, ſed ſolùm per connexionem, & connotationem ad ipſum. Eo quod principium, & cauſa diffiniri non poſſunt ſine connotatione ad effectum, quæ tamen connotatio non extrahit naturam à ratione entis abſoluti, & entis ad ſe. Siquidem connotatio iſta vera ratio non eſt.

§. II.

Violenti diffinitio explicatur.

STatuta diffinitione naturæ, violentum diffinire debemus, quod ſit illud. *Quod ſit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim.* Quæ diffinitio coincidit cum alia à Phil. tradita 3. Ethic. cap. 1. dicente: *Violentum eſt cujus principium eſt foris, in quod nihil confertis, qui agit, aut patitur.* Sicut quando lapis proijcitur ſurſum, talis motus eſt violentus: quia fit ab extrinſeco, ſcilicèt à proijciente lapidem, & ipſe lapis non confert, vel juvat ad motum, ſed potiùs illi ratione propriæ gravitatis poſitivè reſiſtit: qualiter in præſenti intelligitur illa particula paſſo non conferente vim. Quia videlicèt, ad violentum non ſufficit, quod paſſum mere negativè ſe habeat; ſed requiritur, quod poſitivè reſiſtat per contrariam inclinationem. Nam lapis non confert vim ad formam artificialem in lapide introducendam. Et tamen quia poſitivè non reſiſtit, forma ipſa artificialis lapidi violenta non eſt. Alia autem particula *ſit ab extrinſeco* excludit naturale, & voluntarium, quæ debent ab intrinſeco provenire.

§. III.

§. III.

Ad violentum ſufficit eſſe contra inclinationem principij paſsivi.

DOctrina hæc expreſſa eſt D. Th. 1. 2. q. 6. artic. 4. dicentis: *Non ſemper quod paſſum movetur ab. activo, violentatur, ſed ſolum quando eſt contra inclinationem principij paſsivi.* Sentit ergò D. Th. quod motus, qui eſt contra inclinationem principij paſsivi eſt violentus. Et conſequenterque ad violentum ſufficere, quod procedat contra inclinationem principij paſsivi.

Ratione verò probatur. Ideò quod eſt contra principium activum, eſt violentum: quia principium ipſum activum illi per ſuam inclinationem reſiſtit. Sed principium paſsivum etiam reſiſtit per ſuam inclinationem illi, quod eſt contra ipſum: ergo ad rationem violenti ſufficit eſſe contra principium paſsivum.

Hoc idem probat. ad hominem contra Vazquez 1. 2. *diſpt.* 2. 5. *capit.* 3. dicentem: principium paſsivum habere rationem naturæ. Sed ſi rationem naturæ habet, violentum erit illud, quod eſt contra ipſum: ergo ad rationem violenti ſufficit eſſe contra inclinationem principij paſsivi.

Dices: Ariſt. in 2. Phyſicor. text. 9. docet, quod violentum eſt contra intrinſecum impetum paſsi. Sed impetus activitatem ſignificat: ergo ad violentum requiritur eſſe contra principium activum.

Dices 2. D. Th. *q. 5. de Potent. art.* 5. docet: quietem cœlorum poſt diem judicij non fore violentam: quia motus cœlorum non eſt naturalis ratione principij, quod poſt diem judicij perſeverabit in cœlo. Sentit ergò D. Th. ad violentiam requiri, quod fiat contra principium activum.

Dices 3. quod humanitas Chriſti habet inclinationem paſsivam ad propriam ſubſiſtentiam. Et tamen illa carere non eſt humanitati violentum. Et ſimilitèr aer habet inclinationem ad lucem: & materia ad formam. Et tamen carentia lucis non eſt aeri violenta: nec materia violentiam patitur, quando amittit formam, quam antecedentèr habebat.

Reſp. ad 1. repl. Quod impetus non ſemper ſignificat activitatem; ſed aliquando ſolum ſignificat pondus, & inclinationem ad aliquid. In quo ſenſu ibi ſumitur ad Ariſt. Et cum principium paſsivum habeat etiam pondus, & propriam inclinationem, indè fit, eſſe violentum, quod procedit contra principium paſsivum.

Ad

Addimus. Propoſitionem Ariſt. non eſſe excluſivam, ſed ſolum aſſertivam. Et ideò ex quo illud, quod eſt contra impetum ſubjecti, violentum ſit, non infertur non eſſe violentum, quod eſt contra inclinationem principij paſſivi: ſed Ariſt. in principio, activo, quod eſt magis notum, appoſuit exemplum.

Ad ſecundam reſpondetur. Ly quia adductum à D. Thom. non dicere cauſam abſolutè, ſed ſolum cauſam ex ſuppoſitione. Quia poſt diem judicij non erit in Cœlo principium paſſivum inclinatum ad motum. Eo quod non erit tunc influxus Cœli in hæc corpora inferiora: & hoc ſuppoſito benè infertur quietem non fore violentam: quia motus, naturalis non eſt ratione principij activi. Et ideò ſi aliundè ſupponitur poſt diem judicij non manere principium paſſivum inclinatum ad motum; benè inferetur quietem non fore violentam.

Ad tertiam: neg. maj. Quia inclinatio, quam humanitas Chriſti habet ad propriam ſubſiſtentiam faciata eſt per ſubſiſtentiam divinam infinitam, & eam neceſſariò continentem ſubſiſtentiam creatam, & præſtantem humanitati quidquid propria ſubſiſtentia præſtaret. Et ideò humanitas actuata per ſubſiſtentiam divinam non manet cum inclinatione proxima, & expedita ad ſubſiſtentiam creatam.

Ad illud de aere dicitur. Quod aer non inclinat determinatè ad lucem, ſed ad lucem, vel tenebras: & ſimiliter materia non inclinat ad hanc formam determinatè, ſed ad omnes vagè, & ſub ratione communi formæ. Quapropter, aer maneret violentus ſi luce, & tenebris careret, non tamen cum ſola carentia lucis. Et materia ſi careret omni forma, non tamen propter carentiam illius determinatè. Sicut oculus diſpoſitus ad videndum maneret etiam violentus ſi privaretur omni ſpecie. Et corpus ad motum præparatum ſi privaretur omni motu.

§. IV.

Naturalia ab artificialibus diſtinguntur.

ANgelicus Præceptor. 1. 2. quæſt. 57. artic. 5. docuit, quod ars eſt *recta ratio operum faciendorum juxta regulas artis.* Ideſt habitus, quo mediante facit potentia opera conformia regulis artis. Undè ars ſolum eſt principium proximum, in quo diſtinguitur à natura, quæ eſt radicale principium.

Artem autem non poſſe efficere opera naturæ communiter affirmant Phyloſophi, & jure optimo. Quia ars nullam formam naturalem poteſt efficere: ergo opera naturæ facere non poteſt. Prob. ant. Forma naturalis non continetur in virtute artis, ſed ſolum continetur forma artificialis: ergo ars nullam formam naturalem poteſt efficere. Prob. ant. Nullus habitus continet in virtute ſua, niſi effectum ejuſdem lineæ. Sicut habitus Phyloſophiæ ſolum continet actus ad phyſicam pertinentes. Et habitus cujuſcumque virtutis ſolum etiam continet actus pertinentes ad eandem ſpeciem, ad quam pertinet virtus: ergo nulla forma naturalis continetur in virtute artis, ſed tantummodo forma artificialis in illius virtute continetur. Nam hæc ſola pertinet ad lineam ipſius entis.

Conf. Opera naturæ procedunt à primo, & radicali principio, & ab illius virtute inſtrumentaria. Sed habitus artis, nec eſt principium radicale, nec virtus illius inſtrumentaria. Siquidem non dimanat ab illo: ergo habitus artis non poteſt efficere opera naturæ.

Conf. & urgetur. Quia ars operatur media idea artificis. Sed mediante idea non poteſt efficere opera naturæ. Siquidem idea in creatis ſolum eſt reſpectu artificialium: ergo idem quod priùs.

Rursùs. Quia ens artificiale procedit efficienter ab arte. Sed ars eſt extra ipſum artificium. Eo quod ars ſolum invenitur in ratione practica operantis: ergo ens artificiale eſt, cujus principium eſt extra. Et conſequenter non eſt ens naturale, ac proindè ars. Non faciet opera naturæ.

Dices. Sanitas infirmi naturalis eſt. Et panis etiam eſt ens naturale, & tamen fiunt per artem: ergo ars poteſt opera naturæ efficere.

Reſp. Sanitatem non cauſari ab arte, ſed à medicina, quæ per artem applicatur. Et panem etiam non fieri ab arte, ſed ab alijs, quæ per artem applicantur ſcilicèt à fermento, farina, & aqua. Et ita opera naturæ ſolum fiunt ab arte efficienter applicativè, quatenùs ars applicat activa paſsivis, & ſic opera naturæ facit.

Sed inſt. Quod in libro Exodi narratur magos Egyptiorum feciſſe ſerpentes, & alias plagas, & virgas in ſerpentes convertiſſe. Sed hoc per artem fecerunt: ergo.

Reſp. ramen ex D. Th. *q. 3. de Potent. art. 1. ad 3.* Serpentes illos non fuiſſe factos per artem, niſi tantum applicativè. Quia dæmones applicando aliqua naturalia, & illa conjungendo

gendo cum alijs fecerant talia viventia reſultare ſecundum diverſam diſpoſitionem illorum optium naturalium, quæ dœmones applicabant.

Modo autem explicata natura artis facilis manet via ad probandum naturalia ab artificialibus eſſe diſtincta. Quia naturalia habent in ſe principium ſui motus, ſecus autem artificialia: ergo ad invicem diſtinguntur. Probatur anteced. Ens naturale conſtituitur per formam naturalem, & ens artificiale, per formam artificialem. Sed forma naturalis eſt principium motus naturalis; forma verò artificialis principium motus non eſt: ergo naturalia habent in ſe principium ſui motus: ſecus autem artificialia.

Sed inſtabis. Aliqua entia naturalia ſunt aptiora ad unam formam artificialem, quam ad alteram recipiendam: ergò entia artificialia, quæ fiunt ex ipſis habent in ſe principium paſſivum ſuæ formæ, & ipſius motus, quo forma artificialis introducitur. Conſequenter non diſtinguuntur ab ente naturali.

Conf. Forma artificialis eſt principium alicujus motus: ergo ratio ſupra facta nititur principio falſo. Prob. ant. Forma artificialis navis eſt principium paſſivum motus ipſius navis: & forma artificialis plauſtri eſt principium paſſivum motus ejuſdem: ergo ant. verùm eſt. Prob. ant. Sine forma artificiali non poſſet moveri navis, nec plauſtrum moveretur ab equis: ergo forma artificialis utriuſque eſt principium motus.

Ad inſt. reſp. Aliqua entia naturalia eſſe magis apta ad unam formam artificialem. Hæc tamen major aptitudo non eſt per modum inclinationis, & exigentiæ, ſed ſolum per modum non repugnantiæ: & primum requirebatur, ut illud principium paſſivum rationem haberet naturæ.

Ad confirmationem verò reſpondent aliqui. Formam artificialem eſſe principium motus, quantum ad modum, vel quantum ad majorem velocitatem; non tamen quantum ad ſubſtantiam motus, in quo diſtinguitur à forma naturali, quæ eſt principium intrinſecum motus, quantum ad ſubſtantiam ipſius.

Hæc tamen ſolutio vera non eſt. Quia modus velocitatis eſt aliquid naturale, licèt imperfectum. Et conſequenter non poteſt informa artificiali radicari. Si namque forma artificialis radicaret motum quantum ad modum velocitatis, jam haberet rationem naturæ, ac proindè eſſet forma naturalis, non autem artificialis.

Reſpondetur igitur alitèr ad argumentum. Quod licèt ſine for-

forma artificiali non posſit navis moveri, non inde infertur talem formam esse principium motus Sed solum esse conditionem ad talem motum requisitam. Principium vero, in quo motus radicatur, solum est forma ligni, & aliorum, ex quibus conficitur navis.

Sed inst. Forma artificialis dat esse, & constituit ipsum ens artificiale: ergo erit principium motus. Quia operari sequitur ad esse, & consequenter, si talis forma dat esse, dabit etiam operari.

Resp. facilè. Quod operari sequitur ad esse naturale, non tamen ad esse artificiale. Undè in artefacto logicali forma rationis dat esse, & ipsam demonstrationem constituit, & tamen forma rationis non est principium, quo demostratio producit habitum realem, sed sola conditio est. Causa verò realitèr productiva est ipsa virtus naturalis intrinseca præmissarum.

Sed inst. Quando corpus piramidale, & corpus rotundum æquali impulsu projiciuntur, perfectius movetur corpus rotundum, quàm corpus piramidale. Sed illa major velocitas, & perfectio provenit ab artificiali forma tanquam ab ipsius principio; ergo forma artificialis non solum est conditio, sed etiam principium motus. Prob. min. Illa major velocitas, & perfectio non provenit ex malore virtute moventis. Siquidem utrumque corpus æqualiter impellitur ab agente: ergo provenit solum ab artificiali forma.

Resp. neg. min. Quia illa major perfectio, & velocitas radicalitèr provenit à forma naturali quæ conjuncta cum tali forma artificiali spherica, vel rotunda, velociorem motum radicat, efficienter autem illa velocitas provenit ab impellente ex cuius actione velocior motus resultat in corpore rotundo propter majorem dispositionem ad motum. His ergo pro generali doctrina constitutis, ad principia naturalia deveniendo.

§. V.

Statuitur prima Conclusio:

Materia, & forma habent rationem naturæ.

Concluſ. istam docuit Ang. Doct. 2. Physic. lect. 1. & 2. ubi asserit, quod in rebus naturalibus eodem modo est principium motus, quo eis convenit movere. Quibus ergo movere convenit est principium motus activum: quibus autem convenit moveri, est principium passivum, quod est materia, quod principium, in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam, & motum facit esse motum naturalem: ergo pria-

principium activum, & paſsivum, vel materia, & forma habet rationem naturæ.

Ratione verò quoad utramque partem brevitèr probatur concl. Quia forma ſubſtantialis eſt primum, & radicale principiũ activum motus; materia autem eſt primum paſsivum: ergo utraque habet rationem naturæ. Patet conſeq. Quia ly primum, & radicale in diffinitione naturæ extenſivè ſumitur, quatenus primum radicale, tàm activum, quàm paſsivum comprehendit, & in oppoſitum non eſt aſsignabilis ratio. Ant. ſimilitèr conſtat. Quia motus alterationis, generationis, & corruptionis radicatur in materia, & non in forma. Eo quod tendit ad non eſſe formæ, & deſtructionem illius. Et motus gravis in centrum radicatur in forma gravis, à qua gravitas ipſa dimanat: ergo forma eſt primum principium activum, & materia primum, & radicale paſsivum.

Sed inſt. Quia D. Th. 3. p. q. 33. art. 4. docèt. Conceptionem Chriſti Dom. in viſceribus B. Virg. non naturalem, ſed miraculoſam fuiſſe, & virtute Spiritus Sancti. Et tamen principium paſsivum, ſcilicèt Virgo Beata fuit principium naturale: ergo principium paſsivum ad rationem naturæ non ſufficit.

Reſp. diſt. min. Naturale in eſſe entis: conc. min. in ratione mobilis: neg. min. & conſeq. Licèt namque Beata Virgo fuerit entitativè naturalis; fuit tamen ſupernaturaliter mota virtute Spiritus Sancti. Ad motum verò naturalem requiritur principium paſsivum moveri conſueto modo, & naturaliter ab activo.

2. Inſt. Materia lapidis nullum motum radicat: ergò rationem naturæ non habet. Prob. antec. Non enim radicat motum ſurſum, vel motum deorſum diviſivè, & determinatè. Quia non eſt major ratio unius quam alterius. Sed utrumque radicare non poteſt: ergo nullum motum radicat. Prob. min. Motus illi ſunt contrarij. Sed principium naturale non poteſt motus contrarios radicare: ergo minor vera eſt.

Conf. Nèc motus ſurſum, nèc deorſum recipitur in materia prima. Quia in via D. Th. accidentia in compoſito recipiuntur: ergo materia primum principium non eſt motus ſurſum, vel deorſum.

Reſp. ad arg. communiter. Motus illos inter ſe eſſe contrarios, non tamen comparativè ad principium. Quia reſpiciuntur per modum unius termini adæquati, & ut acquirendi pro diverſo ſtatu; non tamen ut ſimul habendi. Sicut motus, & quies inſpiciuntur à natura, non

non tamen ut ſimul habenda.

Dices: Natura eſt ad unum determinata: ergo principium naturale non poteſt motus inter ſe oppoſitos radicare.

Reſp. diſt. ant. Ad unum ex parte modi: conc. ant. Ad unum materialitèr, & ex parte rei: nego antecedens, & conſequentiam. Quia natura ex parte modi eſt ad unum determinata. Eo quod non tendit ad unum cum indifferentia ad oppoſitum, ſicut agentia libera: ex parte verò rei poteſt reſpicere plura. Sicut appetitus materiæ naturalis, & innatus terminatur ad omnes formas.

Ad conf. verò dicimus. Quod accidentia immediatè recipiuntur in compoſito tanquam in ſubjecto *quod*; cæterum ſubjectum *quo* primum, & radicale quod eſt prima ratio recipiendi eſt ipſa materia, ratione cujus compoſitum recipit accidentia.

Hæc ſolutio ſufficienter argumento ſatisfacit; vera tamen non eſt. Quia materia radicare non poteſt motum non conformem illius inclinationi. Sed motus deorſum in lapide conformis non eſt inclinationi materiæ: ergo illum radicare non poteſt. Prob. min. Motus deorſum non diſponit ad novam formam, ſed potius conducit ad lapidem conſervandum: ergo non eſt conformis inclinationi materiæ, quæ appetit novam formam, & motus præparantes ad illam, & ideò alitèr.

Reſp. argumento. Materiam lapidis radicare motum ſurſum, qui tendit ad lapidis deſtructionem, & diſponit ad novam formam. Et ideò conformis eſt inclinationi materiæ; non tamen talis motus in materia radicatus dicitur naturalis, Eo quod eſt contra inclinationem formæ, quæ ſemper prædominatur, uſque dum materia habeat plures diſpoſitiones ad oppoſitam formam. Ad confirmationem verò bona eſt data ſolutio.

3. Inſtabis. Si materia haberet rationem naturæ, calefactio aquæ eſſet illi naturalis. Nam talis calefactio diſponit ad novam formam, quam materia appetit. Et conſequentèr eſt materiæ conformis, & ita erit naturalis, ſi ſemel materia habet rationem naturæ. Sed hoc non eſt dicendum: ergò materia natura non eſt.

Reſp. diſting. maj. Calefactio productiva caloris ut octo, vel ſaltim ut ſeptem? conc. maj. Si minorem calorem producat: nego maj. min. & conſequent. Quia, ſi calefactio producit minorem calorem, adhuc inclinatio formæ prædominatur in ſubjecto. Et ita calefactio, quamvis in aqua radicetur, erit violenta. Eo quod eſt contra incli-

nationem formæ prædominantem. Si verò calefactio producit calorem ut octo, vel ut ſeptem, jam in ſubjecto prædominabitur inclinatio materiæ radicantis talem motum. Et ideò calefactio erit aquæ naturalis.

Sed urgebis. Motus ad formam artificialem non eſt naturalis. Et tamen eſt materiæ conformis: ergo materia naturæ non eſt.

2. Materia ex ſe non eſt principium motus ſurſum ſpecificè ſumpti, ſed hoc ſolum habet à forma. Eo quod materia indifferens eſt ex propria natura, tàm ad motum ſurſum, quàm ad motum deorſum: ergo materia lapidis nullum motum ratione ſui radicat, & conſequenter natura non eſt.

3. Ens naturale non diſtinguitur ab artificiali ratione materiæ, ſed ratione formæ. Quia aliquando materia utriuſque eadem eſt; ſicut eadem eſt materia ligni, & materia cathedræ: ergo materia non eſt natura. Aliàs ratione illius eſſet ens naturale ab artificiali diſtinctum.

Reſp. ad 1. diſt. min. Conformis negativè: conc. min. Poſitivè: neg. maj. & conſeq. Quia motus ad formam artificialem non eſt conformis poſitivè materiæ, quæ non dicit inclinationem poſitivam ad ipſam, ſed ſolum non repugnantiam, & potentiam obedientialem: quæ conformitas cum principio paſſivo ſatis non eſt, ut motus ſit naturalis.

Ad 2. Materiam lapidis à ſe ipſa tanquam à ratione formali habere radicare motum ſurſum in lapide, & ſolum à forma tanquam à conditione dependere. Sicut forma ad radicandum motum deorſum à materia tanquam à conditione dependet. Non enim radicat, niſi materiæ conjuncta.

Ad 3. Nunquam materiam entis naturalis eſſe eandem cum materia entis artificialis. Quia materia entis artificialis eſt totum ſubſtantiale. Materia verò entis naturalis ſemper eſt pura potentia, & ipſa materia prima.

Contra 2. partem concluſ. arg. 1. Quia forma non viventium non eſt principium activum motus. Eo quod non viventia non moventur à ſe, ſed ſolum à generante: ergo talis forma natura non eſt.

Confirm. Natura ſemper eſt principium motus exiſtentis in eodem ſubjecto, in quo eſt ipſa natura. Sed principium activum non eſt principium motus eius in quo eſt, ſed alterius ſubjecti. Nam movere activè ſemper eſt reſpectu alterius: ergo principium activum non habet rationem naturæ. Et conſequenter forma natura non eſt.

Reſp.

Reſp. ad arg. Quod licèt motus non viventium ſit efficienter à generante, provenit tamen ab illorum forma radicaliter dimanativè, quatenùs à forma dimanat, & hoc ad rationem naturæ ſufficit.

Ad conf. verò facilè reſp. Quod activè movere non ſemper eſt reſpectu alterius, ſed quandoque reſpectu ſui. Nam forma ignis eſt principium motus ſurſum, per quem ignis ipſe movetur: & forma viventis eſt principium activum motus vitalis, per quem vivens ſe movet in actu ſecundo.

Dices: Principium activum motus ſolum habet movere, vel agere, non verò eſſe mobile paſſivè: ergo non eſt principium motus ejus, in quo eſt.

Reſp. Principium activum motus ſolum habere movere ſubjectum, ſed quandoque movet ſubjectum in quo eſt. Sicut ignis ratione formæ movet ſe ipſum, & ratione materiæ movetur.

Dices. Objectum Philoſophiæ non eſt ens mobile activè, ſed ſolum mobile paſſivè. Nam objectum phyſicæ explicatur per hos terminos *ens mobile*, per quos tantum explicatur mobile paſſivè: ergo mobile ratione principij activi non pertinet ad objectum Philoſophiæ. Ac proindè principium activum naturale non eſt.

Reſp. facilè. Quod per *ly* mobile, quod eſt objectum Philoſophiæ, intelligitur utrumque mobile tam activum, quàm paſſivum. Quia utrumque per ens mobile nominamus.

2. Arg. Naturale illud eſt, quod fit à natura. Sed anima rationalis non fit à natura, ſed à ſolo Deo producitur: ergo anima rationalis natura non eſt.

Reſp. Quod, ut aliquid habeat rationem naturæ, non requiritur fieri à natura. Sicut patet in Cœlo, quod quidem in prima productione, tàm ſecundum materiam, quàm ſecundum formam fuit à ſolo Deo productum. Addimus Animam rationalem, licet à ſolo Deo producatur, uniri tamen ab homine cum materia: quod ad rationem naturæ ſufficit. Aliàs nec ipſa materia rationem naturæ haberet. Quia ab homine non producitur, ſed ſolum unitur.

3 Arg. Anima rationalis formaliter ut talis non eſt principium motus ſenſibilis, & phyſici; ergo non habet rationem naturæ. Et conſequenter aliqua forma natura non eſt. Prob. antec. Anima rationalis formaliter ut talis ſolum radicat operationes intelligendi, & amandi. Sed iſtæ non ſunt formaliter ſenſibiles: ergo non eſt principium motus ſenſibilis, & phyſici.

Reſp. diſt. min. Senſibiles in ſe, & formaliter: conced. min. Præſuppoſitivè: neg. min. & conſeq. Quia intellectus pro ſtatu vitæ præſentis intelligit per ſpecies abſtractas à ſenſibus, quæ ſemper connotant materiam ſenſibilem, & eandem connotat intellectio. Et ita anima, ut radicat operationes intelligendi, & amandi, ut dependentes à ſenſibus, & materiam ſenſibilem connotantes habet rationem naturæ.

Dices: Juxta ſolutionem datam operationes intelligendi, & amandi entitativè, & in ſe ipſis non ſunt operationes ſenſibiles; ergo anima rationalis ſecundum ſuam entitatem conſiderata non habebit rationem naturæ.

Reſp. diſting. conſeq. ſecundum ſuam entitatem præciſivè: conc. conſeq. Ut corpori unitam neg. conſeq. Sicut namque operationes intelligendi, & amandi ſecundum ſubſtantiam ſuam, & ut præſcindentes à connotatione materiæ ſenſibilis non pertinent ad Philoſophiam: ita anima ſolum ut unita corpori, & intelligens dependenter à ſenſibus habet rationem naturæ; non tamen ſecundum ſuam entitatem præciſivè ſumptam. Undè anima rationalis inſtatu ſeparationis rationem naturæ non habet.

§. VI.

Secunda Concluſio.

Natura univocè dicitur de materia, & forma.

COncluſ. iſtam latè probavimus de actu metaphyſico materiæ diſputantes. Et modo illam brevitèr ſuademus. Quia ratio naturæ univocè dicitur de principio activo, & paſsivo. Sed materia eſt primum principium paſsivum, & forma primum principium activum: ergo ratio naturæ univocè de utraque prædicatur. Min. cum conſequent. tenet, & prob. min. Quia utrique principio, tàm activo, quàm paſsivo convenit ſimplicitèr diffinitio naturæ, eſſe videlicèt *primum, & radicale principium motus ejus, in quo eſt.* Ut diximus naturæ diffinitionem explicantes: & quod dependentia materiæ à forma ſolum eſt in ratione particulari, quod ſolum ſufficit ad cauſandam phyſicam analogiam: ergo ratio naturæ univocè dicitur de principio, tàm activo, quàm paſsivo.

Dices 1. Forma eſt magis natura, quam materia: ergo ratio naturæ inæqualitèr ab utraque participatur. Et conſequentèr analoga eſt.

2. Inſt. Quia Ariſt. 5. Math. cap.

cap. 4. asserit, quod omnis substantia metaphoricè natura dicitur præter formam: ergo nulla substantia præter formam est simpliciter natura.

Resp. ad 1. Formam esse magis perfectam; non quidem in ratione communi naturæ, secundum differentiam particularem: quod solum arguit physicam analogiam. Sicut homo secundum rationem particularem perfectior est omni animali, & tamen cum omni animali habet in ratione communi animalis univocam convenientiam.

Ad 2. Formam tribuere speciem essentialem omnibus rebus. Et ideò sumpta natura pro quidditate, & specie sola forma est verè propriè natura; aliæ verò metaphoricè, & ex participatione formæ

Sed inst. Aliæ substantiæ diversæ à forma habent suam quidditatem, & essentiam: ergo natura sumpta pro quidditate, & essentia non convenit soli formæ, sed etiam verè, & propriè competit alijs.

Resp. dist. conseq. Alijs tanquam habentibus: conc. cons. Alijs ut communicantibus: nego conseq. Arist. namque solum intendit, quod natura sumpta pro quidditate, solum verè competit formæ ut communicanti quidditatem saltim completam, alijs verò solum competit quidditatem communicare metaphoricè, & impropriè, licèt verè alijs competat quidditatem habere: sicut, & habere formam.

§. V.

Tertia Conclusio.

Cœlum verè, & propriè habet naturam.

CONclusio ista quantum ad omnes Cœlos probatione indiget. Et in primis de Cœlo Empyreo prob. Quia Cœlum Empyreum habet influxum in alios Cœlos inferiores, & virtutem continendi illos, & aliquo modo causandi, sicut docet Ang. Doct. 2. p. q. 66. artic. 3. ad 2. per ea verba: *Probabilius tamen videtur dicendum, quod sicut supremi Angeli, qui assistunt, habent influentiam super medios, & ultimos, qui mittantur, quamvis ipsi non mittantur secundum Dionysium: ita Cœlum Empyreum habet influentiam super corpora, quæ moventur, licèt ipsum non moveatur: & propter hoc potest dici, quod influit in primum Cœlum, quod movetur, non aliquid transiens, & advenies per motum, sed aliquid fixum, & stabile, puta virtutem continendi, & causandi, vel aliquid hujusmodi ad dignitatem pertinens.* Sed influxus iste in Cœlo Empyreo naturalis, & sensibilis est. Eo quod

Cœlum Empyreum eſt materiale, & ſenſibile tantum. Et ideò habere non poteſt, niſi ſenſibilem, & materialem influxum: ergò Cœlum Empyreum verè, & propriè habet naturam ſaltim ratione formæ, quæ talem influxum radicat.

Ratione inſuper prob. Quia ad rationem naturæ ſufficit eſſe principium naturale motus, vel quietis. Sed in Cœlo Empyreo eſt principium naturale paſſivum ſuę perpetuæ quietis. Nam Cœlum Empyreum, cum ſit ſedes Beatorum, & ad hoc ab auctore productum, habet inclinationem ad quietem perpetuam conducentem, ut Sancti ſedeant, & requieſcant in illo: ergo Cœlum Empyreum verè, & propriè habet naturam.

De cæteris autem Cœlis prob. concluſio noſtra. Quia in omni Cœlo (prætèr Empyreum) datur motus naturalis: ergo in quocumque Cœlo reperitur vera natura. Prob. ant. primo. Influxus in hæc inferiora cuicumque Cœlo naturalis eſt. Eo quod Cœlum fuit productum à Deo, ut influeret in hæc inferiora, uſque quo numerus electorum compleretur. Et ideò Cœlum naturaliter inclinatur ad prædictum influxum. Sed influxus ille per motum fit: ergo in omni Cœlo datur motus naturalis.

2. Prob. ant. Cui eſt naturale medium ad aliquem finem, etiam finis naturalis eſt. Sed figura circularis, & rotunda eſt medium aptiſsimum ad motum circularem, & eſt naturalis Cœlo: ergo motus ipſe naturalis eſt.

3. Cœlum habet aliquam inclinationem naturalem. Sed non aliam quam ad influendum in hæc inferiora. Alia namque aſsignabilis non eſt, vel ſaltim hæc præcipua erit. Siquidem Cœleſtes orbes ſunt cauſa univerſalis horum inferiorum: ergo naturaliter inclinatur ad motum, quo medianre in inferiora influit. Et conſequentèr motus naturalis erit.

Dices Quod motus naturalis debet eſſe ab ſtatu non naturali ad ſtatum naturalem, ſicut conſtat in lapide, qui movetur à loco non naturali ad centrum, in quo naturaliter quieſcit. Sed motus Cœli talis non eſt. Eo quod Cœlum nunquam eſt extra ſtatum naturalem: ergo motus Cœli non eſt naturalis.

Sed neg. maj. Illa namque ſolum eſt vera in motivis corruptibilium, qui ordinantur ad quietem, non tamen in motu Cœii, qui ad quietem non ordinatur.

Dices. Motus naturalis ordinatur ad quietem. Sed motus Cœli non ordinatur ad quietem juxta ſolutionem datam: ergo naturalis non eſt.

Reſp.

Reſp. non omnem motum naturalem eſſe propter quietem, ſed ſolum quando mobile cum motu imperfectum eſt, uſque dum quietem conſequatur. Cæterum perfectio Cœli in ipſo moveri conſiſtit. Inſtantia eſt in motu cordis, qui naturalis eſt, & non ordinatur ad quietem: quia illius perfectio in ipſo moveri conſiſtit.

§. VIII.

Argumentis contrariorum occurritur.

ARguitur 1. contra concl. iſtam. Si motus Cœli eſſet naturalis, duplex motus oppoſitus, & contrarius, conveniret naturaliter Cœlo. Sed duo motus contrarij non poſſunt eidem ſubjecto naturaliter convenire: ergo motus Cœli naturalis non eſt. Prob. maj. Motus, quo Cœlum movetur ab Oriente in Occidens, & ab Occidente in Oriens, eſt duplex motus contrarius. Siquidem uterque motus tendit ad oppoſitum terminum. Sed iſti competunt Cœlo: ergo ſi motus Cœli naturalis eſſet, duplex motus contrarius Cœlo conveniret.

Reſp. Tales motus non eſſe contrarios, nec eſſe duos motus, ſed potiùs partes eiuſdem motus circularis, & continui: nec terminos eorum aliquam oppoſitionem habere, ſed unum eſſe viam ad alterum adquirendum.

Sed inſt. Saltim motus proprius Cœlorum, & motus, quo movetur ad motum primi mobilis, ſunt motus contrarij, & oppoſiti. Quia motus proprius Cœlorum tardus eſt, & alter motus eſt velociſſimus. Et motus tardus, & velox oppoſitionem habent. Sed iſti competunt Cœlo: ergo idem quod priùs.

Reſp. neg. maj. Nam tales motus non opponuntur, nec terminos oppoſitos habent. Motus quippè tardus, & velox non ſemper habent rigoroſam oppoſitionem. Eo quod motus lapidis in principio tardus, velox eſt in fine juxta proverbium, motus in fine velocior. Et homo exiſtens in navi per motum proprium paulatim deambulat, & ad motum navis velociſſimè movetur, & quandoque motus proprius eſt verſus Hiſpaniam, & motus navis ad Indias.

Sed dices. Motus primi mobilis eſt ab Oriente in Occidens; motus verò proprius Cœlorum habent terminos tranſverſales, reſpectu Occidentis, & Orientis: ergo motus iſti terminos oppoſitos habent. Et conſequenter motus contrarij ſunt.

Reſp.

Reſp. diſt. conſ. Oppoſitos materialitèr: conc. conſ. Formalitèr, & exercitè: neg. conſ. Nam termini ex ſe contrarij, & oppoſiti, ſi inſpiciantur à mobili ſecundum diverſum reſpectum ad virtutem moventis, formalitèr non opponuntur, ſicut etiam motus ipſi oppoſitionem non habent, ut conſtat in exemplo, quod ſæpè adducit D. Th. in aqua maris, quæ motu proprio movetur deorſum, & ad motum Lunæ movetur ſurſum, ab quæ nulla oppoſitione. Et in illo, qui motu navis movetur ad Oriens, & motu proprio movetur ad Occidens: & eodem modo Cœlum motu proprio movetur ad unum terminum, & ad motum primi mobilis, ad oppoſitum terminum movetur.

2. Arg. Si motus Cœli eſſet naturalis, quies poſt diem judicij eſſet illi violenta. Sed quies poſt diem judicij violenta non eſt. Siquidem erit perpetua. Et nihil violentum eſt perpetuum: ergo motus Cœli eſt naturalis. Maj. prob. Motus, & quies opponuntur: ergo ſi motus Cœli eſſet naturalis, ipſa quies eſſet violenta. Quia duplex oppoſitum non poteſt eſſe naturale reſpectu ejuſdem ſubjecti. Sicut motus ſurſum, & deorſum non poſſunt eſſe lapidi naturales.

Reſp. 1. Motum, & quietem non opponi rigoroſè, ſed ſolum ſe habere tanquam imperfectum, & perfectum. Et ita poſſe eidem ſubjecto naturalis convenire. Sicut lapidi convenit moveri ad centrum, & etiam quieſcere in illo: Motus autem ſurſum, & deorſum in lapide opponuntur inter ſe. Quia per motum ſurſum non tendit lapis ad quietem deſideratam, & proportionatam cum natura ipſius. Sicut quies poſt diem judicij erit proportionata Cœli.

2 Reſp. Oppoſita pro diverſo ſtatu poſſe naturalitèr convenire: & ita poſt motum poſſe quietem convenire naturalitèr Cœlo. Quia motus Cœli ordinatur ad influendum in hæc inferiora. Et cum iſte finis ceſſet in die judicij, poſt talem diem erit quies naturalis in Cœlo.

Dices: Si motus eſt naturalis, quies illi oppoſita non erit ab intrinſeco Cœli. Nam duplex oppoſitum non poteſt ab intrinſeco provenire: ergo ſi motus eſſet naturalis Cœlo, quies poſt diem judicij non eſſet ab intrinſeco ipſius. Conſequentèrque naturalis non eſſet.

Reſp. Duplex oppoſitum pro ſtatu, & tempore diverſo poſſe ab intrinſeco convenire. Sicut lapidis naturalitèr movetur ad centrum, & poſt motum naturalitèr, & ab intrinſeco quieſcit in illo.

§. VI.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. diſc. collig. 1. rationem naturæ non poſſe Deo, & Angelis convenire. Deo quidem. Quia propter ſummam perfectionem non poteſt motum ſenſibilem, & phyſicum radicare. Angelis vero quia natura ſpiritualis illorum non poteſt etiam radicare motum ſenſibilem, & materialem naturæ completæ ſpirituali repugnantem.

Dices: Deus habet naturam Divinam: & Angelus veram naturam Angelicam: ergo in Deo, & Angelis reperitur vera natura.

Reſp. In Deo, & Angelis reperiri veram naturam ſumptam pro quidditate, & eſſentia; non tamen acceptam pro principio radicali motus ſenſibilis, qualiter de natura loquimur in præſenti.

2. Infertur privationem non habere rationem naturæ. Eo quod non eſt principium intrinſecum motus, nec eſt cauſa, quæ in motum verè influit; & hoc ad rationem naturæ requiritur. Quapropter quando Ariſtor. in hoc lib. text. 15. aſſerit privationem eſſe ſpeciem naturæ, loquitur de natura latiſsimè, quatenùs omne illud, quod concurrit ad fieri entis naturalis, dicitur natura in lata acceptione. Eo quod ad naturam requiritur, & ad illam producendam concurrit per modum termini de relicti, qualiter explicatum manet.

3. Formam totalem non eſſe verè naturam. Tùm, quia in hoc libr. text. 12. Philoſophus aſſerit: *Quod compoſitum natura quidem non eſt, ſed eſt, & conſtat natura.* Tùm etiam, quia principia naturalia non fiunt ex alijs, nec ex alterutris. Sed forma totalis fit ex alijs: quia ex materia, & forma componitur; ergo non eſt principium naturale, & conſequenter natura non eſt.

Dices: Forma totalis eſt primum principium motus naturalis: ergo habet rationem naturæ. Prob. ant. Forma totalis eſt principium motus. Sed non eſt principium proximum. Eo quod ſubſtantia non eſt immediatè operativa: ergo eſt primum, & radicale principium.

Reſpondebis: Formam totalem eſſe radicale principium, non quidem ſimplex, & primum abſolutè, ſed radicale ſolum in linea determinata, & compoſitum ex alijs, quod deſtruit rationem naturæ, vel principij naturalis. Nam principia naturalia non fiunt ex alijs.

Dices 1. ad rationem naturæ ſufficit eſſe principium radica-

le;

ſe, & primum in ſua linea, non tamen requiritur eſſe primum abſolutè : nec hujus doctrinæ eſt aſsignabilis : ergo ſi forma totalis eſt primum principium in ſua linea, erit etiam verè natura.

2. Motus ſilendi, & ridendi non radicantur in materia, ſed in forma totali : ergo forma totalis eſt primum, & radicale principium non in linea determinata, ſed primum abſolutè in ordine ad tales motus.

Reſp. ad 1. quod ly *primum* in definitione naturæ debet intelligi juxta explicationem ſapientum, qui definitiones invenerunt, & rectam earum intelligentiam. Et antiquiores Phyloſophi, & ſapientes, ly *primum* in definitione naturæ de primo abſolutè aſſerunt intelligendum.

Ad 2. facilè reſpond. Motus ſilendi, & ridendi per ſe primò radicaliter in anima rationali, quæ primo, & per ſe eſt in homine radix harum operationum. Ad formam verò totalem ſolum reducuntur tanquam ad radicem completam, & compoſitam ex alijs.

4. Collig. ex dictis motum procedentem contra inclinationem ſubjecti eſſe violentum, quamvis ſit conformis inclinationi minus principali ſubjecti. Et ideò motus progreſsivus animalis, qui cauſatur elevando pedem poſt pedem eſt motus naturalis. Quia licèt ſit contra inclinationem corporis, eſt tamen conformis inclinationi viventis ſenſibilis, quæ principalior eſt.

Ex hac eadem doctrina colligitur, quod ſi lapis moveretur ſurſum ad repelendum vacum, ille motus eſſet naturalis. Eo quod quamvis ſit contra inclinationem particularem lapidis, eſt tamen conformis alteri inclinationi magis principali, qua lapis tanquam pars univerſi inclinatur ad replendum vacuum, ut ita univerſum conſervetur.

Ex eadem inſuper doctrina colligitur, quod corruptio equi, vel hominis, vel alterius corporis animati, licèt ſit contra inclinationem particularem, qua compoſitum inclinatur ad ſuum eſſe conſervandum, eſt tamen conformis inclinationi compoſiti, quatenùs compoſitum eſt pars univerſi. Nam prout ſic inclinatur ad bonum commune univerſi, quod in diverſitate generationis, & corruptionis principaliter conſiſtit.

5. Collig. Cœlum habere rationem naturæ propter principium activum, & etiam propter principium paſsivum. Propter principium quidem activum. Quia forma Cœli radicaliter efficienter influit in hæc inferiora, & ad talem influxum, na-

naturalem habet inclinationem.

Insuper etiam propter principium passivum, quo inclinatur ad motum recipiendum, ad motum utique, quo efficienter ab Angelo movetur, ut ipsum Cœlum exercere possit influxum in inferiora. Et doctrina huius corollarij non satis explicatur ab alijs Thomistis asserentibus Cœlum habere rationem naturæ solum propter principium passivum, quos tamen credimus intelligendos esse in ordine ad motum, ad quem Cœlum solum comparatur passivè, non tamen in ordine ad influxum, quem Cœlum efficienter exercet in hæc inferiora, & ad ipsum naturaliter inclinat.

Dices: motum Cœli dimanare à forma Cœli, sicut motus deorsum à forma lapidis: ergo Cœlum habet rationem naturæ propter principium dimanationis activum.

Resp. motum Cœli non dimanare à forma cœlesti tanquam passionem, vel proprietatem illius, sed solum ab Angelo efficienter provenire conformiter ad naturam Cœli, quæ naturaliter exigit recipere talem motum. Sicut dicitur de speciebus Angelo infusis in primo conditionis instanti, quæ non diminant à forma Angeli, sed unicè infunduntur à Deo, licèt Angelus naturaliter exigat species illas recipere. Oppositum autem contingit in motum lapidis, qui naturaliter dimanat à forma tanquam proprietas, vel passio ad naturam consequuta, propterea, quæ alibi dicenda relinquimus, & hæc de art. isto in hoc lib. text. 11. & 12. & alijs sequentibus ad Phylosophum applicanda.

QUÆSTIO SECUNDA:

De Causis in communi.

ARTICULUS UNICUS.

Verùm divisio causæ in quatuor genera causarum adæquata, & univoca sit.

§. I.

Diffinitio causæ explicatur.

CAusam in communi secundum doctrinam Arist. in hoc lib. lect. 10. D. Th. diffinivit dicens *causam esse id, ex quo aliud sequitur.* Quæ diffinitio bona est. Quia per illam particulam *sequitur* absolutè sumptam convenit causa physica cum causa purè logica. Nam etiam ex causa logica sequitur aliud, sicut ex risibili benè infertur rationale, & ex decreto permissivo Dei benè sequitur forè peccatum.

Per eandem autem particu-

lam

lam intellectam de ſequela phyſica per verum, & talem influxum, qualitèr debet intelligi, excludantur ab hac definitione cauſa logica, & privatio, & conditiones ſine quibus non, quorum nullum verè, & propriè, influit in effectum. Et per eandem particulam denotatur, quod cauſa per talem influxum facit effectum à ſe ipſa dependere.

Per ly *aliud* denotatur inter cauſam, & effectum debere eſſe diverſitatem ſaltim materialem in natura inter effectum, & cauſam. Et propterea Pater in divinis, quamvis producat filium, non tamen eſt cauſa illius. Quia filius non eſt alius à Patre in natura, ſed potius eadem realitèr natura reperitur in utroque. Quo ſuppoſito.

§. II.

Statuitur prima concluſio:

Diviſio prædicta adæquata eſt in quatuor genera cauſæ.

Concluſ. iſtam brevi ratione probamus. Quia genera cauſarum ſunt quatuor, & non ſunt plura quam quatuor: ergo diviſio adæquata eſt. Ant. quantum ad 1. partem prob. Quidquid fit ab aliquo, efficienter fit. Nam idem à ſe ipſo effici non poteſt: ergò datur cauſa efficiens. Sed cauſa efficiens non poteſt agere, niſi mota ab aliquo fine. Eo quod omne agens operatur propter finem, ſivè cognitum à ſe, ſivè ab authore naturæ: ergo datur cauſa finalis. Rurſus effectus iſte non poteſt ex nihilo fieri à cauſa ſecunda, ſed ſemper fit ex præſuppoſito ſubjecto, quod eſt materia: ergo datur cauſa materialis. Sed cauſa prima materialis, cum ſit pura potentia non poteſt tribuere ſpeciem: ergo requiritur forma ad ſpeciem communicandam. Conſequenterque dantur quatuor genera cauſarum materialis, & formalis, efficiens, & finalis.

2. Verò partem videlicèt plures cauſas non eſſe. Prob. ex eo, quod omnis alia cauſa reducitur neceſſario ad aliquam ex aſſignatis, ſicut conſtabit argumentis reſpondendo: ergo genera cauſarum non ſunt plura, quam aſſignata.

Contra 1. partem inſt. Quia cauſa materialis non eſt vera cauſa: ergo genera cauſarum non ſunt quatuor. Prob. antec. Cauſa debet eſſe perfectior effectu. Sed cauſa materialis non eſt perfectior forma, quam poterat cauſare: ergo vera cauſa non eſt.

Reſp. Quod licèt materia non ſit perfectior ipſa forma entitativè, & ſecundum ſe; eſt tamen perfectior forma prout recepta in materia. Quia prout

ſic

ſit forma ab ipſa materia dependet.

Sed inſt. Forma ut recepta in materia communicat illi eſſe; ergò etiam prout ſic excedit ipſam materiam. Conſeq. bona eſt. Et prob. ant. Forma dat eſſe materiæ. Sed non dat eſſe, niſi prout in materia recepta: ergo prout in materia recepta communicat illi eſſe.

Reſp. diſt. antec. Ut recepta concommitanter: conc. antec. Formalitèr: neg. ant. & conſeq. Licèt namque, ut forma det eſſe materiæ, requiratur, quod ſit in materia concommitanter, & in eodem inſtanti; non tamen forma dat eſſe prout recepta formalitèr. Sic enim accipit eſſe à materia in genere cauſæ materialis. Et ipſa forma dat eſſe, quatenùs materiam actuat, & ipſam informat, ſecundum quam rationem eſt cauſa formalis materiæ, & non illius effectus.

Dices: Forma, ut actuat materiam, eſt perfectior materia ipſa. Sed non actuat materiam, niſi prout in materia recepta: ergo prout ſic recepta perfectior eſt.

Reſp. diſt. min. Ut recepta concommitanter: conced. min. Formalitèr: neg. min. & conſeq. Quia quamvis ut forma actuet, & cauſet materiam, debeat eſſe concommitanter in materia recepta; non tamen actuat formalitèr ut recepta, ſed ſolum ſe habet, ut informans, & actuans, licèt eſſe in materia receptam eſſentia litèr neceſſarium ſit, ut forma præſtet effectum per ſuam informationem.

Contra 2. partem concluſ. arg. Diſpoſitiones, quibus materia ad formam recipiendam diſponitur, habent rationem cauſæ. Et tamen non continentur ſub aliquo ex prædictis generibus: ergo plura ſunt genera cauſarum. Prob. min. Diſpoſitiones non pertinent ad genus cauſæ efficientis, finalis, vel formalis, ut per ſe notum eſt: nec cauſæ materialis. Quia non recipiunt formam: ergo non continentur ſub aliquo ex prædictis generibus.

Reſp. Diſpoſitiones pertinere ad genus cauſæ materialis. Quia licèt non recipiant formam, diſponunt tamen materiam, ut poſsit formam recipere. Sicut aſſenſus præmiſſarum, qui determinat intellectum ad aſſenſum concluſionis, concurrit efficientèr ad concluſionis aſſenſum, ſicut intellectus ipſe.

Sed inſt. 1. Diſpoſitiones non determinant materiam ad recipiendam formam. Quia determinare eſt proprium formæ, non verò diſpoſitionis: ergo diſpoſitiones non concurrunt in genere cauſæ materialis, ſicut, & ipſa materia.

2. Inſt. Diſpoſitiones non ſe

tènent ex parte materiæ: ergo non convenit in genere cauſæ materialis. Prob. ant. Quod ſe tenet ex parte alicuius cauſæ, dat illi virtutem in ordine ad effectum. Sicut aſſenſus præmiſſarum, quia ſe tenet ex parte intellectus, præſtat illi virtutem ad aſſenſum concluſionis. Sed diſpoſitiones non dant materiæ virtutem ad recipiendam formam. Nam materia à ſe ipſa eſt capax recipiendi: ergo diſpoſitiones non ſe tenent ex parte materiæ.

Reſp. ad 1. Determinare eſſe proprium formæ Ex quo non infertur repugnare diſpoſitioni. Quia diſpoſitio eſt forma accidentalis dans eſſe ſecundum quid, & ita per modum formæ ad materiam comparatur. Quia tamen materiam præparat, & diſponit potiùs ad hanc formam, quam ad aliam: propterea ſe tenet ex parte materiæ, & in eodem genere cauſæ materialis in ordine ad formam concurrit.

Ad 2. inſt. neg. ant. ad prob. diſt. maj. Ex parte cauſæ non habentis ſufficientem virtutem: conc. maj. Illam habentis: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Illud namque, quod ſe tenent ex parte cauſæ non habentis ſufficientem virtutem ad effectum cauſæ virtutem communicat. Et ideò aſſenſus præmiſſarum communicat intellectui virtutem ad aſſenſum concluſionis: Eo quod intellectus ex ſe indifferens eſt ad verum, vel falſum. Conſequenterque, ut determinatè verum attingat indiget ſuper addita virtute præmiſſarum. Materia verò ex ſe habet ſufficientem virtutem ad formam recipiendam. Et ita non indiget nova virtute diſpoſitionibus ſuper addita.

Addimus tamen. Quod ut aliquid ſe teneat ex parte cauſæ, non requiritur præſtare virtutem, ſed ſufficit quod cauſam determinet ad effectum; ut conſtat in applicatione ignis, quæ non dat igni virtutem ad comburendum, & tamen ſe tenet ex parte ignis.

Dices: ergo diſpoſitiones non communicant materiæ aliquam virtutem ad recipiendam formam. Conſequenterque non concurrunt in genere cauſæ receptivæ, ſicut ipſa materia, ac proindè non concurrunt in eodem genere cauſæ.

Reſpondebis. Non concurrere in eodem genere cauſæ infimo: quia non concurrunt recipiendo; concurrunt tamen in eodem genere cauſæ ſubalterno, quatenùs concurrunt diſponendo, & coaptando materiam, ut recipiat formam. Nam genus cauſæ materialis eſt diviſibile per diverſos modos cauſandi, recipiendo videlicèt, vel diſponendo materiam ad recipiendum.

Dices

Dices : Secundum doctrinam iſtam, intra genus cauſæ materialis dantur diverſi modi cauſandi ſpecificè diverſi: ergò cauſę ſunt plures, quam quatuor aſsignatæ. Et conſequenter diviſio adæquata non erit.

Reſp. diſt. conſeq. Plures pluralitate ſpecifica : conc. conſeq. Pluralitate generica : neg. conſ. Quia diviſio cauſæ in quatuor genera aſsignata non eſt in ſpecies infimas. Eo quod intra genus cauſæ materialis dantur diverſi modi cauſandi; & intra genus cauſæ efficientis datur etiam cauſa efficiens inſtrumentalis, & efficiens principalis, cauſa radicalis, & proxima, cauſa ſuperior, & inferior. Et ita diviſio prædicta ſolum eſt in genera cauſæ, ſub quibus plures continentur ſpecies. Sicut corpus dividitur in animatum, & inanimatum, quæ diviſio adæquata eſt, quamvis ſub utroque corpore dividente plures contineantur ſpecies.

2. arg. Objecta potentiarum, & habituum ſunt verę cauſæ. Et tamen non continentur ſub aſsignatis : ergò dantur aliæ præter aſsignatas.

Conſ. Cauſa inſtrumentalis eſt verè cauſa. Et tamen ſub his non continetur : ergò idem quod priùs. Dices contineri ſub cauſa efficienti.

Contra tamen eſt. Quia cauſa efficiens eſt illa à qua primo incipit motus. Sed à cauſa inſtrumentali non primo incipit motus : ergò ea non continetur ſub cauſa efficiente.

Rurſus etiam. Idæa, quæ eſt in mente artificis, eſt vera cauſa artefacti. Et tamen non continetur ſub his : ergò idem quod priùs.

Reſp. tamen ad arg. Quod objecta potentiarum, & habitum ſpecificant potentias, & habitus in genere cauſæ formalis extrinſicæ. Et ita ſub cauſa formali continentur. Licèt etiam poſsit dici contineri ſub genere cauſæ finalis. Quia potentiæ, & habitus ad objecta, ut ad finem ordinantur. Et etiam ad genus cauſę materialis reduci. Eo quod ſunt materia circa quam habitus, & potentiæ verſantur.

Ad conſ. benè reſponſum eſt. Et ad replicam diſt. maj. Primo comparativè ad alias cauſas: conc. maj. Primo abſolutè : neg. maj. & ſub eadem diſtinctione minoris : neg. conſeq. Quia licèt ab inſtrumento non incipiat primo motus abſolutè, incipit tamen primo comparativè ad alias cauſas. Eo quod priùs incipit in executione motus ab inſtrumento, quam à cauſa materiali, formali, & quam à cauſa finali.

Ad aliud de idæa reſpond. Idæam pertinere ad genus cauſæ formalis. Quia dat ſpeciem ſaltim extrinſecè idæato. Eo

quod artefactum producitur ad inſtar, & ſimilitudinem idææ, quæ ſolutio colligitur ex Ariſt. 5. Metaph. text. 2. & ex D. Th. ibi lect. 2.

Poterat etiam dici, idæam reduci ab genus cauſæ finalis. Nam operans artificialiter intendit aſsimilare effectum artificialem idææ, vel exemplari.

3. reſp. & benè. Idæam reduci ad genus cauſæ efficientis. Quia ſicut forma naturalis ſe habet ad effectum naturalem: ita ſe habet idæa ad effectum artificialem. Et conſequenter ſicut forma naturalis concurrit effectivè ad effectum naturalem. Ita forma idæalis concurrit efficienter ad artificialem effectum. Et iurſus idæa determinat agens artificiale ad effectum artificialem producendum. Vnde D. Th. *quæſt. 3. de Verit. art. 1.* ſic definivit idæam: *Eſt forma quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* Quæ diffinitio coincidit cum alia communiter aſsignata, quod videlicet: *Idæa eſt id ad quod reſpiciens artifex operatur.* Determinat ergò idæa ipſum artificem ad effectum artificialem producendum. Et conſequenter concurrit efficienter cum illo ad eundem effectum.

§. III.

Secunda Concluſio.

Diviſio cauſæ in quatuor genera aſsignata univoca eſt.

ANtequàm concluſionem iſtam probemus, prænotare oportet cauſam analogicè dici de cauſa prima, & ſecunda. Eo quod cauſa ſecunda comparativè ad primam eſt cauſa ſecundum quid, & à prima in operando dependet Et Deo, & creaturæ nihil datur univocum.

Dices: Quod licèt Deo, & creaturis nihil detur univocum in eſſe entis; poteſt tamen dari aliquid univocum in ratione cauſæ. Sicut licèt enti reali, & rationis, ſubſtantiæ, & accidenti nihil detur univocum in eſſe entis; datur tamen aliquid univocum in eſſe ſcibilis. Quia accidens, & ens rationis ſunt ſcibilia ſimpliciter.

Reſp. tamen. Quod ratio ſcibilis ſolum importat connexionem eſſentiæ cum proprietatibus ſuis, in qua connexione accidens, & ſubſtantia, ens reale, & ens rationis habent convenientiam univocam. Ratio verò cauſæ non ſolum importat connexionem explicitam cum effectu; verùm etiam virtutem contentivam effectus. Et cum virtus cauſæ ſecundæ ſit talis ſecundum

dum quid comparativè ad virtutem cauſæ primæ, & eſſentialiter ab illa dependeat. Indè fit rationem cauſæ non poſſe eſſe univocam ad utramque.

2. prænotandum eſt cauſam analogicè dici de ſubſtantia, & accidenti. Quia virtus cauſæ accidentalis eſt talis ſecundum quid, & productiva effectus ſecundum quid talis: virtus verò ſubſtantialis eſt talis ſimpliciter, & productiva effectus, qui ſimpliciter talis eſt. Conſequenterque virtus contentiva effectus inæqualiter participatur à virtute ſubſtantiæ, & à virtute accidentis: ac proindè in ratione cauſæ analogicè conveniunt.

Dices. Quod accidens in operando non dependet à ſubſtantia: ergò diviſio cauſæ ad ſubſtantialem, & accidentalem univoca eſt. Prob. ant. Calor, v.g. poteſt tanquam cauſa principalis producere alium calorem. Nam calor producendus non excedit virtutem caloris producentis: ergò aliquando accidens non dependet in operando à ſubſtantia. Aliàs numquam accidens eſſet cauſa principalis comparativè ad effectum.

Reſp. tamen. Replicam iſtam probare diviſionem cauſæ non eſſe analogam ad ſubſtantiam, & accidens, analogia orta ex dependentia unius ab alio: non tamen non eſſe analogam analogia orta ex inæquali participatione, quatenùs virtus ſubſtantiæ eſt talis ſimpliciter; virtus verò accidentis eſt talis ſecundum quid.

Præterquamquod, licèt calor producendus in eſſe entis non excedat virtutem caloris producentis, in ratione tamen effectus talem virtutem excedit. Quia calor producendus præparat, & diſponit ad formam ignis. Et ideò ſicut calor non poteſt producere formam ignis niſi dependenter à ſubſtantia: ita non poteſt producere calorem diſponentem ad illam niſi cum dependentia à ſubſtantia. Quibus ſuppoſitis.

Concluſio noſtra prob. Quia ratio cauſæ ſimpliciter participatur ab omnibus aſſignatis: ergò ratio cauſæ univoca eſt. Prob. ant. Quælibet cauſa ex ſuprà dictis eſt cauſa ſimpliciter: ergò ratio cauſæ ſimpliciter participatur ab omnibus aſſignatis. Prob. ant. Qualibet cauſa independenter ab alia habet ſuam rationem cauſæ. Nam materia independenter à forma à ſe ipſa habet recipere formam: & forma à ſe ipſa habet actuare materiam: & finis à ſe ipſo habet movere: & cauſa efficiens à ſe ipſa habet efficienter producere: ergò quælibet cauſa ex ſuprà dictis eſt cauſa ſimpliciter.

Dices: Diviſio iſta non eſt generis in ſpecies: ergò univoca non eſt. Quia ſi eſſet univoca,

eſſet generis in ſpecies, vt vidimus. Ant. prob. Materia, quæ eſt vnum membrum diviſionis, non eſt vera ſpecies. Eo quod eſt aliquid incompletum: & inſuper non habet actum metaphyſicum in probabili ſententia: ergò diviſio non eſt generis in ſpecies.

2. inſt. Cauſa finalis ſolum metaphoricè mover: ergò non eſt ſimpliciter cauſa. Et conſequenter diviſio univoca non eſt.

3. Influxus cauſæ materialis, & formalis non diſtinguitur ab ipſis: ergò verus influxus non erit. Proindeque ipſæ non erunt veræ cauſæ: nec diviſio erit univoca.

Aliqui Authores actum metaphyſicum negantes affirmant diviſionem cauſæ eſſe univocam ad quatuor genera cauſæ: ſed revera in conſequenter procedunt. Nam aſſerere materiam non habere actum metaphyſicum eſt dicere materiam non habere differentiam veram generis contractivam. Quod eſt dicere materiam non eſſe ſpeciem. Et conſequenter non eſſe compoſitam ex aliqua ratione communi univoca, & ex vera differentia. Quapropter negare actum metaphyſicum, & concedere rationem cauſæ eſſe univocam ad materiam, in conſequentia maxima eſt, & contradictoria affirmare. Vnde in illa ſententia probabili diviſio cauſæ ſolum eſt analoga.

Nos autem actum metaphyſicum concedentes ſimiliter affirmamus materiam eſſe ſpeciem; non quidem completam, ſed incompletam, vt explicavimus ibi. Et ideò ex hac parte non repugnat rationem cauſæ univocam eſſe.

Ad 2. reſp. Verè, & propriè movere, ſolum convenire cauſæ habenti contactum phyſicum, & realem cum effectu: quem contactum non habet cauſa finalis, quæ ſolum cauſat vt exiſtens in aprehenſione operantis: & propterea ſolum metaphoricè movet. Verè tamen, & realiter influit, vt in proprio loco dicemus, & verè effectus ad illam conſequitur. Et ideò eſt cauſa ſimpliciter.

Ad 3. reſp. Influxum in præſenti non accipi pro agere, vel efficere, quod propriè ſolum competit cauſæ efficienti; ſed influxum in præſenti ſumi, quatenùs importat phyſicam ſequelam effectus, quod verè competit cauſæ materiali, & formali, & ita ſunt verè cauſæ.

§. VI.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis infertur 1. omnem cauſam realitèr ab effectu diſtingui. Nam cauſa realitèr influit in effectum: & effectus realitèr pendet à cauſa. Et idem non poteſt in ſe ipſum realitèr influere, nec à ſe ipſo realitèr dependere.

Dices: Effectus formalis formæ eſt ipſa forma ſubjecto communicata. Sed forma ſubjecto communicata non diſtinguitur realitèr à ſe ipſa: ergò effectus cauſæ formalis non diſtinguitur ab illa realitèr.

Reſp. diſt. maj. Effectus intrinſecus: conc. maj. Effectus extrinſecus, vel quaſi extrinſecus: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Secundum diſtinctionem maj. Forma namque duplicem habet effectum, unum intrinſecum, qui eſt ipſa forma communicata ſubjecto, de quo non loquimur in præſenti: alium verò extrinſecum, qui eſt ipſum ſubjectum, ut actuatum per formam, qui effectus realitèr à forma diſtinguitur, & de tali effectu extrinſeco ſolum in præſenti procedit locutio noſtra.

2. ex dictis inf. Quod licèt cauſa in eſſe entis poſsit eſſe imperfectior effectu; formalitèr tamen in ratione cauſæ ſemper eſt perfectior. Quia effectus habet eſſe à cauſa, & ipſa dat eſſe effectui. Et perfectius eſt dare quam accipere.

Tandem inf. ex dictis, quod licèt cauſa, ut dicens relationem prædicamentalem ad effectum, ſit ſimul natura cum illo: quia inter relativa prædicamentalia nulla datur præcedentia naturæ, eo quod unum non eſt vera cauſa alterius: quæcumque tamen cauſa, ut cauſat actualitèr effectum, eſt priùs natura, quam effectus. Nam effectus dependet à cauſa. Et id à quod aliquid dependet eſt priùs natura illo. Cum hac tamen differentia quod ſi cauſa ut realitèr exiſtens cauſat, ſicut cauſa efficiens, debet exiſtere priùs prioritate naturæ: & ſi cauſat ut exiſtens in aprehenſione, debet eſſe priùs natura prout ſic. Si verò ut tendens ad exiſtentiam ſicut materia, debet præcedere prioritate naturæ ut in via ad habendam exiſtentiam.

Ex quo conſtat cauſam conſtitui in ratione prioris ad effectum per ſuam entitatem ut cauſativam, & etiam ut cauſantem effectum. Nam cauſa non ſolum eſt prior natura ut cauſativa eſt, ſed etiam ut in actu ſecundo cauſat. Undè omnia requiſita ad cauſam conſtituendam in ratione cauſantis, & etiam proximè expeditam ad cauſandum debent etiam effectum præcedere prioritate naturæ. In quo cum

Thomiſtis convenit, & rationi conformatur quidam recentior Jeſuita.

Non tamen rationi conformatur Oviedo controverſia 7. punct. 3. §. 1. ubi aſſerit: Priorit atem naturæ conſiſtere in eo, quod à priori ad poſterius non valeat conſequentia; benè tamen ab exiſtentia poſterioris. Quæ tamen doctrina falſa eſt. Quia benè valet, exiſtit Sol: ergò exiſtit illuminatio, quæ eſt poſterior natura. Et benè valet, exiſtit Angelus in primo inſtanti: ergò intelligit, quamvis intellectio ſupponat intellectum, & Angelum præcedentem prioritate naturæ tanquam veram cauſam intellectionis. Et in ſententia Jeſuitarum aſſerentium. Materiam de lege ordinaria non poſſe exiſtere ſine forma; benè valet, exiſtit materia: ergò exiſtit forma. Et tamen materia prioritate naturæ præcedit formam, quod non negat P. Oviedo. Et hæc de art. iſto in hoc lib. text. 19. ad Philoſ. applicanda.

QUÆSTIO TERTIA.

De Cauſa efficiente.

ARTICULUS I.

Vtrùm forma ſubſtantialis ſit principium quo operandi?

§. I.

Explicatur diffinitio cauſæ efficientis.

CAuſam efficientem in hoc lib. text. 3. Phyloſ. diffinivit: *Quod ſit principium; undè primò incipit motus.* In qua diffinitione, *principium* ponitur loco generis: in hoc enim convenit cauſa efficiens cum alijs cauſis, & etiam cum privatione. Quia tamen ab alijs cauſis non primò incipit motus. Ideò altera particula loco differentiæ ponitur.

Inſt: Eſſe id à quo primò incipit motus nequit eſſe diffinitio cauſæ efficientis: ergò non benè ſic diffinitur. Prob. antec. Cauſa ſecunda eſt verè efficiens. Et tamen ab illa non primò incipit motus; ſed priùs incipit à cauſa prima: ergò illa non poteſt eſſe diffinitio cauſæ efficientis.

2. Cauſa creans eſt verè cauſa efficiens. Et tamen ab illa non primò incipit motus. Quia creatio verus motus non eſt: ergò idem quod priùs.

3. Motus priùs incipit à cauſa finali: ergò non priùs à cauſa efficiente. 4. Eſſe primum principium motus convenit naturæ, ſicuti dicitur in ejus diffinitione: ergò non convenit cauſæ efficienti, quæ à natura eſſentialiter diſtinguitur.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. diſt. min. Non primò abſolutè: conc. min. Comparativè ad alias cauſas: neg. min. & conſeq. De ratione namque cauſæ efficientis non eſt, quod priùs incipiat motus ab illa abſolutè; ſed

ſed ſolum comparativè ad alias cauſas, materialem videlicèt, & formalem, & finalem. Quod quidem verè convenit cauſæ ſecundæ. Sicut proptèr eandem rationem cauſæ inſtrumentali verè convenit diffinitio prædicta.

Ad 2.prob.reſp. In præſenti ſolum diffiniri cauſam efficientem operantem ex præſuppoſito ſubjecto, qualis non eſt cauſa creans. Et ita mirum non eſt, quod illi non competat diffinitio.

2. reſp. Motum in præſenti ſumi generalitèr pro motu comprehendente verùm motum, & meraphyſicam mutationem, qualis creatio eſt.

Ad 3.reſp. Quod cauſa finalis priùs movet in intentione operantis; cæterùm motus in executione non priùs incipit à cauſa finali, ſed potius ab ipſa cauſa efficiente, quæ per ſuam operationem in executione applicat cauſam materialem, & formalem ad cauſandum, & ipſum finem conſequitur.

Ad 4. Naturam eſſe primum principium motus radicale, & intrinſecum, motus quidem ejuſdem ſubjecti, in quo eſt ipſa natura. Cauſa verò efficiens eſt principium motus, quatenus principium abſtrahit à radicali, & à proximo, ab intrinſeco, & extrinſeco: ſivè motus ſit in ipſa, ſivè in alio ſubjecto recipiatur.

Hæc autem cauſa efficiens, generalitèr accepta, dividitur in cauſam per ſe, & cauſam per accidens. Cauſa per ſe eſt illa, quæ per ſe, & ut talis producit effectum, ſicut ſtatuarius eſt cauſa per ſe ſtatuæ, & ædificator eſt cauſa per ſe ædificij. Quia tales effectus neceſſario petunt à talibus cauſa produci.

Cauſa per accidens ea eſt, quę per accidens ad effectum concurrit, ſicut muſicus eſt cauſa per accidens ædificandi. Nam per accidens eſt, quod, qui ædificat, muſicus ſit.

Cauſa etiam per ſe dividitur in cauſam primam, qualis eſt Deus, & in cauſam ſecundam, qualis creatura eſt. Et etiam in univerſalem, & particularem. Univerſalis verò eſt, quę producit effectus diverſæ rationis, ſicut Sol producit effectus diverſos, tàm in terra, quàm in mari. Particularis autem eſt determinata ad aliquam ſpeciem in agendo: ut homo, qui ſolum hominem producere poteſt. Dividitur inſuper in univocam, & æquivocam. Univoca eſt, quæ aſſimilat ſibi effectum, ſicut homo hominem. Æquivoca eſt quę producit effectum diverſæ rationis, ſicut Sol, qui tàm diverſos effectus in his inferioribus operatur.

Dices: Aſſenſum præmiſſarum eſſe cauſam æquivocam ad aſſenſum concluſionis. Et ra-

men non poteſt producere effectus diverſæ rationis; ſed neceſſario determinat ad aſſenſum verùm, & ad hunc numero aſſenſum: ergò ad cauſam æquivocam non requiritur producere effectus diverſæ rationis.

Reſp. tamen ad cauſam æquivocam ſufficere, quod producat effectum ſpecificè diverſum ab ipſa cauſa, qualitèr aſſenſus concluſionis ſpecificè diſtinguitur ab aſſenſu præmiſſarum.

Deindè cauſa efficiens dividitur in principalem, quæ propria virtute operatur: & inſtrumentalem, quæ virtute cauſæ principalis producit effectum. Et etiam in liberam, quæ medio judicio indifferenti operatur, ſicut agentia intellectualia: & incauſam neceſſariam, quæ agit cum omnimoda determinatione ad unum, ut agentia, quæ ratione carent. Etiam dividitur in phyſicam, quæ phyſicè attingit effectum, & moralem, quæ moralitèr influit per conſilium, præceptum, vel orationem.

Tandem dividitur cauſa in totalem, quæ ſe ſola in proprio genere producit effectum. Et partialem, quæ non ſe ſola producit, ſed virtute alterius indiget: ſicut bos ad portandum currum indiget altero bove, vel quando duo attemperant concurſum proprium ad eundem effectum, ut duo portantes lapidem. Ex quo colligitur effectum cauſæ univocæ non dependere ab illa in conſervari, ſecus autem effectum æquivocæ. Quia cauſa univoca communicat effectui formam ejuſdem rationis. Et conſequentèr effectus à cauſa in conſervari non pendet. Et proptèr rationem oppoſitam effectus à cauſa æquivoca dependet in conſervari. Quo ſuppoſito, inquirimus in præſenti, an forma ſubſtantialis ſit principium *quo*, & radicale efficienter operandi? In qua parte affirmativa ſententia communis eſt inter Philoſophos, & expreſſa Sanct. Præcept. 1. *p. q. 77. artic. 1. ad 4.* & in præſenti, & pluribus alijs in locis, & in 2. de Anima tradit illam Ariſt. text. 24. animam diffiniendo, quod ſit *formæ, qua primò vivimus, ſentimus, loco movemur, & intelligimus.* Quæ ſatis indicant formam eſſe primum principium, & radicale operandi. Et ideò hæc erit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

COncluſ. iſtam efficacitèr ratione probamus. Illud eſt primum, & radicale principium operandi, in quo agens intendit aſſimilare ſibi effectum. Nam agens intendit effectum aſſimilare in illo, quod eſt principale in ipſo, quale eſt radicale principium. Sed agens intendit effec-

effectum aſsimilare in forma ſubſtantiali: ergò hæc erit principium radicali operandi. Prob. min. Quia homo hominem genitum intendit aſsimilare in forma ſubſtantiali (& idem de quocumque agente dicendum:) ergò. Min. vera eſt. Prob. ant. Illud principaliter intendit homo, ad quod ponit, & ordinat omnes diſpoſitiones, quas introducit ad effectum conſequendum. Sed homo generans hominem omnes diſpoſitiones ſibi poſsibiles ponit, & ordinat ad formam rationalem in materia introducendam: ergò homo generans effectum, quem producit, in forma ſubſtantiali intendit aſsimilare.

Conf. Illud eſt radicale principium operandi, quo agens conſtituitur in ſuo eſſe, & in actu. Sed per formam ſubſtantialem agens conſtituitur in actu, & in eſſe. Eo quod forma ſubſtantialis eſt primus actus conſtitutivus agentis, & communicat ſpeciem eſſentialem: ergò forma ſubſtantialis eſt principium radicale operandi. Maj. prob. Nam operari ſequitur ad eſſe: ergò illud eſt radicale principium operandi, quo agens conſtituitur in ſuo eſſe, & in actu.

Explicatur. Quia materia eſt primum in genere potentiæ, eſt primum, & radicale principium recipiendi. Sed forma ſubſtantialis eſt prima in genere actus; ergò erit principium radicale operandi. Nam ſicut recipere conſequitur ad rationem potentiæ, ita operari ſequitur ad actum.

2. prob. concluſio. Nam in agente naturali aſsignandum eſt aliquod radicale principium. Sed accidens tale principium non eſt: ergò ſola forma ſubſtantialis hoc poteſt habere. Prob. min. Principium radicale operandi debet eſſe magis, vel ſaltim æquè perfectum cum effectu, quem producit. Sed accidens non poteſt in perfectione adæquare ſubſtantialem effectum: ergò non poteſt eſſe principium radicale operandi.

§. III.

Argumentis occurritur.

COntra concluſionem iſtam arg. 1. Quod accidens poteſt in ratione cauſæ adæquare ſubſtantiam: ergò poteſt eſſe principium radicale producendi ſubſtantialem effectum. Prob. antec. Cum exceſſu accidentis à ſubſtantia in eſſe entis ſtat in ratione cauſæ adæquare ſubſtantiam: ergò poteſt accidens in ratione cauſæ ſubſtantiam adæquare. Prob. antec. 1. Sol in eſſe entis eſt imperfectior viventibus imperfectis, quæ fiunt ex putrefactione terræ. Et tamen in ratione cauſæ adæquat talia viventia. Siquidem illa produ-

cit

cit tanquam cauſa principalis: ergò paritèr cum exceſſu accidentis à ſubſtantia in eſſe entis ſtabit adæquare illam in ratione cauſæ.

2. Materia in eſſe entis eſt imperfectior forma. Et tamen in ratione cauſæ illam adæquat. Quia omnis cauſa eſt perfectior effectu, vel ſaltim æquè perfecta. Et materia eſt cauſa formæ: ergò idem quod priùs.

3. Licèt formica in eſſe entis ſit imperfectior homine, in ratione tamen objecti potentiæ viſivæ eſt perfectior illo. Quia perfectiorem viſionem terminat formica, quam homo: ergò idem.

Reſp. ad arg. neg. duo ant. 1. & ad 1. prob. reſp. D. Thom. 1. *p. q.* 70. *artic.* 3. *ad* 3. Solem non eſſe cauſam principalem viventium imperfectorum formaliter ut talia ſunt, ſed ſolum eſſe cauſam inſtrumentalem, quatenùs virtute Angeli producit inſtrumentalitèr viventia imperfecta, quæ fiunt ex putrefactione terræ. Undè Sol in ratione cauſæ viventia imperfecta formaliter non adæquat. Aliam ſolutionem dabimus infrà conſiſtentem in eo, quod exceſſus inter Cœlum, & viventia imperfecta parvus eſt in eſſe entis. Quia licèt ipſa ſint viventia, ſunt tamen imperfectiſsima, & ipſe Sol eſt perfectiſsimum, & incorruptibile corpus, & propter iſtam perfectionem viventium exceſſus facilè reſarcitur.

Ad 2. prob. reſp. Materiam eſſe perfectiorem forma in ratione cauſæ actualiter cauſantis, ſub qua conſideratione, omnis cauſa etiam inſtrumentalis eſt perfectior effectu. Eo quod ſub hac expreſsione explicat dare eſſe; non autem recipere, vel dependere ab effectu; non tamen materia abſolutè ſumpta perfectior eſt forma. Et in præſenti ſolum loquimur de cauſa conſiderata abſolutè.

Sed inſt. Stat unum effectum imperfectionem allo in eſſe entis eſſe perfectiorem in ratione effectus: ergò ſtabit cauſam minus perfectam in eſſe entis adæquare effectum in ratione cauſæ. Conſ. à paritate nota eſt. Ant. prob. Materia prima in eſſe entis eſt imperfectior forma corruptibili. Et tamen in ratione effectus perfectior eſt materia, quam corruptibilis forma. Siquidem materia ſolum poteſt per creationem produci; forma verò corruptibilis per eductionem producitur ab agente naturali: ergò ant. verùm eſt.

Reſp. conc. 1. ant. neg. conſ. Ratioque diſcriminis eſt. Quia effectus prout talis dicit habitudinem ad actionem, qua producitur. Cumque materia producatur per actionem perfectiorem, quam forma corruptibilis: indè fit, in ratione effectus ma-

te-

ceriam eſſe perfectiorem, quamvis non in eſſe entis. Cauſa verò conſtituitur per virtutem contentivam effectus. Et cum cauſa minus perfecta in eſſe entis, minus etiam perfectam virtutem habeat. Cauſa minus perfecta in eſſe entis non poterit effectum perfectiorem principaliter continere.

Sed inſt. Effectus in ratione talis poteſt excedere alium effectum, à quo exceditur in eſſe entis. Sed hoc ipſo ratio effectus poteſt excedere entitatem: ergò etiam ratio cauſæ poterit excedere cauſæ entitatem. Conſequenterque cauſa minus perfecta entitativè poterit eſſe perfectior in ratione cauſæ.

Reſp. neg. conſ. propter ſolutionem datam. Quia videlicet effectus, prout talis, dicit habitudinem ad actionem, & ad cauſam productivam: & effectus minus perfectus in eſſe entis poteſt perfectiorem cauſam, & actionem exigere. Cauſa verò per virtutem contentivam conſtituitur: & virtus contentiva non poteſt entitatem excedere.

Dices: Homo in eſſe entis excedit Cœlum. Et tamen Cœlum excedit hominem in ratione cauſæ. Quia Sol eſt cauſa univerſalis quod non habet homo: ergò ſolutio nulla eſt.

Reſp. tamen facilè. Hominem quantum ad ſubſtantiam, & abſolutè, & ſimpliciter etiam excedere Cœlum in ratione cauſæ. Nam homo viventia perfecta generare poteſt, quod Cœlo repugnat. Ipſum autem Cœlum ſolum quantum ad modum, & ſecundum quid hominem excedit in ratione cauſæ. Eo quod Sol cauſa univerſalior eſt, & plura producere poteſt.

Ad 3. prob. princ. ant. neg. conſeq. Quia objectum viſibile connotat eſſentialiter potentiam viſivam. Et cum in potentia viſiva perfectior virtus requiratur ad videndum formicam, quam ad hominem videndum, indè fit formicam in ratione objecti potentiæ viſivæ eſſe homine perfectiorem. Cauſa verò principalis continet effectum producendum in ſua intrinſeca entitate. Et ita ipſum principaliter continere non poteſt, niſi ipſum ſaltim adæquet in eſſe entis.

2. arg. Poteſt accidens principaliter producere effectum ſubſtantialiter: ergò accidens poteſt eſſe principium radicale operandi. Prob. ant. 1. Calor ut acto poteſt principaliter producere formam ſubſtantialem ignis: ergò ant. verùm eſt. Prob. ant. Calor ut acto poteſt producere aliũ calorem ut acto, qui eſt ultima diſpoſitio ad formam ignis. Nam unus calor ut acto non excedit virtutem alterius caloris ejuſdẽ intenſionis: ergò etiam formam ignis producere poteſt. Quia agens potens producere ultimã diſ-

dispositionem ad formam, potest etiam formam producere.

2. prob. ant. Quia secundnm doctrinam D. Th. 3. p. q. 77. Species Sacramentales nutriunt hominem. Consequenterque producunt substantiam. Eo quod nutritio est motus ad substantiam terminatus. Sed in speciebus Sacramentalibus substantia non est, sed solum sunt accidentia: ergò accidens potest principaliter effectum substantialem producere.

3. Si ferro candenti applicetur stupa, ferrum candens producit ignem. Sed ille ignis non producitur à forma substantiali ignis existens in ferro candenti: ergò solum calor ferri candentis producit formam substantialem ignis. Consequenterque accidens potest substantiam producere. Min. pater. Quia forma ignis nõ est in ferro candenti. Alias si ferrum mergeretur in aqua, resultaret forma carbonis. Quod falsum esse experientia convincit: ergò ille ignis nõ producitur à forma ignis, quæ sit in ferro candenti.

Resp. ad arg. neg. tria ant. quæ continentur in illo. Quia propter connexionem, quam habet calor ut octo cum forma ignis, eo quod est ultima dispositio ad talem formam, calor ut octo operantis, nec potest producere formam ignis, nec alium calorem ut octo. Quem licèt adæquet in ratione entis, non adæquat in ratione causæ, propter assignatam rationem. Instantia est in homine, qui in esse entis adæquat, & excedit æquum, & formicam, & nullum producere potest.

Alijs terminis poterat dici solutionem præcedentem explicando, calorem ut octo in esse qualitatis non excedere calorem agentis; in ratione tamen ultimæ dispositionis ad formam excedere illum, sicut ipsum superat forma. Et ita calor agentis, neque formam, neque calorem ut octo producere valet.

Ad 2. prob. ant. princ. resp. Nutritionem solum principaliter à substantia provenire, ab accidentibus verò tanquam à virtute instrumentaria, & in virtute substantiæ, quæ licèt ibi formaliter non sit, virtualiter tamen ibi est. Sicut quando vinum consecratum convertit in se guttam aquæ, illa cõversio provenit principaliter à substantia vini consecrati, quæ est ibi virtualiter, quamvis formaliter ibi non sit.

Ad 3. resp. Productionem ignis principaliter provenire solum à forma ignis, quæ licèt non sit in omnibus partibus ferri candentis, est tamen in aliquibus partibus: & quia in partibus minutissimis reperitur, resultat forma cineris; non tamen forma carbonis.

Dices: Sicut formam corruptam viventis sequitur forma cadaveris; ita corruptam for-

mam

mam ignis ſequitur forma carbonis: ergò ſi in ferro candenti non reſultat forma carbonis, ideò eſt: quia antecedentèr non erat ibi forma ignis.

Sed neg. ant. Quia ad formam ignis non ſemper ſequitur forma carbonis: ſed ſolum hoc contingit, quando forma ignis reperitur in materia ſufficienti, ut carbones generentur: quando autem forma ignis in partibus minutiſsimis reperitur: illa corrupta, forma ſolum cineris reſultat.

Ex dictis infertur, quod ille ignis, qui aliquando producitur à navi introeunti in mare, non producitur principalitèr à calore navis, in qua non eſt forma ignis, ſed calor ille principalitèr fit à Sole virtualitèr eminentèr continente formam ignis. Et idem eſt dicendum de igne, qui quandoque in curribus reſultat; non tamen de igne qui producitur à ſilice, quia forma ſilici; valdè ſimilis eſt forma ignis. Et ideò ipſam virtualitèr continet, ipſamque producere valet. Quamvis ſine ullo inconvenienti poſsit aſſormari ignem illum mediante ſilicis diſpoſitione principalitèr à Sole produci. Et hęc de artic. iſto, text. 29. ad Phyloſophum applicando.

ARTICULUS II.

Utrùm forma ſubſtantialis poſsit eſſe immediatè operativa?

§. I.

Relatis ſententijs ſtatuitur concluſio.

IN difficultate præſenti, quę magis oppoſitione, quam rationum gravitate difficilis reputatur ab omnibus, diverſiſsima ſunt placita Phyloſophorum. Aliqui namque extra Scholam D. Th. aſſerunt ſubſtantiam de potentia ordinaria non poſſe eſſe immediatè operativam, quos ſequitur quidam averſus Thomiſta, quem honoris cauſa nolumus nominare.

Alij autem affirmant ſubſtantiam non ſolum de poſsibili, ſed etiam de facto eſſe principium immediatè operativum, non ſolum ut *quod*, & immediatione ſuppoſiti, ſed etiam immediatione virtutis, & per modum principij quo, ita Sotus in 1. *diſt.* 37. & in 2. *diſt.* 17. & in 4. *diſt.* 11. *qu.* 3. Durandus in 1. *diſt.* 2. *q.* 2. & omnes Scotiſtæ ſequuntur. Et præter paucos antiquiores, idem ſentiunt omnes Auctores Societatis cum Patre Suarez *diſp.* 18. *Metaph. ſect.* 2. *à num.* 21. & *ſect.* 5. *num.* 3. Quorum plures in expreſſam eſſe dicunt in Auguſt. in Iſidor. & Bernardo. Quamvis aliqui ſine ulla obſcuritate, & verbis expreſsis, dicant oppoſitam eſſe expreſsiſsimam D. Th. & de illius mente non poſſe ab

alia-

aliquo dubitari. Et quia verũ eſt, hic ultimus ſufficit nobis, quem tamen falſum eſt ab Aug. recedere, ut contendunt Adverſarij.

Propterea ergò Thomiſtæ uniformitèr defendunt ſubſtantiam, tàm de lege ordinaria, quã de potentia abſoluta non poſſe eſſe immediatè operativam. Quã ſententiam ſemper amplexus eſt D. Th. 1. *p. q.* 9. *artic.* 2. *q.* 14. *artic.* 3. *& q.* 54. *artic.* 3. *&* 59. *artic.* 2. *&* 77. *art.* 1. & pluribus alijs in locis. De cujus doctrina ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

Subſtantia de facto immediatè operativa non eſt.

RElictis authoritatibus Sanctiſ. Præcept. quæ apertiſſimè ſententiam iſtam declarant, ratione efficaci prob. concluſio noſtra. Potentiæ reſpicientes actus diſtinctæ lineæ, & adæquatè diverſos, realitèr diſtinguntur. Quia namque facere album eſt effectus pertinens ad lineam abſolutam: & referre ad alterum album pertinet ad lineam relativam, ideò proveniunt à principijs realitèr entitativè diverſis. Et propter ſimilem rationem viſus, & auditus realitèr diſtinguuntur. Quia reſpiciunt tanquam proprios actus, videre, & audire, qui ſunt actus diverſæ lineæ, & adæquatè diverſi. Sed ſubſtantia, & potentia proximè operativa reſpiciunt actus diſtinctæ lineæ, & adæquatè diverſos: ergò ſubſtantia creata non poteſt eſſe potentia immediatè operativa, ſed potius à tali potentia realitèr entitativè diſtinguitur.

Min. prob. Subſtantia reſpicit exiſtentiam, & eſſe tanquam actum proprium: & potentia proximè operativa reſpicit operationem. Sed exiſtentia, & operatio ſunt actus diſtinctæ lineæ, & adæquatè diverſi: ergò ſubſtantia, & potentia proximè operativa reſpiciunt actus de diſtincta linea, & adæquatè diverſos. Prob. Exiſtentia, & eſſe ſubſtantiale pertinet ad lineam entis ſubſtantialis, operatio verò ad lineam accidentis: ergò exiſtentia, & operatio ſunt actus diſtinctę lineę, & adęquatè diverſi. Qua ratione 1. *p. q.* 54. *art.* 3. probat Ang. Doct. potentiã intellectivã Angeli eſſe ab Angeli ſubſtãtia realitèr entitativè diſtinctã.

Ad rationem iſtam reſp. contrarij: Exiſtentiam, & operationem comparativè ad ſubſtantiam ſe habere per modum actus primarij, & ſecundarij. Et cũ principium non ſpecificetur ab actu ſecundario, nec per illum diſtinguatur. Indè eſt ſubſtantiam, quæ primario reſpicit eſſe, poſſe ſecundario reſpicere operationem, & ad illam ordinari.

Hæc tamen ſolutio inefficax eſt. Quia ſubſtantia non poteſt primario reſpicere eſſe, & ſecundario reſpicere operationẽ: ergò

ſos

ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Quia potentia, quę reſpicit duos actus unum ut primarium & alium ut ſecundarium, in eodem genere cauſæ reſpicit utrumq̃. Sed ſubſtantia non reſpicit exiſtentiam, & operationem in eodem genere cauſæ. Siquidem reſpicit exiſtentiam in genere cauſæ formalis; operationem verò in genere cauſæ efficientis: ergò ſubſtantia non poteſt primario reſpicere eſſe, & ſecundario operationem.

2. Potentia, quæ reſpicit unum actum ut primarium, & alium ut ſecundarium, ſub eadem ratione formali reſpicit utrumq̃. Vt per ſe patet in omnibus, quæ per modum exercitij primarij, & ſecundarij comparantur. Sed ſubſtantia operationem, & eſſe non reſpicit ſub eadem ratione formali: ergò non poteſt ſubſtantia reſpicere primario eſſe, & operationem ſecundario. Prob. min. Subſtantia reſpicit exiſtentiam tanquam ultimum actum in linea entis: operationem verò tanquam actum ultimum in linea operativa. Sed ratio ultimi actus de linea entis, & actus ultimi de linea operativa ſunt rationes, & lineæ formaliſſimè diverſæ: ergò ſubſtantia non reſpicit operationem, & eſſe ſub eadem ratione formali.

Dices: Operari ſequitur ad eſſe: ergò eadem ſubſtantia, quæ primario reſpicit eſſe, præſtat ſecundario operari. Ac proinde ſubſtantia ipſa eſt immediatè operativa.

Reſp. explic. ant. ſequitur ſequela ordinis, & cauſalitatis mediatè, & remotè: conc. ant. Cauſalitatis proximè, & immediatè: neg. ant. & conſ. Operatio namque ſequitur ad eſſe ſequela ordinis. Sicut voluntas ſequitur intellectionem. Quia nihil volitum, quin præcognitum. Vtraque tamen provenit à diſtincto principio formalitèr. Et appetitus elicitus ſenſitivus ſupponit cognitionem cogitativæ, vel phantaſiæ: uterq; e tamen provenit à principio diſtincto, vel à potentia diſtincta formalitèr in ſententia contrariorum: & ſcibilitas ſequitur ad entitatem: & tamen ſummitur à diſtincto principio formalitèr; & moralitas actus humani, & illius libertas pertinent ad lineam formaliter diverſam: & tamen moralitas ad libertatem conſequitur.

§. III.

Solvitur unicum argumentum contra rationem iſtam.

CONtra rationem arg. Quia eadem potentia realitèr poteſt reſpicere actus diſtinctæ lineæ, & adæquatè diverſos: ergò ratio facta nititur principio falſo. Prob. ant. Exiſtentia accidentis, & illius operatio ſunt actus diſtinctæ lineæ, & adæquatè diverſi. Siquidē exiſtentia accidentis pertinet ad lineam entis: operatio verò ad lineam operativam;

vam. Et tamen ab eadem potentiam accidentali inſpiciuntur. Nam potentia proximè operativa reſpicit exiſtentiam ſuam, & etiam operationem: ergò eadem potentia realitèr poteſt reſpicere actus diſtinctæ lineæ, & adæquatè diverſos.

2. Actus liber, & neceſſarius pertinent ad lineam diverſam. Et tamen eliciuntur ab eadem voluntate.

3. Actus practicus, & ſpeculativus ſunt actus diſtinctæ lineæ. Et tamen eliciuntur ab eodem intellectu, & quandoque ab eodem habitu. Quia habitus Theologiæ practicus ſimul, & ſpeculativus eſt. Et idem de habitu fidei, & lumine gloriæ: ergò idem quod priùs.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. neg. maj. Quia accidens non datur, ut ſit, ſed potius ut operetur, & ſubſtantiæ deſerviat. Et ideò accidens ordinatur ad operationem ut finem. Conſequentèrque exiſtentia accidentis, & illius operatio non ſunt diſtinctæ lineæ, ſed in eadem linea accidentis: quod quidem non reſpicit exiſtentiam, & ſubſtantiam, ibi ſiſtendo, ſed in ordine ad operandum. Sicut dicitur de virtute, quod priùs reſpicit ſubjectum, non tamen ibi ſiſtendo, ſed cum ordine ad actum. Ita ut ordo ad actum ſit ultima differentia in adæquatæ virtutis. Et propterea mirum non eſt, quod exiſtentia, & operatio ab eadem potentiæ accidentali inſpiciantur. Exiſtentia verò ſubſtantiæ eſt in linea ſubſtantiali: & ſubſtantia per ſe primo ſolum datur, ut ſit; operatio verò eſt in linea accidentali. Et ita non poteſt ſubſtantia primario exiſtentiam, & ſecundario operationem reſpicere.

Ad 2. prob. ant. principalis neg. maj. Quia objectum voluntatis eſt bonum, quod non diverſificatur formalitèr per liberam, vel neceſſariam attingentiam. Undè idem objectum charitatis attingitur in via liberè, & in patria neceſſario. Et ideò actus liber, & neceſſarius tantum materialitèr diſtinguntur; non autem formalitèr comparativè ad voluntatem. Conſequentèrque poterunt ab eadem voluntate provenire.

Ad 3. diſt. maj. Comparativè ad habitum inferiorem: conc. maj. Ad habitum ſuperiorem: neg. maj. Quia actus practicus, & ſpeculativus ſunt diverſæ lineæ comparativè ad habitus inferiores. Undè habitus logicæ non poteſt eſſe ſimul practicus, & ſpeculativus. Comparativè tamen ad habitum ſuperiorem non ſunt lineæ diverſæ. Eo quod, quæ in inferioribus ſunt diſperſa, poſſunt in ſuperioribus adunari.

Sed inſt. Quia actus ſcientificus, & opinativus pertinent ad lineas diverſas etiam comparativè

tivè ad habitum inferiorem. Et tamen idem habitus logicæ poteſt primario actum ſcientificum, & ſecundario actum opinativum elicere: ergo actus diſtinctæ lineæ poſſunt ab eodem principio procedere.

Reſp. neg. mai. Quia in illa ſententia actus ſcientificus, & opinativus non pertinent ad lineam formalitèr diverſam, ſed ſolum materialitèr diſtinctam. Nam uterque cadit ſub eadem ratione formali, abſtractione videlicèt ab omni materia negativè: & reſpicit uterque idem objectum attributionis, & per eadem principia eliciuntur. Huius aliquale exemplum invenitur in actibus, quibus metaphyſica attingit ens reale, & ens rationis, qui pertinent ad lineas materialitèr diverſas, non tamen formalitèr diſtinctas. Undè eadem metaphyſica primario attingit ens reale, & ſecundario ens rationis attingit.

§. IV.

Vlterius probatur concluſio.

SEcundo concl. noſtra prob. De facto homo generat hominem mediante virtute accidentali ſeminis ſubſtantialis, & idem proportionabilitèr in alijs agentibus contingit: ergo ſubſtantia de facto immediatè operativa non eſt. Prob. ant. Virtus ſeminis eſt virtus hominis generantis: ergo mediante illa alium hominem producit. Conſ. patet, & ant. prob. Quando homo moritur poteſt deciſionem ſeminis, adhuc ſemen deciſum producit hominem. Sed hoc ideò eſt; Quia virtus hominis manet in ſemine, in ipſoque virtualitèr remanet homo: ergo virtus ſeminis eſt virtus hominis generantis. Eadem etiam ratione accidentia panis, & vini ſeparata à ſubſtantia in Sacramento Euchariſtiæ poſſunt producere ſubſtantiam: quia ſunt virtutes ſubſtantiæ medijs quibus operatur.

Reſp. contrarij. Semen deciſum ſolum diſpoſitivè concurrere ad hominem producendum; ipſam autem ſubſtantiam ſolam producere immediate hominem genitum tanquam cauſam efficientem illius.

Contra tamen eſt. Quia quando homo moritur poſt deciſionem ſeminis, aliqua cauſa efficiens aſſignanda eſt reſpectu hominis producti. Sed alia cauſa aſſignari non poteſt præter hominem virtualitèr in ſemine permanentem: ergo ſemen, ut virtus hominis eſt, efficienter concurrit ad talem generationem.

Reſpondebis: Cauſam efficientem in illo eventu eſſe Deum, qui reſpectu talis generationis, non ſolum eſt cauſa univerſalis, ſed etiam cauſa particularis eſt.

Sed contra eſt. Quia ſi ſolum Deus eſſet cauſa particularis illius generationis, generatio illa miraculoſa eſſet. Nam quod ſolum fit à Deo ſecluſo agente naturali miraculoſum eſt. Sed hoc non eſt admittendum. Aliàs paſsim darentur generationes miraculoſæ: ergo ſolutio nulla eſt.

Alij autem aliter reſp. Deum non eſſe cauſam particularem illius generationis, ſed illam tanquam à cauſa particulari procedere à corpore circunſtanti.

Hæc tamen ſolutio, illorum venia, ridicula eſt. Nam homo genitus dicitur filius hominis mortui, non verò alicuius corporis circunſtantis: ergo homo mortuus; non verò corpus circunſtans eſt cauſa particularis illius generationis, & certè poteramus interrogare adverſarios, quis corpori circunſtanti; v.gr. aeri, pulveri, vel alijs huiuſmodi, tàm excellentem virtutem dedit, ut hominem generarent? hoc etiam ſaltim ſine miraculo fieri non poſſet.

Rurſus etiam aſsignanda eſt aliqua cauſa univoca illius hominis ita producti, quæ tamen cauſa non poteſt eſſe corpus circunſtans, quod eſt ſpecificè diverſum, & aliquando valdè diſsimile homini producto: ergo ſolutio admittenda non eſt.

3. Prob. conc. Si forma ſubſtantialis eſſet principium proximum immediatè operativum habens talem formam, ſemper operaretur in actu ſecundo. Sed hoc experientia probat eſſe falſum: ergo forma ſubſtantialis immediatè operativa non eſt. Prob. mai. Quia anima eſt principium proximum, & immediatum eſſendi, habens illam ſemper exiſtit in actu ſecundo. Et quia eſt principium immediatum vivendi, illam habens ſemper vivit in actu ſecundo: ergo ſi eſſet principium immediatum operandi, ſemper operaretur in actu ſecundo, qui talem formam haberet.

Inſt. Quod forma per ſe ipſam unitur materiæ, & voluntas immediatè ſe movet quoad exercitium, ſicut 1.2.q.9. Theologi communitèr dicunt, & tamen materia non ſemper eſt unita: nec voluntas ſemper in actu ſecundo ſe movet: ergo quamvis ſubſtantia eſſet immediatè operativa, non infertur indè, quod ſemper operaretur in actu ſecundo.

Reſp. tamen facilè, quod ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, non dependeret ab aliquo in operando, & ita ſemper operaretur in actu ſecundo. Cuius oppoſitum in forma contingit, quæ, ut uniatur materiæ, dependet ab extrinſeco, videlicèt ab actione agentis applicantis materiam ad formam, &

ſi-

ſimilitèr voluntas ſe movet immediatè dependentèr ab amore finis, & cum amor finis aliquando dēficiat, indè eſt, quod voluntas non ſemper ſe movet.

Sed inſt. Etiam ſubſtantia, ſi eſſet immediatè operativa, ab aliquo dependeret: ergo par ratio militat in utroque. Prob. ant. Dependeret à concurſu prævio Dei: ergo ab aliquo dependeret.

Reſp. diſt. conſ. Ab aliquo neceſſario, & ſaltim connaturalitèr debito: conc. conſ. Ab aliquo libero, vel debito contingentèr: neg. conſ. Si namque ſubſtantia eſſet immediatè operativa, per ſe ipſam haberet, quidquid requiritur ad operandum, & per ſe ipſum eſſet ſufficientèr applicata. Et ideò concurſus prævius ad ſemper operandum deberetur ſubſtantiæ, ſicut cuicumque cauſæ habenti virtutem completam, & ſufficientèr applicatæ ad agendum ſemper debetur concurſus ad operandum.

Dices: Accidens eſt principium immediatum operandi, in doctrina Thomiſtarum, & tamen non ſemper debetur illi concurſus ad operandum. Non enim ſemper operatur: ergo idem de ſubſtantia dicendum.

Reſp. tamen ex dictis antecedentèr. Quod accidens eſt principium immediatum operandi dependentèr à ſubſtantia tanquam à principio radicali. Cumque ſubſtantiæ non ſemper debeatur concurſus ad operandum inde eſt, quod talis concurſus non ſemper accidenti debetur. Si tamen ſubſtantia eſſet immediatè operativa, non dependeret à principio proximo, vel principio radicali, ſed per ſe ipſam haberet utrumque, eſſetque ſufficientèr applicata, & ita ſemper deberetur illi, & pro ſemper concurſus ad operandum. Sicut potentiæ viſivæ ſufficientèr applicatæ debetur concurſus ad videndum, & poſito aſſenſu præmiſſarum debetur intellectui concurſus ad aſſenſum concluſionis. Præterquamquod, ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, eſſet ſimplicitèr infinita, ut probabimus infrà, & ita ſemper operaretur in actu ſecundo. Quæ rationes licèt diverſæ ſint; doctrinæ tamen connexionem habent.

§. V.

Argumentis contra concluſionem iſtam occurritur.

ADverſarij autem ſuam ſententiam exiſtimant, expreſſam eſſe in Auguſt. & Bernard. In illo, quidem: quia in lib. meditat. cap. 1. affirmat: *Tria quædam intueor in anima memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & hæc tria eſſe ipſam animam.*

mam. In illo autem: quia lib. de Trinit. cap. 4. aſſerit: *Mens, & ſpiritus non relativè dicuntur, ſed eſſentiam demonſtrat.* Et rurſus in eodem cap. *Hæc tria videlicèt mentem, amorem, & notitiam eſſe in anima, non tanquam in ſubiecto ut color, aut figura in corpore, aut ulla alia qualitas, aut quantitas.* Et lib. 10. cap. 12. proſequitur: *Memoriam, intelligentiam, & voluntatem eſſe unam vitam, unam eſſentiam.* In quibus manifeſtè continetur potentias proximè operativas non eſſe realiter ab anima diverſas, nec in illa ut in ſubjecto; ſed ipſam animam per ſe ipſam realitèr immediatè eſſe etiam immediatè operativam.

In lib. etiam de ſpiritu, & anima, cap. 13. affirmat Auguſt. quod: *Anima habet ſua naturalia, & illa omnia eſt. Potentia namque, & ſuæ vires idem ſunt cum ipſa. Habet accidentia, & illa non ſunt ſuæ vires, & ſuæ virtutes non ſunt. Non eſt enim ſua prudentia, ſua temperantia, ſua iuſtitia, ſua fortitudo.* In quibus verbis idem affirmare videtur.

Nos autem magis credimus Ang. Præceptori melius intelligenti Auguſtinum, cum ipſoque propterea explicamus authoritates prædictas. Ad primam namque Bernardi, quæſt. unica de ſpirit. creat. art. 11. ad 1. reſp. D. Th. illa tria videlicèt memoriam, intelligentiam, & voluntatem eſſe ipſam animam, origine, vel ſubjecto, quatenus ab ipſa dimanant, & ſubjectantur in illa. Sicut ſi diceretur, quod calidum, lucidum, & leve ſunt unus ignis, & eodem modo eſſe intelligendam authoritatem Aug. 10. de Trinit. aſſerit ibi Doct. S.

Ad 2. auth. in 9. de Trinit. reſp. Auguſt. non ſentire mentem, & ſpiritum realitèr ab anima non diſtingui; ſed ipſum nomine proprietatum applicare ſubſtantiæ. Sicut Ariſtot. 1. de anim. text. 65. humanum animum vocavit intellectum: & Angeli in Sacra Scriptura appellantur intellectus, & virtutes, & ſic eſſe intelligendum Auguſt. 1. p. q. 79. art. 1. docet Ang. Doct.

Dices: Homo non denominatur viſus, nec poteſt denominari viſus, nec poteſt denominari ſenſus, vel potentia ambulativa. Non ergò poterit homo denominari intellectus, & virtus.

Reſp. tamen potentiam intellectivam eſſe virtutem principaliorem in homine. Et ita maiori congruitate poteſt homo intellectus appellari, quam viſus, vel alia potentia. Eo quod in intellectu explicatur id, quod in homine principalius eſt, ratio videlicèt, & virtus intellectiva.

Ad aliam auth. q. unica de Ang. art. 12. ad 5. reſp. Ang. Doct.

Doct. quod: *Cum notitia in actu ſit quodammodo cognitum, & amor in actu ſit quodammodo ipſum amatum*, iſti duo actus ſunt una ſubſtantia, & una eſſentia objectivè, quatenus eadem ſubſtantia animæ, & mentis eſt objectum utriuſque, cum mens ſe ipſam cognoſcit, & ſe ipſam amat: de qua mente ſe cognoſcente, & amante loquitur Auguſt. Subdit namque loco citato: *Quomodo illa tria non ſit eiuſdem eſſentiæ non video, cum mens ipſa ſe amet, atque ipſa ſe noverit.*

Et Auguſt. non poſſe intelligi de identitate ſubjectiva amoris, & notitiæ cum anima conſtat etiam ex D. Thom. de ſpirit. creat. art. 11. ad 1. per ea verba: *Tamen nullus unquam oppinatur, niſi inſanus, quod habitus, & actus animæ ſint ipſa eius eſſentia.*

Eodem modo intelligendus eſt Auguſt. cum aſſerit: non eſſe accidentia, neque eſſe in anima tanquam in ſubjecto, ſicut color, aut figura, loquendo videlicèt de illis originativè, quatenus dimanativè ſunt ipſa anima, aqua dimanativè procedunt: & etiam ſunt ipſa objectivè, quatenus illam attingunt. Undè animam involvunt, tàm ex parte principij, quam ex parte objecti, & non præciſſe ut ſubjectum, ſicut color, vel figura, aut ulla alia qualitas, quam doctrinam 1. p. q. 77. art. 1. tràddere videtur D. Thom.

Si tamen in re tam gravi licèt mihi ex doctrina D. Th. diſcurrere, & ex contextu Auguſt. Reſp. auderem. Aug. loqui de identitate connexionis; non autem de identitate ſubjectiva. Quatenus memoria, intellectus, & voluntas ſunt realitèr connexivè anima ipſa, quam in omni ſtatu committantur, nec unquam ab anima realitèr ſeparantur, & ideò non ſunt accidentia connexivè, vel realitèr ſeparabilia ab anima ipſa. Sicut color, & figura, & alię qualitates poſſunt à corpore ſeparari. Quam ſolutionem non impugnabit, ut exiſtimo, quicumque Auguſt. contextum attenderit.

Iuxta hanc etiam doctrinam explicari poterat authoritas alia Aug. de ſpiritu, & anima. Verùm Ang. Præcep. q. unica de ſpirit. creat. art. 11. ad 2. reſp. librum eſſe apocryphum, & authorem ignorari, & multa falſa continere, vel impropriè dicta, & non intellexiſſe dicta ſanctorum, qui talem librum compoſuit. Et hæc de mente Auguſtini propter eius reverentiam, in quibus tamen amplius immorari, non licèt.

2. Arg. à ratione contra concluſ. prædictam. Subſtantia immediatè operativa eſt reſpectu ſuarum paſſionum: ergo etiam reſpectu cuiuſcumque operatio-

nis, & effectus erit immediatè operativa. Ant. prob. Paſsiones immediatè procedunt ad ſubſtantia: ergò immediatè operativa eſt reſpectu ſuarum paſsionum.

Reſp. neg ant. & ad probat. diſt. ant. Immediatè per dimanationem: conc. ant. Per veram actionem: neg. ant. & conſ. Licèt namque paſsiones immediatè dimanent ab eſſentia, non tamen procedunt ab illa per veram actionem, ſed per eandem actionem, qua producitur eſſentia, producuntur proprietates tanquam terminus ſecundarius. Cumque dimanatio non ſit vera actio. Indè eſt, quod ſubſtantia reſpectu ſuarum paſsionum immediatè operativa non eſt.

Sed inſt. Etiam actio per dimanationem fit. Quia actio non fit per aliam actionem. Aliàs unius actionis daretur alia. Conſequentèrque daretur proceſſus in infinitum: ergo poterit actio immediatè à ſubſtantia procedere. Ac proindè ſubſtantia poterit eſſe immediatè operativa.

Reſp. diſt. ant. Per dimanationem impropriè talem: conc. ant. Propriè talem: neg. ant. & conſ. Illud namque propriè dimanat ab aliqua forma, quod ſe habet tanquam terminus ſecundarius eiuſdem actionis, qua forma producitur, cum illaque ſaltim connaturaliter connectitur: quo modo actio non dimanat à forma, ſed illi convenit contingentèr, de illaque prædicatur prædicatione quinti prædicabilis. Et ideò actio ſolum impropriè à forma dimanat. Quatenus forma ad unam actionem alia non indiget, ſed potius actio eſt ratio formalis producendi effectum, & ſe ipſam producendi.

3. Arg. Operatio immediatè procedit à ſubſtantia: ergo ſubſtantia immediatè operativa eſt. Prob. ant. 1. Intellectio qua Angelus ſe ipſum intelligit procedit immediatè à ſpecie impreſſa. Et in genere cauſæ efficientis iuxta ſententiam probabiliorem afferentem ſpeciem impreſſam efficientèr ad intellectionem concurrere. Sed ſpecies impreſſa reſpectu intellectionis, qua Angelus ſe ipſam intelligit, eſt propria Angeli ſubſtantia: ergo operatio immediatè à ſubſtantia procedit.

2. Generatio ſubſtantialis non procedit immediatè à virtute inſtrumentaria ſubſtantiæ: ergo à ſubſtantia procedit immediatè. Conſequentèrque operatio immediatè à ſubſtantia procedit. Prob. ant. Tùm quia alteratio, & generatio realitèr diſtinguntur: & etiam ſpecificè formalitèr. Sed alteratio procedit radicalitèr à ſubſtantia, & immediatè ab accidenti, quod eſt virtus inſtrumentaria ſubſtan-

tantiæ: ergo è contra generatio procedit immediatè ab ipsâ ſubſtantia, & non à virtute inſtrumentaria ſubſtantiæ.

3. Quia actio vitalis non poteſt ab aliquo inſtrumento procedere. Sed generatio eſt actio vitalis: ergo non procedit immediatè à virtute inſtrumentaria ſubſtantiæ.

Reſp. neg. ant. & ad 1. prob. diſt. mai. Tanquam a principio objectivo: conc. mai. Subjectivo: neg. mai. & conc. min. neg. conſ. ſub eadem diſtinctione. Licèt namque operatio poſsit immediatè procedere à ſubſtantia tanquam à principio objecto, & tanquam ab ſpecie; non tamen poteſt immediatè à ſubſtantia procedere tanquam à principio ſubiectivo, & ut à potentia proxima ſe tenente ex parte ſubjecti. Ratio autem ea eſt. Quia ſpecies ſe tenet ex parte objecti. Cumque objectum non ordinetur ad operationem, ſed potius operatio ad obiectum. Indè fit, etiam ſpeciem ad operationem non ordinari, nec ab illa ſpecificari. Quod maximè verum eſt in ſpecie, quæ per ſe primo eſt ſubſtantia, & ordinatur ad eſſe, non verò ad objectum repræſentandum, & ideò ſubſtantia per modum ſpeciei poteſt eſſe immediatè operativa; non tamen per modum potentiæ, & principij ſubiectivi, quod per ſe primo ad operationem ordinatur, & ſpeciem accipit ab illa. Inſtantia eſt in eſſentia divina, quæ per modum ſpeciei concurrit efficienter cum intellectu beati ad viſionem ipſam beatam, & tamen non ſpecificatur ab illa. Eo quod nullum prædicatum divinum à creatura ſpecificari poteſt.

Ad 2. prob. ant. principalis: neg. ant. & ad 1. prob. neg. conſ. Quia alteratio, & generatio formaliter, & realiter diſtinguuntur penes terminos, & cum terminus utriuſque ſit formaliter diverſus, ſcilicèt ſubſtantia, & accidens. Indè fit prædictas operationes eſſe diſtinctas formaliter, & realiter, quamvis ex parte principij procedant ab eadem virtute inſtrumentaria ſubſtantiæ. Nam alteratio diſponit ad formam ſubſtantialem introducendam, & ita provenire debet ab accidenti, ut à virtute ſubſtantiæ: aceidens enim ratione ſui ad ſubſtantiam diſponere nequit.

Poteramus etiam dicere: alterationem ordinari ad effectum accidentalem, non excedentem virtutem accidentis operantis ex parte principij, & ideò procedere ab accidenti propria virtute, & ratione ſui. Generationem verò ſemper procedere ab accidenti ut à virtute ſubſtantiæ. Et ita in modo procedendi à principio accidentali eſſe diſtinctas formaliter prædictas operationes.

Ad 2. prob. eiuſdem ant. reſp.

reſp. Actionem vitalem non poſſe procedere ab inſtrumento ſeparato, & rigoroſo. Quia vivere eſt ſe movere. Inſtrumentum verò rigoroſum non ſe movet, ſed movetur à cauſa principali. Et ita tale inſtrumentum formaliter non poteſt vivere, vel actionem vitalem elicere. Poſſe tamen actionem vitalem procedere à virtute inſtrumentaria, quæ ſe ipſa eſt virtus agentis principalis, & vitalis agentis. Et ita agens media illa virtute poteſt vivere, vel elicere actionem vitalem. Ac proindè actio vitalis poteſt immediatè à virtute inſtrumentaria procedere.

Dices: Si intellectus inſtrumentaliter ad viſionem beatam concurreret: viſio illa non eſſet vitalis, nec per illam viveret intellectus, ſicut Thomiſtæ 1. p. q. 12. docent. Et tamen intellectus eſt virtus inſtrumentaria animæ rationalis: ergo non poteſt actio vitalis à virtute inſtrumentaria procedere.

Reſp. Thomiſtas ſolum docere, quod ſi intellectus tanquam verum inſtrumentum concurreret ad viſionem beatam, illa non eſſet vitalis; non tamen non forè vitalem intellectum ſi intellectus per modum virtutis inſtrumentariæ ad illam concurret.

Dices: Intellectus nec per modum virtutis inſtrumentariæ poteſt concurrere ad beatam viſionem: ergo ideò eſt, quia actio vitalis non poteſt procedere à virtute inſtrumentaria.

Reſp. neg. cauſalem conſ. Non enim ideò intellectus non poteſt ad viſionem beatam concurrere per modum virtutis inſtrumentariæ, quia talis modus concurrendi impediat vitalitatem; ſed ex alio cap. id probant noſtri Thomiſtæ. Quia videlicèt intellectus ratione ſui non ſubordinatur Deo Auctori ſupernaturali in operando, ſicut nec illi ſubordinatur in eſſendo. Conſequenterque non poteſt intellectus eſſe virtus inſtrumentaria Dei Auctoris ſupernaturalis. Aliunde etiam non poteſt eſſe virtus inſtrumentaria animæ rationalis. Alias ſubordinaretur animæ tanquam cauſæ principali. Quod quidem eſſe non poteſt. Eo quod viſio excedit animam rationalem, & illius virtutem, & exigentiam. Ideòque anima non poteſt eſſe cauſa principalis reſpectu viſionis. Undè intellectus non poteſt eſſe virtus inſtrumentaria Dei, vel animæ rationalis. Conſequenterque nullo modo poteſt tanquam virtus inſtrumentaria ad viſionem beatam concurrere.

4. Arg. Quia accidens non poteſt eſſe principium immediatè productivum reſpectu ſubſtantialis effectus: ergò in ordine ad effectum ſubſtantialem ſola ſubſtantia erit immediatè operativa. Prob. ant. Accidens

non

non poteſt intrinſecè continere ſubſtantiam: ergo non poteſt eſſe principium immediatè productivum ſubſtantialis effectus. Nam quæcumque cauſa debet effectum præcontinere. Ant. prob. Accidens eſt imperfectius, & inferius ipſa ſubſtantia: ergo illam intrinſecè præcontinere non poteſt.

Hoc eſt contrariorum fundamentum, quo ſententiam noſtrã penitus evertere tentant, & figmenta ſua dicunt plauſu memoranda canoro. Leve tamen eſt ut doctrinam noſtram, & rationis pondera frãgar, & ad ipſum neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Continere tanquam cauſa principalis: conc. ant. Tanquam virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ: neg. ant. & conſeq. Licèt namque accidens non poſsit eſſe principium radicale, & cauſa principalis ad producendum effectum ſubſtantialem: eo quod imperfectius, & inferius eſt ſubſtantia; poteſt tamen accidens tanquam virtus inſtrumentaria continere ſubſtantiam, & ut talis concurrere ad ſubſtantiam producendam.

Sed inſt. Quia omne inſtrumentum accipit virtutem ſuperadditam à cauſa principali in ordine ad effectum, quem producit inſtrumentaliter: Sed ſubſtantia nullam virtutem poteſt communicare accidenti ad producendum ſubſtantialem effectum: ergo accidens etiam inſtrumentaliter, vel tanquam virtus inſtrumentaria non poteſt concurrere ad ſubſtantiam producendam. prob. min. Talis virtus non poteſt eſſe ſubſtantialis. Eo quod accidens virtutis ſubſtantialis capax non eſt. Nèc poteſt eſſe accidentalis. Nam in vi huius non poteſt accidens continere ſubſtantiam, ſicut nèc ratione ſui: ergo ſubſtantia nullam virtutem poteſt communicare accidenti ad producendum ſubſtantialem effectum.

Reſp. diſt. mai. omne inſtrumentum verè tale: conc. mai. Impropriè tale: neg. mai. & conc. min. Loquendo de virtute ſuperaddita de novo: nego conſeq. Inſtrumentum namque verum, & riguroſum, & à cauſa principali ſeparatum indiget ſpeciali motione, & virtute de novo ſuperadita ad effectum producendum, ſicut ſerra, penicillus, & alia huiuſmodi inſtrumenta: Inſtrumentum verò quod riguroſum non eſt, ſed potius eſt virtus inſtrumentaria ipſius cauſæ principalis, non indiget nova virtute; ſed potius eo ipſo, quod fit coniunctum cauſæ principali, cuius eſt virtus, poteſt producere effectum, quem ſecundum ſe non poſſet producere: ſicut calor coniunctus cum ſubſtantia animalis producit carnem: & calor in muliere producit lac, & coniunctus cum igne poteſt alium ignem producere.

Sed

Sed inſt. Accidens nequit producere ſubſtantiam, niſi accipiat à ſubſtantia ſuperadditam virtutem: ergo ſi non poteſt virtutem ſuperadditam accipere, non poterit etiam ſubſtantiam producere. Prob. ant. Accidens non poteſt producere ſubſtantiam, niſi in virtute ſubſtantiæ: ergo nequit producere ſubſtantiam, niſi accipiat à ſubſtantia ſuperadditam virtutem.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. Niſi in virtute in tranſitiva: conc. ant. Tranſitiva: neg. ant. & conſ. Accidens namque producit ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ; non quidem in virtute ſubſtantiæ tranſitivè, id eſt à ſubſtantia derivata, & tranſeunte de ſubſtantia in ipſum accidens, & in ipſo de novo recepta; ſed ſolùm in virtute ſubſtantiæ in tranſitiva producit. Quatenùs accidens ſe ipſo eſt virtus manans à ſuſtantia, & illi ſubordinatur, & confertur à natura ad agendum. Ex qua ſubordinatione, & coniunctione ad ſubſtantiam poteſt tanquam virtus inſtrumentaria aliam ſubſtantiam producere. Sicut in multorum ſententia cogitativa ex ſubordinatione ad intellectum poteſt circa ſingularia diſcurrere, & entia rationis imperfecta formare, & intellectus ex coniunctione ad voluntatem poteſt efficaciter movere, abſque aliqua virtute ſuperaddita de novo.

Sed inſt. 1. Accidens ex coniunctione, & ex ſubordinatione ad ſubſtantiam non mutatur intrinſecè: ergo etiam ex tali ſubordinatione non poterit continere intrinſecè ſubſtantiam, nec producere illam. Quia accidens non poteſt ſubſtantiam intrinſecè continere, niſi ratione alicuius intrinſeci, quo intrinſecè mutetur.

Inſt. 2. Accidens, ut dimanans à ſubſtantia, entitativè, & formaliter eſt accidens, quod quidem non poteſt in ſe habere virtutem ſubſtantialem, ſed ſolum virtutem accidentalem. Sed ratione huius nequit ſubſtantiam producere, neque illam continere: ergo idem quod priùs.

Ad 1. repl. reſp. diſt. ant. Intrinſecè receptivè: conc. ant. Intrinſecè dimanativè: neg. ant. & conſ. Quia quamvis accidens ex ſubordinatione ad ſubſtantiam nihil de novo recipiat, per quod mutetur intrinſecè receptivè, dimanat tamen cum maiori perfectione intrinſeca, quam haberet ſecundum ſe. Et ideò propter hanc maiorem perfectionem, quam habet per dimanationem à ſubſtantia, poteſt ſuſtantiam producere, & ipſam intrinſecè continere.

Ad 2 replic. reſp. Tàm accidens, quàm virtutem ipſius entitativè, & formaliter eſſe de linea accidentis; virtualiter tamen

men eſſet de linea ſubſtantiæ. Quatenus à ſubſtantia dimanat tanquam virtus inſtrumentaria à natura determinata, ut ſubſtantia per ipſam poſsit ſubſtantiam producere.

Dices: ergo in tantum accidens eſt principium immediatum operandi, in quantum eſt virtualitèr ſubſtantia: ergo iam ipſa ſubſtantia eſt principium immediatum operandi.

Reſp. diſt. ſecundum conſ. Ipſa ſubſtantia in ſe: neg. conſ. Ipſa ſubſtantia in ſui virtute: conc. conſ. Accidens namque eſt ipſa virtus ſubſtantiæ, & in quantum talis, poteſt ſubſtantiam producere. Ex quo non ſequitur ſubſtantiam in ſe ipſa eſſe immediatè operativam, ſed ſolum in ſui virtute, qua ſubſtantia eſt formalitèr accidens, & ſolum virtualitèr ſubſtantia. Et ita quod immediatè operatur, eſt accidens formalitèr, quamvis virtualitèr ſubſtantia ſit.

Dices: Benè valet, ſubſtantia virtualitèr eſt principium immediatum operandi: ergo ſubſtantia eſt immediatè operativa. Conſequentèrque ſi potentia immediatè operativa virtualitèr eſt ſubſtantia, iam ipſa ſubſtantia erit immediatè operativa.

Reſp. Conſequentiam non valere: quia arguitur in illa à ſecundum quid ad ſimpliciter. Et ab antecedenti cum addito diminuente ad conſequens abſolutè ſimpliciter. Eo quod eſſe ſubſtantiam virtualitèr diminuit de ratione ſubſtantiæ. Sicut eſſe animal potentialitèr diminuit de ratione animalis. Quæ doctrina eſt D. Thom. opuſc. 39. cap. 10. Et nos etiam dedimus illam de diſtinctione inter exiſtentiam, & eſſentiam diſputantes.

§. VI.

Statuitur ſecunda concluſio:

Subſtantia etiam de potentia abſoluta non poteſt eſſe immediatè operativa.

COncl. iſta prob. ratione D. Th. 1. p. q. 77. art. 1. Quia ſi ſubſtantia eſſet potentia proxima immediatè operativa, eſſet formalitèr accidens. Sed ſubſtantiam eſſe accidens eſſentialitèr repugnat, & contingere non poteſt etiam de potentia abſoluta: ergo attenta etiam tali potentia non poteſt ſubſtantia eſſe immediatè operativa. Prob. mai. Si ſubſtantia eſſet potentia proxima immediatè operativa, eſſet in eodem genere cum operatione ſua: ergo eſſet formalitèr accidens, ſicut & ipſa operatio. Prob. ant. Actus, & potentia per ſe ad actum ordinata debent eſſe in eodem genere. Sed, ſi ſubſtantia eſſet potentia pro-

proxima immediatè operativa, eſſet etiam potentia per ſe ad operationem ordinata : ergo eſſet in eodem genere cum operatione ſua. Mai. videtur principium lumine naturali notum, & explicatur ſic. Nam actus, & potentia per ſe ad actum ordinata dividunt quodlibet genus entis, & conſequenter etiam dividunt accidens in communi. Eo quod accidens in communi eſt quodam genus entis, ſumpto genere lato modo : ergo actus, & potentia debent eſſe in eodem genere. Quia in bona diviſione membra dividentia continentur ſub diviſo, & pertinent ad idem genus, ſi diviſio eſſentialis eſt : qualiter omne genus entis eſt eſſentialitèr diviſibile in potentiam, & actum.

Reſp. Quod ſi ratio facta vera eſſet, actus, & potentia per ſe ad actum ordinata deberent eſſe in eodem prædicamento. Quod tamen falſum eſt. Nam generatio pertinet ad prædicamentum actionis ; potentia verò proxima generandi pertinet ad prædicamentum qualitatis, ſicut dicitur in Logicam in proprio prædicamento : quamvis reductivè potentia generativa pertineat ad prædicamentum actionis tanquam actionis principium. Ut punctum pertinet ad prædicamentum quantitatis.

Hæc tamen ſolutio ex prava intelligentia rationis factæ procedit. Quia actus, & potentia per ſe, & eſſentialitèr dividunt omne genus phyſicum entis. Conſequenterque contineri debent in eodem genere phyſico. Ita, ut ſi actus eſt ſubſtantia, potentia per ſe ad actum ordinata debeat eſſe ſubſtantialis ; Etſi actus fuerit accidens, etiam erit de genere accidentis potentia, quæ per ſe ordinatur ad actum. Non tamen neceſſum eſt, quod actus, & potentia per ſe ad actum ordinata dividant eſſentialiter idem genus prædicamentale. Aliàs nec ipſa ſubſtantia eſſet immediatè productiva actionis tranſeuntis. Quando quidem actio tranſiens, & ſubſtantia pertinere non poſſunt ad idem prædicamentum.

Dices : Eſſe probabilem ſententiam formam vermis geniti ex ſpeciebus Sacramentalibus recipi in ipſa quantitate, non verò in aliqua materia ſubſtantiali. In qua opinione quantitas eſt potentia per ſe ad formam ſubſtantialem ordinata. Et tamen quantitas non eſt in eodem genere phyſico, in quo forma ſubſtantialis exiſtit. Siquidem quantitas illa manet accidens entitativè, & ità ad genus accidentis pertinere debet.

Sed contra eſt. Quia potentia per ſe ad actum ordinata debet eſſe in eodem genere phyſico cum actu, vel in genere inferiori, ut ita poſsit per ſe ad actũ ordi-

ordinari, & habere ſuum eſſe in ordine ad actum. Quod quidem non repugnabit potentiæ, ſi ſit in genere inferiori ad genus ipſius actus. Sed illa quantitas, licèt ſit in genere diverſo à genere actus, eſt tamen in genere inferiori, videlicèt in genere accidentis: actus verò eſt in genère ſubſtantię: ergò poterit illa quãtitas abſque ullo inconvenienti contra rationem prædictam eſſe potentia per ſe ordinata ad formam ſubſtantialem recipiendam Addimus quantitatem illam formaliter, & in munere eſſe ſubſtantiam, & ſub genere ſubſtantiæ contineri, quidquid ſit de illa materialitèr accepta.

§. VII.

Vnicum argumentum contra rationem iſtam.

COntra rationem arguitur. Quia actus, & potentia non debent eſſe in eodem genere: ergo ratio nititur principio falſo. Prob. ant. primo. Potentia obediencialis, & eius actus non ſunt in eodem genere. Nam potentia obedientialis entitativè naturalis eſt, & eadem realitèr cum potentia naturali. Actus verò illius eſt formaliter ſupernaturalis: ergo actus, & potentia non debent eſſe in eodem genere.

2. Prob. ant. Compoſitum ſubſtantiale comparatur ad accidentia ſicut potentia ad actum, & tamen in eodem genere non inveniuntur, ut per ſe manifeſtum eſt: ergo idem quod prius.

Reſp. neg. ant. ad 1. prob. diſt. conſ. Potentia, quæ per ſe non ordinatur ad actum: conc. conſeq. Per ſe ad actum ordinata: neg. conſeq. Quia in præſenti loquimur de potentia, quæ per ſe ordinatur ad actum, & habet poſitivam inclinationem ad ipſum, qualis non eſt potentia obedientialis, quæ quidem non dicit inclinationem ad actum ſupernaturalem: & licèt ipſum connotent: non tamen per ſe ordinatur ad ipſum, ſed eſt mera non repugnantia ad illum habendum.

Dices: Etiam potentia per ſe ad actum ordinata non debet eſſe in eodem genere cum actu: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. ant; Habitus Logicæ per ſe ordinatur ad ens rationis, & ad ipſum tanquam ad objectum ordinem, & inclinationem importat. Et tamen non eſt in eodem genere cum ipſo. Siquidem habitus eſt in genere entis realis. ergo etiam potentia per ſe ad actum ordinata non debet eſſe in eodem genere cum actu.

Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. mai. Ad ens rationis ut ad terminum purè extrinſecum: conc. maiorem. Tanquam ad intrinſecum actum, & intrinſecè perficientem: neg. mai. Quia habitus Logicæ ſolum reſpicit objectum tanquam terminum purè extrin-

extrinſecum, & extrinſecè perficientem, & propterea non requiritur, quod ſit in eodem genere habitus. Sicut generatio ſubſtantialis per ſe ordinatur ad effectum ſubſtantiale producendum, & tanquam ad extrinſecum terminum, & tamen generatio eſt in genere accidentis, & terminus eſt in genere ſubſtantiæ. Nos autem in præſenti tantum loquimur de potentia per ſe ordinata ad actum, vel terminum intrinſecum intrinſecè ſpecificantem, & intrinſecè perficientem. Nam ſolum talis actus, & potentia dividunt eſſentialiter, & per ſe omne genus phyſicum entis.

Ad 2. prob. ant. princ. reſp. Compoſitum ſubſtantiale habere eſſe ſimpliciter antecedenter ad accidentia, quæ ſolum dant eſſe ſecundum quid, & ita non eſſe potentiam per ſe ad accidentia ordinatam. De quâ ſolum in præſenti ſermo eſt.

Dices: Quamvis ſubſtantia eſſet immediatè operativa, non eſſet potentia per ſe ad operationem ordinata: ergo non deberet eſſe in eodem genere cum operatione ſua. Prob. ant. Quia in illo eventu ſubſtantia eſſet ens ſimpliciter, & cauſa principalis operationis. Sed ens ſimpliciter, & cauſa principalis non per ſe ordinatur ad effectum: ergo ſubſtantia in illo eventu non eſſet potentia per ſe ad operationem ordinata.

Reſp. neg. ant. Ad probationem diſt. mai. Ens ſimpliciter modo repugnanti: conced. mai. Modo debito, neg. mai. & conceſſa min. ſub eadem diſtinctione: neg. conſ. Nam ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, eſſet ens ſimpliciter modo repugnanti. Eo quod eſſet ens ſimpliciter habens totum ſuum eſſe, non in ordine ad ſe, ſed in ordine ad operationem, cuius eſſet immediatum principium. Conſequenterque eſſet potentia per ſe ad operationem ordinata. Cumque hoc repugnet enti ſimpliciter, etiam repugnabit tali enti eſſe principium immediatè operativum. In quo etiam eventu eſſet cauſa principalis radicalis, quam vis modo repugnanti, quatenus per ſe ad effectum ordinatur.

§. VIII.

Alia ratio concluſionis proponitur.

SI ſubſtantia eſſet immediatè operativa, ſpecificaretur ab operatione, ab illaque eſſentialiter dependeret. Quia potentia per ſe ad actum ordinata ſpecificatur ab illo. Sicut conſtat in quacumque potentia. Etſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, eſſet potentia per ſe ad operationem ordinata. Sed ſubſtantiam ſpecificari ab operatione eſſentialiter repugnat: ergò non poteſt eſſe ſubſtantia immediatè operativa etiam de po-

potentia abſoluta. Prob. min. 1. Quia ſubſtantia eſſentialiter eſt perfectior exceſſu entis ſimpliciter, quàm accidens: ergo ſubſtantiam ſpecificari ab operatione eſſentialiter repugnat.

2. Prob. min. Subſtantiam non eſſe ens per ſe eſſentialiter repugnat ſubſtantiam non eſſe ſubſtantiam. Sed ſi ſubſtantia ſpecificaretur ab operatione, non eſſet ens ad ſe, ſed ad aliud, videlicèt ad ſuam operationem: ergo ſubſtantiam ſpecificari ab operatione eſſentialiter repugnat.

3. Prob. min. Nam quod ſpecificatur ab alio; reſpicit illud ut finem. Sed ſubſtantia non poteſt ad accidens tanquam ad finem ordinari, ſed è contra accidens eſt propter ſubſtantiam, & ad illam ordinatur tanquam ad finem: ergò idem quod priùs.

§. XI.

Argumentum contra rationem ſolvitur.

ARgui contra rationem prædictam. Nam ex quo ſubſtantia ſit perfectior accidenti, non ſequitur, quod ab illo ſpecificari non poſsit: ergo ratio nititur falſo principio. Prob. ant. 1. Habitus logicæ perfectior eſt ente rationis. Et tamen ſpecificatur ab illo: ergo ex quo ſubſtantia ſit perfectior accidente, non infertur, quod ab illo ſpecificari non poſsit.

2. Prob. ant. Intellectus, & voluntas in probabili ſent. Th. ſunt ſimpliciter perfectiores ſuis actibus, & tamen ſpecificantur ab illis: ergo idem quod prius.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. Perfectior eſt abſolutè conc mai. Exceſſu entis ſimpliciter: neg. mai. & conc. min. neg. conſ. ſub diſtinctione maioris. Non enim probamus ſubſtantiam nõ poſſe ſpecificari ab accidenti ex quo magis perfecta ſit, abſolutè loquendo; ſed ex maiori perfectione entis ſimpliciter ſubſtantialis de cuius ratione eſt, quod ſit ad ſe, & non ſit ad aliud: & propter talem perfectionem ab alio ſpecificari non valet. Habitus autem logicæ, quamvis ſit perfectior ente rationis, eſt tamen accidens, cui non repugnat eſſe quid reſpectivum, & ad aliud ordinatum, quod in habitibus, & potentijs ſpecialiter contingit.

Ad 2. prob. conſtat ſolutio. Quia intellectus, & voluntas ſunt potentiæ eſſentialiter reſpectivæ. Conſequenterque ab alio ſpecificari poſſunt, quamvis illud aliud minus perfectum ſit abſolutè, vel alio genere cauſæ.

Alijs terminis poterat reſp. Actus intellectus (& idem de actibus voluntatis) eſſe imperfectiores intellectu, & voluntate in genere cauſæ efficientis, cæterum in genere cauſæ formalis perfectiores ſunt: quod tamen non poteſt habere ope-

ratio-

ratio reſpectu ſubſtantiæ. Quia genus accidentis ſimplicitèr imperfectius eſt genere ſubſtantiæ, & ita operatio ſub nulla ratione, & in nullo genere cauſæ poteſt ſimplicitèr ſubſtantiam ſuperare

Sed inſt. Subſtantia non eſt eſſentialitèr ens ad ſe, ſed poteſt benè ad alterum ordinari: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. ant. 1. Subſtantia ordinatur ad ſuam operationem, iuxta commune proverbium: *Vnumquodque eſt propter ſuam operationem*: ergo ſubſtantia non eſt eſſentialitèr ens ad ſe, ſed poteſt ad alterum ordinari.

2. Principium radicale ordinatur ad propriam operationem; ſed ſubſtantia eſt principium radicale: ergo non eſt ens ad ſe, ſed potius habent eſſe in ordine ad operationem.

3. Materia habet eſſe in ordine ad formam; ſed materia prima eſt ſubſtantia: ergo ſubſtantia habet eſſe ad aliud.

4. Viſio beata perfectior eſt quacumque ſubſtantia naturali, & tamen eſt ad aliud videlicèt ad ſuum obiectum: ergo etiam ſubſtantia poteſt eſſe ad aliud.

Reſp. ad replic. neg. ant. Cuius falſitas cõſtat ex diffinitione, ſubſtantia, & experiẽtia, compertum eſt ſubſtantiam non eſſe ſimilem alteri niſi ratione qualitas, nec dicere reſpectũ ad locum niſi ratione quantitatis, nec ad aliud ut purum terminum niſi tantũ ratione relationis, quod ſignum eſt ſubſtantiam eſſentialitèr eſſe ens ad ſe, & non poſſe niſi ratione alterius ad alterum ordinari. Undè ad 1. prob. dicimus ſubſtantiã eſſe propter ſuam operationem tanquam propter finem effectũ, vel perficiendum per ipſam ſubſtantiam, ad eum modũ, quo incarnatio dicitur eſſe propter ſalutem hominum tanquam finem effectum, & conſequutum ad ipſam incarnationem.

Addimus cum Cayet. unumquodque eſſe propter ſuam operationem, id eſt, propter ſe ipſum, ut perfectum, & coniunctum cum operatione ipſa, & ita eſſe proverbium intelligendum.

Ad 2. prob. reſp. Principium radicale non ordinari proximè ad ſuam operationem, nec eſſe propter illam tanquam finem; ſed tantum radicaliter ad eam ordinari, ex quo non infertur, quod ſpecificetur ab illa.

Ad 3. reſp. diſt. conſ. Ad aliud intra lineã ſubſtantia: conc. conſ. Extra talem lineam: neg. conſ. Subſtantia namque eſt ens ad ſe contrapoſitivè ad accidẽs, quod eſt ens in alio, & ſic accidẽs dicit reſpectum ad aliud extra lineam propriam, videlicèt ad ſubſtantiã Ita ab oppoſito ſubſtantia nõ dicit reſpectum ad aliud extra lineam ſubſtantiæ, poteſt tamẽ aliquid aliud intra lineã ſubſtantiæ reſpicere, ſicut materia reſpicit formam, & creatura Creatorem, ad quem omnis creatura tanquã

ad

ad cauſam exemplarē ordinatur.

Ad 4. reſp. Quod licèt viſio beata ſit perfectior quacumque ſubſtantia naturali; eſt tamen accidens, & ita non repugnat illi ad alterum ordinari.

§. X.

Ultima ratio concluſionis proponitur.

SI ſubſtantia eſſet immediatè operativa, eſſet ſimplicitèr infinita; ſed hoc habere non poteſt etiam de potentia abſoluta: ergò de potentia abſoluta ſubſtantia non poteſt eſſe immediatè operativa. Prob. maj. Si ſubſtātia eſſet immediatè operativa, identificaret ultimam differentiam accidentis, ſiquidem identificaret rationem principij proximi, quæ eſt ultima differentia accidentis immediatè operativi: ergò eſſet infinita ſimplicitèr.

Explicatur hæc ratio. Quidquid identificat ultimam actualitatem generis dicentis perfectionem ſimplicitèr ſimplicem, eſt ſimplicitèr infinitum; ſed ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, identificaret ſecum ultimam actualitatem generis dicentis perfectionem ſimplicitèr ſimplicem: ergò evaderet infinita. Prob. min. Identificaret operatione; ſed operatio eſt ultima actualitas de linea operativa dicente perfectionem ſimplicitèr ſimplicē, & quæ verè reperitur in Deo: ergò min. vera eſt. Prob. maj. Identificaret rationem principij proximi, ſiquidem per ſe ipſam eſſet immediatè operativa: ergò identificaret etiā operationē, quia nō minus eſt extra lineā ſubſtātiç ratio principij proximi, quam operatio ipſa, conſequenterque ex identitate cum primo bene infertur identitas cū ſecundo, nam ſi utrumque eſt extra lineam ſubſtantiç, utriuſque quantum ad identitatē eadē eſt ratio, ſicut cōmuniter dicitur, quod ſi homo identificaret differentiam ultimam formicæ, identificaret etiam rerū omniū ultimas differentias, eo quod omnes ſunt extra lineam hominis, & ideò omnium illarum eadem ratio eſt.

§. XI.

Duobus argumentis occurritur.

ARg. 1. contra rationem. Nam ex quo ſubſtantia ſit immediatè operativa, nulla ſequitur infinitas: ergò ratio nititur falſo principio. Ant. prob. Ex identitate principij proximi cū principio radicali nulla ſequitur infinitas: ergò ex quo ſubſtantia eſſet immediatè operativa, nulla ſequitur infinitas. Antec. prob. Tum in probabili ſentent. Thomiſt. aſſerente: objectum Philoſophiæ eſſe ens mobile prout abſtrahit à ſubſtantia, & accidenti, in qua ſententia accidens non ſolum eſt principium proximum motus naturalis, ſed etiam radicale principium.

Tum etiam. Nam in procœm. *q. 2. art. 1.* diximus: Motus natu-

ralem in eſſe entis radicari in accidenti, ſicut intenſio qualitatis in eſſe entis radicatur in qualitate, quamuis non in ratione naturalis. Et tamen qualitas eſt principium proximum motus, etiam in eſſe entis accepti: ergò abſque ulla infinitate poteſt principium proximum identificari cum principio radicali.

Reſp. ad arg. neg. ant. Et ad prob. diſt. ant. In accidenti: conc. ant. In ſubſtantia: neg. ant. & conſeq. Licèt namque in accidenti poſſit abſque ulla infinitate identificari ratio principij proximi cum principij radicali; hoc tamen in ſubſtantia contingere non poteſt. Quia eſſe principium proximum operandi eſt de linea entis ad aliud. Conſequenterque eſt extra lineam ſubſtantiæ. Et ita talem formalitatem ſubſtantia identificare non poteſt abſque ulla infinitate. Eſſe verò principium radicale poteſt indifferenter ſubſtantiæ, & accidenti convenire. Eo quod ratio principij radicalis non eſt determinata ad lineam entis ad ſe. Proindeque non eſt extra lineam accidentis.

2. reſp. & verius. Quod ratio principij proximi verè, & propriè efficienter concurrentis ad actum nunquam identificari poteſt cum principio radicali efficienter concurrente, abſque vera infinitate. Quod quidem ratio concluſionis efficacitèr ſuadet. Nec unquam accidens eſt verè principium radicale, quod efficienter concurrat, ſed tantum eſt principium radicale, non quidem phyſicè, ſed ſolum metaphyſicè, & in eſſe ſcibilis, quatenus ſuas proprietates radicat: ſicut qualitas intenſibilitatem, vel motum intenſionis in eſſe entis. Quæ quidem proprietates demonſtrantur de accidenti independenter à ſubſtantia: ergò ideò in eſſe ſcibilis à metaphyſica, vel mathematica ultimo reducuntur ad ipſum.

Contra utramque ſolutionem inſtabis. Ex identitate principij proximi cum principio radicali ſubſtantiali, & efficienter concurrente ad veram operationem, nulla ſequitur infinitas: ergò utraque ſolutio ruit. Prob. antec. Ex identitate objecti cum principio proximo in linea intelligibili paſſiva nulla ſequitur infinitas. Sicut conſtat in ſubſtantia Angeli, quæ per ſe ipſam eſt ſpecies impreſſa, ut Angelus ſe ipſum intelligat: quæ tamen ut ſubſtantia eſt principium radicale intelligendi: & ſub munere ſpeciei eſt principium proximum, & verè efficienter ad intellectionem concurrit: ergò ex identitate principij proximi efficienter concurrentis cum principio radicali ſubſtantiali verè etiam efficienter concurrente nulla ſequitur infinitas. Quia ſicut ratio principij proximi eſt

per-

perfectio ſimplicitèr, & in Deo reperta: ita etiam ratio ſpeciei impreſſæ. Proindeque, ſi ex identitate ſubſtantiæ cum ſpecie nulla ſequitur infinitas, ex altera identitate infinitas ſequenda non eſt.

Reſp. neg. conſ. Et ratio diſcriminis eſt. Quia ſpecies creata ex conceptu communi ſpeciei impreſſæ non petit eſſe accidens, nec exigit realem diſtinctionem ab objecto. Conſequentèrque extra lineam ſubſtantiæ non eſt, ſed poteſt abſque ulla infinitate eſſe ſubſtantia ipſa, quæ intelligitur, ut conſtet in exemplo Angeli in argumento relato. Principium verò proximum increatis habet totum eſſe in ordine ad aliud. Et ideò ſemper eſt extra lineam ipſam ſubſtantiæ.

Sed inſt. Species impreſſa creata ex conceptu communi non exigit realitèr ab objecto diſtingui: ergò principium proximum à principio radicali ſubſtantiali diſtingui realitèr non expoſcit.

Reg. neg. conſ. Et diſparitas eſt. Quia ſpecies creata requiritur ad proportionandum objectum cum ipſa potentia. Et cum ſubſtantia Angeli ſit per ſe ipſam proportionata cum intellectu proprio propter ſuam immaterialitatem: & quia cum illo intimè conjuncta eſt. Indè ſit non exigere realem diſtinctionem à ſpecie impreſſa, quà Angelus propriam ſubſtantiam intelligit. Unde ſpecies creata ex conceptu communi permittit diſtinctionem realem ab objecto, non tamen illam poſitivè requirit. Principium autem proximum operandi eſſentialitèr eſt ad aliud. Et ita realiter debet diſtingui ab ente per ſe, vel ab ente ſubſtantiali.

2. arg. Quamvis ſubſtantia identificaret rationem principij proximi immediatè operativi; adhuc tamen non identificaret operationem ſuam: ergò adhuc infinita non eſſet. Prob. antec. 1. Subſtantia Angelici identificat principium proximum in linea intelligibili paſsiva, videlicèt ſpeciem impreſſam. Et tamen non identificat ultimam actualitatem talis lineæ videlicèt verbum: ergò quamvis ſubſtantia identificaret rationem principij immediatè operativi, adhuc tamen non identificaret operationem ſuam.

2. Poteſt ſubſtantia præſtare effectum principij immediatè operativi, quim identificet ultimam differentiam potentiæ: ergò quamvis ſubſtantia præſtaret talem effectum, & eſſet immediatè operativa, adhuc tamen non identificaret rationem principij proximi, & operationem ſuam. Prob. ant. Anima rationalis præſtat gradum ſenſitivum ejuſdem rationis cum ſenſitivo bruti. Et tamen non

identificat formam bruti ſecundum ultimam differentiam ipſius: ergò poteſt ſubſtantia præſtare effectum principij immediatè operativi, quim identificet ultimam differentiam talis principij, & ſuam operationem.

Reſp. ad inſt. neg. ant. & ad 1. prob. neg. conſ. Quia ſpecies impreſſa, vel principium proximum in linea intelligibili paſsiva non exigit eſſe extra lineam ſubſtantiæ, & realiter ab illa diſtingui propter rationem traditam in ſolutione argumenti præcedentis, & ideò ex identitate ſubſtantiæ cum ſpecie impreſſa non infertur identificatio cum ultima actualitate, vel verbo. Oppoſitum autem contingit in principio proximè operativo, quod eſſentialiter petit eſſe extra lineam ſubſtantiæ propter rationem in eodem loco traditam, & ſæpè in articulo repetitam, & ita ſi ſubſtantia identificaret principium proximum, identificaret etiam operationē, cum utriuſque eadem ratio ſit.

Ad 2. neg. ant. & ad prob. diſt. maj. Ejuſdem rationis genericè: conc. maj. Specificè: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Anima namque rationalis ſolum continet formam ſenſitivam æqui, v. gr. ſecundum rationem communem, & propterea ſolum præſtat effectum illius ſecundum rationem genericam, & communem; non tamen præſtat ſenſitivum bruti, prout in illo eſt, ſed ſenſitivum ſpecificè perfectius, quod in homine reperitur, eſſe verò principium proximum operandi eſt ultima differentia potentiæ proximè operativæ, & ita ſi ſubſtantia eſſet operativa immediatè, identificaret talem ultimam differentiam, & ſuam operationem.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. diſcurſu colligitur 1. accidens non poſſe eſſe virtualiter ſubſtantiam in genere cauſæ formalis, nec intrinſecè, nec extrinſecè ſpecificativè, quia accidens participare non poteſt, quod eſt perfectiſsimum intra lineam ſubſtantiæ, eſſe autem cauſam formalem intrinſecam, vel extrinſecam præſtantem ſpeciem ſubſtantialem eſt perfectiſsimum in linea ſubſtantiæ, & ita ab accidenti participari non poteſt.

Dices: Accidens poteſt eſſe virtualiter ſubſtantia in genere cauſæ efficientis, ut vidimus, & conſtat in accidentibus Euchariſtiæ, & etiam in genere cauſæ materialis, nam quantitas poteſt recipere formam ſubſtantialem in probabili ſententia: ergò poteſt accidens eſſe etiam virtualiter ſubſtantia in genere cauſæ formalis.

Neg. conſeq. Quia eſſe virtualiter ſubſtantiam in genere cauſæ effi-

efficientis eſt eſſe virtutem dimanantem à ſubſtantia, & datam ipſi ad agendum, quod quidem accidenti non repugnat, & ſimilitèr eſſe cauſam materialem, & imperfectiſsimum intra lineam ſubſtantiæ, conſequenterque poteſt participari ab accidenti perfecto qualis eſt quantitas, quod ſupremum infimi poteſt attingere infimum ſupremi, eſſe verò ſubſtantiam in genere cauſæ formalis intrinſecè, & per modum formæ, eſt perfectiſsimũ in linea ſubſtantiæ, & etiam eſſe ſubſtantiam extrinſecè ſpecificativè repugnat ſubſtantiæ, quę ſecundum ultimam differentiam non poteſt non eſſe ens per ſe, vel ad alterum ordinari.

2. Collig. ſubſtantiam in actu ſecundo cauſantem conſtitui per ſuam operationem, quia per illam reducitur de actu primo ad ſecundum, per ipſamque in actu ſecundo agit. Et hæc de artic. iſto ubi artic. præced. ad Philoſ. applicanda.

ARTICULUS III.

Utrùm Deus concurrat ſimultaneo concurſu ad effectum cauſæ creatæ.

§. I.

Relatis ſententijs ſtatuitur concluſio.

PEr concurſum ſimultaneum intelligimus, & benè cauſalitatem, qua Deus ſimul cum creaturis concurrit ad earum effectus, talemque concurſum ponimus, ut effectus creati immediatè dependeant à Deo tanquã à prima, & univerſaliſsima cauſa, non tamen ipſum ſimultaneum nominamus, quia eadem actio creaturæ ſit etiam actio Divina, qua Deus in actu ſecundo ſimul cum creatura producat effectũ, aliàs Deus verè ageret per actionem formalitèr tranſeuntem, & formalitèr in paſſo receptam, ſicut ipſa creatura; ſed concurſum dicimus ſimultaneum, quia actio Divina increata, & infinita ſimul cum actione creaturæ concurrit ad effectum creatum, & facit ipſum à Deo immediatè dependere. Quo prænotato.

In primis fuit quorundam antiquorum error, qui (ut refert D. Th. 1. *p. q.* 105. *art.* 3. & 5.) aſſerebant creaturam ad nullum cõcurrere effectum; ſed ſolũ Deum ad effectum creatum concurrere in præſentia creaturę, v.g. ad præſentiam ignis Deum urere, & ad præſentiam hominis, hominem generare, quæ ſententia erronea eſt, & ratione convincitur, quia ſi creatura nullum producit affectum, fruſtranea eſſet virtus, quam Deus contulit cauſæ ſecundæ, eo quod virtus, quæ non reducitur actum, fruſtranea eſt.

2. Sent. fuit Durandi *in* 2. *diſt.* 5. & *diſt.* 37. *q.* 1. ubi aſſerit: Deũ non concurrere immediatè ad effectum creaturę, ſed ſolũ mediatè, quatenùs cauſas ſecundas

produxit, illiſque virtutem communicavit, ut effectus creatos producerent, quam ſententiam aliqui temerariam, alij erroneam, Alij ut hæreticam cenſurant, de quo parum intereſt nobis, qui quæſtionem ſolum Philoſophicè diſputamus.

Non tamen poteſt ſententia hæc veritatem habere, ſicut ex ratione noſtra conſtabit: & quia dicitur Iſaiæ 26. *omnia opera noſtra operatus eſt in nobis Domine.* Et Actor. 17. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus movemur, & ſumus.* Quæ verba, ſi abſolutè intelligantur, dependentia immediatam effectus creati à Deo manifeſtè declarant. Eſſe verò abſolutè intelligenda ex eo conſtat. Quod ex tali intelligentia nullum ſequitur inconveniens. Conſequenterque abſolutè intelligenda ſunt, juxta regulam Aug.

3. Sententia Theolog. & Philoſoph. cum Aug. Doct. affirmat: Deum phyſicè immediatè, & concurſu ſimultaneo concurrere ad effectum creaturæ. Nam ut dicitur Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur*; ſed quia clarè ex Sacra Pagina colligitur, authoritates omittimus.

Ratione concluſionem noſtrã probant aliqui. Quia ſi Deus non concurret immediatè ad effectum creaturæ, & concurſu ſimultaneo, nunquam poſſet Deus talem effectum impedire. Quod tamen falſum eſt, & pluribus probari poterat. Sufficiat autem exemplum ignis Babylonici, quem Deus impedivit, nè pueros in fornace comburetur.

Hæc tamen ratio efficacitèr non probat. Nam ut Deus impediat effectum creaturæ, ſufficit negare concurſum prævium, quem Deus liberè donat, & poteſt ro libertate ſua negare: quo quidem non dato, cauſa ſecunda non produceret effectum. Et ita tali ratione relicta aliter.

Prob. concl. noſtra. Qui Deus immediatè conſervat quemcumque effectum creatum: ergò illũ etiã immediatè producit. Quia conſervatio eſt continuata productio. Ant. verò prob. Deus poteſt anihilare immediatè quemcumq; effectum creatum. Nam ut Deus in nihilum redigat effectum creatum, non dependet à creatura, ſed ſe ſolo poteſt hoc facere, quomodo, & quando voluerit: ergò talem effectum immediatè conſervat. Quia ſi Deus non immediatè conſervaret effectum creatum, ſed mediante cauſa ſecunda, non poſſet ſe ſolo talem effectum anihilare. Sed hoc facere deberet mediante cauſa ſecunda.

2. Prob. concl. In quocumque effectu creato reperitur ratio entis. Sed ratio entis ſolũ poteſt immediatè à Deo cauſari: ergò Deus immediatè concurrit ad effectum creaturæ. Prob. min.

Præ-

Prædicatum univerſaliſsimum ſolum poteſt immediatè produci ab univerſaliſsima cauſa. Nam univerſaliſsimum prædicatum non poteſt contineri in virtute alterius cauſæ. Sed ratio entis eſt prædicatum univerſaliſsimum, quod ad omnia ſe extendit: ergò ratio entis ſolum poteſt produci immediatè à Deo, qui univerſaliſsima cauſa eſt.

Conf. & urgetur. Si creatura poſſet producere rationem univerſaliſsimam entis, poſſet etiam ſe ipſa n immediatè producere. Siquidem ipſa ſub ratione entis continetur. Et qui poteſt rationem communem producere, quatenus communis eſt, poteſt etiam producere inferiora ſub illa ratione contenta. Sed creatura ſe ipſam producere non poteſt: ergò neq; it immediatè producere rationem entis, ſed hæc ſolum à Deo immediatè producibilis erit.

3. Prob. concl. Quilibet effectus creatus dependet à Deo immediatè: ergò Deus immediatè, & concurſu ſimultaneo concurrit ad effectum creaturæ. Prob. ant. Ens per participationem immediatè dependet ab ente, quod eſt tale per eſſentiam. Sed quilibet effectus creatus eſt ens per participationem: ergò immediatè pendet à Deo, qui eſt talis per eſſentiam. Min. cum conſ. tenet, & maj. prob. Ens per participationem omni modo dependet ab ente, quod eſt tale per eſſentiam: ergò immediatè dependet ab illo. Alias non dependebit omni modo. Ant. prob. Inter ens per eſſentiam, & ens per participationem debet dari perfecta ſuperioritas primi, & perfecta ſubordinatio, & dependentia ſecundi. Sed perfecta ſubordinatio, & dependentia perfecta non ſalvatur, niſi ens per participationem omni modo dependeat ab ente, quod eſt tale per eſſentiam: ergò omni modo pendet ab illo.

Reſpondebis: Ad perfectam ſubordinationem, & dependentiam ſufficere effectum creatum dependere à Deo mediatè, ad quam dependentiam ſalvandam ſatis eſt, quod Deus contuleric virtutem cauſæ ſecundæ, & illam de facto per cõcurſum prævium determinet ad agendum.

Contra tamen eſt. Quia perfecta ſubordinatio ſalvari non poteſt ſine dependentia immediata: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Perfecta ſubordinatio non ſalvatur abſque omni dependentia poſsibili. Sed dependentia immediata effectus creati à Deo poſsibilis eſt. Siquidem talis dependentia arguit in Deo maximam perfectionem: ergò abſque dependentia immediata non ſalvatur ſubordinatio perfecta.

Impug. 2. Quia effectus creatus immediatè habet eſſe partici-

cipatum à Deo: ergo immediatè dependet ab illo. Prob. ant Effectus creatus tàm mediatè, quàm immediatè eſt ens ſecundum creatum, & ab alio: ergò habet eſſe immediatè participatum à Deo.

3. Perfectior eſt dependentia immediata, quam mediata. Sed effectus creatus perfectiſsimè pendet à Deo: ergò immediatè ab illo dependet.

4. Deus eſt immediatè in omnibus rebus, ut docet D. Th. 1. *p. q.* 8. *art.* 1. Sed Deus in rebus eſt per ſuam operationem: ergò quilibet effectus creatus immediatè dependet à Deo.

5. Quilibet effectus creatus continetur intrinſecè in Divina Omnipotentia: ergò non poteſt in rerum natura poni niſi per influxum immediatum Omnipotentiæ Divinæ.

6. Quando creatura in actu ſecundo cauſat, & producit effectũ, Deus voluntate efficaci vult talem effectum exiſtere; voluntate quidem diviſa à voluntate, qua dedit creaturæ virtutem ad effectum producendũ. Sed Deus producit, & cauſat quidquid vult efficaci voluntate: ergò cauſat, & producit effectum creatũ voluntate diverſa ab ea, qua virtutem contulit creaturæ. Et cõſequenter non ſolum mediatè per primam voluntatem, ſed etiam immediatè per ſecundam voluntatem producit effectum.

Addimus. Ex oppoſita ſententia ſequi dari in rerum natura effectum, quem Deus nec mediatè, nec immediatè conſervat. Non quidem immediatè, ut adverſarij fatentur. Nec mediatè. Quia juxta ſententiam illorum Deus mediatè conſervat effectum mediante cauſa ſecunda: & poteſt contingere, quod aliquando ſit effectus, & cauſa ſecunda non ſit, ut in pluribus exemplis cernere licèt.

§. II.

Solvuntur argumenta.

ARG. 1. contra concl. iſtam: Cauſa ſecunda principalis non indiget concurſu ſimultaneo: ergò nulla cauſa ſecunda talem concurſum requirit. Quia omnium eadem ratio eſt. Prob. ant. Cauſa ſecunda principalis habet ſufficientem virtutem ad effectum producendum. Nam ſi univocâ eſt, ejuſdem eſt perfectionis cum effectu, ſi autem æquivoca, effectum excedit in perfectione: ergò cauſa ſecunda principalis habet ſufficientem virtutem ad effectum producendum.

Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Ad effectum ſub ratione particulari: conc. ant. Sub ratione communi entis: neg. ant. & conſ. Cauſa namque ſecunda principalis habet ſufficientem virtutem ad producendum effectum ſub ratione particulari propria talis

talis cauſæ: ſicut equus ad producendum equum ſecundum rationem particularem equi; non tamen habet virtutem ad producendum effectum ſecundum rationem entis. Eo quod ratio univerſaliſsima entis debet correſpondere univerſaliſsimæ cauſæ, qualis Deus eſt.

Dices: Creatura poteſt producere effectum ſub ratione entis, quæ reperitur in illo: ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. Ratio entis in effectu reperta non eſt univerſaliſsima ratio entis; ſed ratio particularis, & determinata ad entitatem determinatam effectus: ergò poteſt creatura producere effectum ſub ratione entis.

Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Univerſaliſsima ex parte rationis *quæ*: conc. ant. Ex parte rationis ſub *quæ*: neg. antec. & conſ. In effectu namque creato non reperitur univerſaliſsima ratio entis in ſua univerſitate; ſed potius reperitur ratio entis contracta, & determinata, & identificata cum alijs: quæ in effectu reperiuntur. Et ita ex parte rationis, *quæ* producitur, particularis eſt. Conſequenterque creatura talem rationem producit identicè, & ut identificatam cum alijs. Ex parte tamen rationis ſub *quæ* producitur ſub ratione communi entis, ut ſolum explicat eſſe commune ad omnem effectum. Et propterea ſub hac ratione non poteſt à creatura produci, ſed ſolum à Deo immediatè producibilis eſt.

Dices: ergò creatura ex parte rationis *quæ*, producit identicè rationem entis: ſed hæc ratio non alitèr producibilis eſt: ergò creatura producit effectum ſub ratione entis, eo modo quo ſub illa ratione producibilis eſt.

Reſp. neg. min. & conſ. Quia ratio entis eſt formaliter producibilis, etiam ex parte rationis *quæ*, ab illo videlicèt agente, qui illam producere valet ſub ratione expreſſa entis ex parte rationis ſub *quæ*. Undè creatura non producit rationem entis omni modo, quo eſt producibilis ex parte rationis *quæ*, ſed ſolum identicè, & materialitèr illam producit formalitèr verò etiam ex parte rationis *quæ* à ſolo Deo producibilis eſt.

2. arg. Dabilis eſt effectus, ad quem Deus non concurrit immediatè: ergò ad nullum immediatè concurrit. Nam omnium eadem ratio eſt. Ant. prob. 1°. Deus non poteſt immediatè producere actum vitalem. Quia actus vitalis eſt immediatè à principio intrinſeco vitali, & vitaliter ſe movente per actum. Et Deus non poteſt ſe movere per actum vitalem creatum, nec vivere per ipſum: ergò dabilis eſt effectus, ad quem Deus non concurrit immediatè.

2. Effectus cauſæ materialis, & for-

formalis non ſunt immediatè à Deo. Alias Deus eſſet cauſa materialis, & formalis. Quod tamen divinæ perfectioni repugnat: ergò dabilis eſt.

3. Actio peccaminoſa non eſt immediatè à Deo. Alias Deus peccaret: ergò idem quod priùs.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. Actum vitalem ſub ratione vitalis: conc. ant. Sub ratione entis: neg. antec. & conſ. Licèt namque Deus non poſſit immediatè producere actum vitalem ſub ratione ſub qua particulari vitalis, ſub qua ratione petit actus vitalis eſſe à principio intrinſecè vitaliter ſe movente, & vivente per ipſum actum; poteſt tamen Deus immediatè producere actum viralem ſub ratione entis. Nam ſub illa formalitate non petit actus vitalis immediatè procedere à principio intrinſeco vitali ſe movente per actum; ſed ſolum petit univerſaliſſimam cauſam.

Dices: ergò Deus denominatur vivens per actum vitalem, Quia non ſtat immediatè producere actum vitalem, & non vivere per ipſum.

Sed neg. conſ. Quia Deus ad illum concurrit ſolum ſub ratione entis. Et ita non denominatur vivens per actum prædictum. Sicut Deus non denominatur credens, quamvis ad actum fidei immediatè concurrat: nec diſcurrens, quamvis diſcurſum producat Quia ad hæc omnia concurrit ſolum ſub ratione entis.

Ad 2. prob. reſp. Deum non concurrere immediatè ad effectum cauſæ materialis, & formalis tanquam cauſam materialem, & formalem: nam hoc imperfectionem importat; concurrere tamen Deum ad effectum utriuſque cauſæ in genere cauſæ efficientis. Et ita non eſt dabilis effectus, ad quem Deus in genere cauſæ efficientis immediatè non concurrat.

Ad 3. prob. reſp. Deum non concurrere immediatè ad actionem peccaminoſam, quatenùs mala eſt. Et ita non peccare. Concurrere tamen ad illam actionem ſecundam rationem entis, ſecundum quam rationem mala non eſt, nec implicat unam, & eandem actionem ſecundum illud quod habet de bonitate ad aliquam cauſam reduci, & ſecundum illud, quod importat de defectu non reduci in talem cauſam. Sicut motus claudicationis ſecundum id, quod habet de motu, & actione, reducitur in animam claudicantis, & ſecundum illud, quod habet de defectu, non in animam, ſed in defectum tibiæ, vel in aliud principium reducitur. De quo plura 1. 2. quæſt. 31 1 ſcripſimus: & Deo dante apperiemus.

3 arg. Deus non poteſt immediatè concurrere ad effectum creatæ

creatum tanquam cauſa partialis. Nam partialiter concurrere imperfectionem involvit. Nec tanquam cauſa totalis: ergò nullo modo poteſt immediatè ad effectum creatum concurrere. Prob. ant. Quantum ad ſecundam partem. Quia idem numero effectus produci non poteſt à duplici cauſa totali. Sed creatura eſt cauſa totalis effectus creati: ergò Deus non poteſt tanquam cauſa totalis concurrere ad creatum effectum.

Reſpondetur. Eundem numero effectum non poſſe procedere à duplici cauſa totali ejuſdem ordinis; poſſe tamen procedere à duplici cauſa totali ſubordinata, & ordinis diverſi. Sicut idem homo procedit ab homine, & à Sole, proverbio communi aſſerente, quod Sol, & homo generant hominem.

Sed inſt. Quando duæ cauſæ ut ſubordinatæ concurrunt, quælibet producit effectum ſub aliqua ratione particulari. Sed Deus non poteſt effectum producere ſub aliqua ratione particulari: ergò Deus, & creatura non poſſunt ad effectum concurrere, ut cauſa ſubordinatæ. Prob. min. Si Deus produceret effectum ſub ratione aliqua particulari eſſet Deus cauſa partialis partialitate effectus. Sed implicat Deum in partem effectus influere, & non in totum effectum, quando totus effectus bonus eſt: ergò Deus non poteſt ſub ratione particulari producere effectum.

Reſp. diſt. maj. Particulari ex parte rationis ſub *qua*: conc. maj. Ex parte rationis *quæ*: neg. maj. Et ſub eadem diſtinctione min. neg. conſeq. Cauſæ namque ſubordinatæ producunt effectum ſub diverſa ratione particulari ſub qua. Sic Sol producit hominem ſub ratione corporis, & homo ſub ratione hominis. Ex parte tamen rationis *quæ* omnis cauſa totalis producit totum effectum. Nam omnia prædicata identificantur in effectu. Et ideò cauſa, quæ unum producit, cætera etiam producit ex parte rationis *quæ*. Undè Sol, licèt ſub ratione corporis, totum hominem producit.

Dices: Ergò Deus ex parte rationis *quæ* totum producit effectum. Conſequenterque nihil producendũ relinquit. Ac proinde cauſa ſecunda ſuperflua erit.

Reſp. Deum ex parte rationis *quæ* totum effectum producere; non tamen ſub omni ratione ſub *qua*, ſed ſolum ſub ratione entis. Et ideò ſub alia ratione particulari poteſt idem effectus ab alia cauſa Deo ſubordinata produci.

4. arg. Deus & creatura non poſſunt concurrere ad effectum creatum diverſa, vel eadem actione: ergò Deus nullo modo poteſt immediate concurrere ad effec-

effectum creaturæ. Ant. quantum ad 1. partem conſtat. Ex eo, quod unitas actionis attenditur penes unitatem effectus. Et ideò quando effectus unus eſt, actio qua Deus, & creatura concurrunt, nō poteſt eſſe diverſa. Rurſus ſi actiones eſſent diverſæ, eſſet prior actio divina. Ac proindè priùs produceret. Conſequenterque actio creaturæ effectum jam productum inveniret.

Quantum ad 2. verò partem prob. Illa agentia eadem actione concurrunt ad effectum, in quibus eſt eadem virtus productiva. Sed in Deo, & creatura eadem virtus non eſt: ergò Deus, & creatura non poſſunt eadem actione concurrere.

2 prob. ant. Quantum ad eandem partem. Eadem actio non poteſt procedere à duplici agente. Nam actio multiplicatur ad multiplicationem principij. Sed Deus, & creatura ſunt duo agentia, & cauſæ diſtinctæ: ergò idem quod priùs.

Reſp. ad arg. neg. ant. quantum ad 1. partem. Quia Deus, & creatura diverſa actione, diverſaque virtute concurrunt ad effectum producendum. Nam actio, qua Deus producit, infinita, & increata eſt. Nec diverſitas actionis tollit unitatem effectus. Eo quod actiones iſtæ cum ſubordinatione concurrunt. Et actio divina attingit effectum ſub ratione univerſali; actio verò creaturæ ſecundum rationem particularem producit effectum. Et rurſus actio divina non eſt prior. Quàm actio creaturæ, ſed ſimul cum illa producit effectum, ſicut, & ipſe effectus ſecundum omnia prædicata, & ſub omni ratione ſimul producitur.

2. Poterat reſp. neg. ant. quantum ad 2. partem, & ad prob. diſt. maj. Quando agentia ſunt ejuſdem ordinis: conc. maj. Si ſint ordinis diverſi: neg. maj. & conceſſa min. neg. conſ. Quando namque agentia ſunt ejuſdem ordinis, non poſſunt eadem actione, niſi in utroque ſit eadem virtus. Undè in Patre, & Filio qui eadem actione ſpirant Spiritum Sanctum, eadem virtus reperitur. Si tamen agentia ſunt ordinis diverſi inter ſe ſubordinata, eadem actione poſſunt producere effectum, quamvis in utroque eadem virtus non ſit: & hoc modo Deus, & creatura concurrunt. Et propterea eadem actio poteſt ab utroque procedere, ex quo conſtat ad ſecundam probationem.

Urgebis. Concurſus Dei in nullo eventu poteſt non eſſe prior concurſu creaturæ. Sed hoc ipſo diverſa eſt actio utriuſque: ergò non poſſunt eadem actione concurrere. Prob. maj. Concurſus Dei ſemper ſubordinat ſibi concurſum creaturæ: ergò in nullo eventu poterit non eſſe prior. Quia id, à quo alte-

alterum dependet: cuique alterum ſubordinatur, debet eſſe priùs illo.

Reſp. neg maj. & ad prob. diſt. ant. Concurſus Dei prævius: conc. ant. Simultaneus concurſus: ſub diſt. Subordinatione perfectionis: conc. ant. Cauſalitatis, & prioritatis: neg. ant. & conſ. Licèt namque concurſus prævius ſubordinet ſibi concurſum creaturæ ſubordinatione cauſalitatis, & prioritatis: quatenùs ipſum producit, & ita ſit prior illo, concurſus tamen ſimultaneus non ſubordinat ſibi eadem ſubordinatione concurſum creaturæ, ſed tantum ſubordinatione perfectionis, & excellentiæ. Subordinatione autem cauſalitatis, & originis tantum ſubordinat ſibi effectum creatum. Eo quod concurſus ſimultaneus tantum tendit immediatè ad effectum productum, non tamen ad actionem creaturæ.

Ex dictis autem colligitur Deum producere effectum creatum mediante cauſa ſecunda, quatenùs ſimul cum illa producit effectum; non tamen mediante cauſa ſecunda, mediatione excludente, quod Deus immediatè concurrat.

Colligitur inſuper Deum etiam in genere cauſæ finalis concurrere immediatè ad effectum creaturæ. Eo quod omnis effectus bonus immediatè finalizatur à Deo, ſaltim tanquam ab ultimo fine. Et hæc de art. iſto text. 35. & 38. ad Phyſ. applicanda.

ARTICULUS IV.

Utrùm detur concurſus prævius, ut cauſa ſecunda operetur?

§. I.

Difficultas apperitur, & ſententiæ referuntur.

CElebris eſt inter Recentiores, & Thomiſtas controverſia, an præter concurſum ſimultaneum, quo Deus ſimul cum creatura concurrit, detur etiam concurſus prævius, quo mediante Deus cauſam ſecundam applicet ad operandum? qui quidem concurſus ſolèt alijs terminis appellari phyſica præmotio, vel determinatio phyſica, qua Deus cauſam ſecundam movet, & determinat ad agendum. Sicque concurſum iſtum 8. Phyſic. text. 33. Phyſ. nominavit, dicens: *Quod ſicut vaculus non movetur, niſi movente manu, ita cauſa ſecunda non movetur niſi movente prima.* Moveri autem ſecundam cauſam à Deo, ut agat, & operetur idem eſt, ac à Deo præmoveri, vel prius moveri per concurſum prævium Dei, præcedentem ad actionem creaturæ.

In hac ergò difficultate duplex

plex ſententia verſatur. Prima negativa, quam omnes Jeſuitæ tuentur, plurimique extra Scholam D. Thom. aſſerentes: talem concurſum neceſſarium non eſſe, imò, & impoſsibilem. Quia talis concurſus deſtrueret libertatem creaturæ. Eo quod poſito illo concurſu ſequitur infallibiliter effectus: proindeque creatura non poſſet effectum non ponere. Et conſequenter libera non maneret.

2 ſent. eſt omnium Thomiſt. cum Ang. Mag unanimiter affirmantium eſſe neceſſarium prævium concurſum, quo Deus cauſam ſecundam præmovet ad operandum, & ablato tali concurſu creaturam nunquam operaturam. Eo quod ſi non movetur à cauſa prima, non poteſt creatura ſe movere. Quam doctrinam tradit D. Th. 1 *p. q.* 105. *art.* 3. *in corp.* ubi ait: *Quod primum agens movet ſecundum ad agendum. Et quod Deus movet, res ad operandum, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum.* Et *q.* 3. *de Pot. art.* 7. poſt plurima habet: *Sequitur de neceſsitate, quod Deus ſit cauſa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens, & applicans virtutem ad agendum.* Et alijs pluribus in locis, quæ videri poſſunt in venerandis PP. Carmilitis, & in Magiſt. Prado in præſenti *q.* 14. per totum, & nos omittimus illa, & alia plura Sanctorum, quorum doctrina verbis, & rationibus ſententiam iſtam probantibus, plena eſt, de quo ſimiliter plura habemus 1, 2. *q.* 111. *artic. unico.* Et Deo dante, dabimus. A quibus abſtinemus in præſenti, dùm rem iſtam purè Phyloſophicè tractamus. Et ideò.

Ratione prob. 1. concl. Cauſa ſecunda, ut operetur, debet ab aliquo determinari. Sed à ſe ipſa determinari non poteſt: ergò indiget concurſu prævio Dei, quoad operandum determinetur. Maj. Patet. Nàm cauſa ſecunda eſt indifferens ad plures operationes ſpecificè diſtinctas, ſi cauſa libera eſt, ſicut voluntas ad amorem, & odium: vel ad operationes numero diſtinctas, ſi cauſa naturalis eſt, ut ignis ad iſtam, vel aliam numero combuſtionem: ergo ut operetur cauſa ſecunda determinari debet ab aliquo.

Mi. verò, in qua difficultas eſt, prob. 1. Quia à principio indifferenti formaliter ut tali, non poteſt oriri effectus, & actio determinata. Sed cauſa ſecunda indifferens eſt ad iſtam, vel illam operationem: ergò ſe ipſam determinare non poteſt ad hanc operationem, præ alia.

2. prob. min. Nihil poteſt ad actum determinari, niſi per aliquid ratione cujus ſit in actu. Eo quod nihil agit ſecundum quod eſt in potentia. Sed omne agens agit ſecundum quod eſt in actu.

Sed

Sed causa secunda non est in actu respectu suæ operationis, & determinationis ad ipsam: ergò causa secunda non potest se ipsam determinare. Min. prob. Causa secunda est in potentia, & indifferens ad suam operationem: & ut determinetur, vel non determinetur ad ipsam: ergò non est in actu in ordine ad operationem, & determinationem ad ipsam. Quia nihil respectu ejusdem, & secundum eandem rationem potest esse in potentia, & in actu, movens, & motum, indifferens, & determinatum.

Respondebis. Quod agens creatum determinatur per concursum simultaneum. Et consequenter ad propriam determinationem non indiget concursu prævio, quod ad agendum determinetur.

Sed solutio ineficax est. Quia concursus simultaneus supponit causam secundam determinatam ad agendum: ergò per talem concursum determinari non potest. Prob ant. Concursus simultaneus simul est cum actione creaturæ. Et propterea simultaneus appellatur. Sed actio creaturæ supponit ipsam causam secundam determinatam ad actum. Siquidem actio creaturæ procedit à creatura jam determinata. Aliàs actio non procederet ab illa: ergò concursus simultaneus supponit causam secundam determinatam ad actum.

Dices. Concursum simultaneum esse simul cum actione creaturæ simultate temporis, vel ejusdem instantis in quo, esse tamen priorem illa prioritate naturæ: & pro eo priori ad ipsam etiam determinare.

Sed contra. Quia si multas temporis non sufficit, ut concursus simultaneus appelletur. Aliàs etiam concursus prævius posset etiam appellari simultaneus. Quandoquidem talis concursus est in eodem instanti temporis cum actione creaturæ.

Contra 2. Quia si concursus simultaneus prioritate naturæ antecederet actionem causæ secundæ, pro illo priori determinaret etiam causam secundam ad suam operationem: ergò causa secunda per aliquem concursum determinaretur à Deo priusquam ageret, quæ determinatio necessario est prævius concursus. Nam per concursum prævium intelligimus illum concursum, quo creatura priusquam agat determinatur à Deo.

2. solutio principalis rejicitur. Quia concursus simultaneus non est in causam secundam; sed in effectum illius: & adhoc datur, ut effectus immediatè dependeat à Deo: ergò per talem concursum non potest Deus causam secundam determinare ad agendum.

3. Con-

3. Concurſus ſimultaneus non concurrit efficienter ad actionem creaturę, quamvis ſit ſimul cum illa: ergò non determinat creaturam ad agendum. Aliàs efficienter concurreret ad actionem creaturæ. Quæ doctrina eſt D. Th. 1. 2. *q.* 79. *in artic.* 2.

2. prob. concl noſtra ratione, quam tradit D. Th. *in* 2. *d.* 37. *q.* 7. *artic.* 2. Quia ſi cauſa ſecunda non moveretur à Deo ad propriam operationem; non eſſet cauſa ſecunda. Sed hoc dicendum non eſt: ergò cauſa ſecunda indiget prævio concurſu, medio quo præmovetur ad agendum. Prob. maj. Si cauſa ſecunda non moveretur à Deo, ageret ſine ſubordinatione ad cauſam primam: ergò cauſa ſecunda non eſſet ſecunda, ſed eſſet prima cauſa. Quod eſt hæreſis manifeſta. Prob. ant. Ageret ut non mota à cauſa prima: ergò ageret ſine ſubordinatione ad cauſam primam. Quia cauſa, quæ agit non mota ab aliqua cauſa, verè, & propriè eſt cauſa prima. Sicut Deus, qui immotus omnia movet.

Reſp. contrarij. Cauſam ſecundam non agere niſi dependenter à prima per concurſum ſimultaneum, ſine quo cauſa ſecunda operari non poteſt. Et ita ad ſalvandam dependentiam cauſæ ſecundæ concurſus prævius neceſſarius non eſt.

Hæc tamen ſolutio inefficax eſt. Quia pro priori ad concurſum ſimultaneum cauſa ſecunda formaliter dependet à Deo. Sed pro illo priori non dependet per concurſum ſimultaneũ, qui adhùc non eſt: ergò concurſus iſte non ſufficit ad ſalvandum dependentiam. Min. cum conſ. tenet, & prob. maj. Pro priori ad concurſum ſimultaneum cauſa ſecunda determinatur ad operandum. Nam concurſus ſimultaneus ſimul eſt cum actione creaturæ. Conſequenterque ſupponit creaturam jam determinatam ad propriam operationem. Sed in tali determinatione creatura dependet à Deo. Siquidem talis determinatio eſt effectus Dei: ergò pro priori ad concurſum ſimultaneum cauſa ſecunda dependet à Deo.

Urgetur. Determinatio creaturæ procedit à Deo tanquam effectus illius. Nam determinatio creaturæ ad operationem bonã etiam eſt bona. Et conſequenter à Deo procedit. Aliàs Deus non eſſet largitor omnium bonorũ, ut canit Eccleſia, & teſtatur ſcriptura. Sed illa determinatio non procedit à Deo per concurſum ſimultaneum, quem neceſſario antecedit, utpotè ſimul exiſtentem cum actione creaturæ, ad quam determinatio præſupponitur: ergò per concurſum ſimultaneum non ſalvatur dependentia, quam creatura in propria determinatione habet à Deo.

Ru-

Rurſus. Concurſus ſimultaneus ſufficiens non eſt, ut creatura formaliter dependeat à Deo: ergo ſolutio data nulla eſt. Prob. ant. Deus non operatur ſine concurſu cauſæ ſecundæ. Et tamen indè non infertur Deum dependere à creatura: ergo quod creatura non poſsit operari ſine concurſu Dei ſimultaneo ſufficiens non eſt, ut creatura formaliter dependeat à Deo.

Reſpondebis. Deum poſſe abſolutè operari ſine concurſu creaturæ, & ita non pendere à creatura; oppoſitum tamen in creatura contingere.

Contra tamen eſt. Quia Deus non poteſt abſolutè producere actum vitalem ſine concurſu creaturæ. Eo quod actus vitalis creatus eſſentialiter dependet à creatura vivente, & ſe movente per illum: ergo quamvis creatura operari non poſsit ſine concurſu Dei, non indè infertur à Deo dependere formaliter.

3. Prob. concl. brevitèr evertendo fundamentum contrariorum. Nam concurſus prævius Dei non tolit libertatem creaturæ: ergo talis concurſus admittendus eſt. Nam ea ratione contrarij nolunt concurſum prævium admittere. Ant. prob. Eo tolletet, quia determinat primo creaturam ad actum. Sed indè non infertur: ergo non tollit libertatem. Prob. min. Creatura in ſententia contrariorum determinat concurſum Dei indifferentem, quem Deus effert creaturæ ad concurrendum cum illa, ad quodcumque voluerit. Et tamen creatura per talem determinationem non tollit divinam libertatem: ergo quamvis Deus per concurſum prævium determinet creaturam ad actum, non tollit libertatem creaturæ.

Conf. & urgetur: Ideò concurſus prævius libertatem creaturæ deſtrueret: quia concurſus prævius infert infalibiliter actum ponendum à creatura. Sed non infertur indè deſtruere libertatem: ergo idem, quod prius. Probat. min. Deus per ſuam actionem producit efficienter determinationem creaturæ, ut antecedentèr diximus: & hæc actio Divina infallibiliter infert determinationem ipſam, quam cauſat. Quia actio Divina infallibiliter in illo inſtanti, in quo eſt, & Deus vult, ſortitur effectum, Et tamen actio Divina non tollit determinationem creaturæ liberam eſſe: ergo idem de concurſu prævio dicendum. Circa quam rationem plurima habemus loco antecedenter citato Philoſophis non tradenda, nè alia ad Philoſophiam directè pertinentia injuria temporis omittamus.

§. II.

Argumentis contrariorum occurritur.

ARg. 1. ex Philoſ. 3. Phyſ. text. 8 aſſerente: quod agens in quantum agens non mutatur: ergò non datur concurſus prævius intrinſecè receptus in cauſa ſecunda per modum qualitatis vel motus, ut ipſa ad agendum applicetur. Aliàs per talem concurſum mutaretur cauſa ſecunda, cuius oppoſitum Ariſt. affirmat.

Reſp. tamen facilè Philoſ. tantum intendere agens formaliter per actionem tranſeuntem non mutari receptivè; quia actionem tranſeuntem non recipit. Hæc namque in paſſo recipitur. Non tamen intendit Ariſt. agens per actionem non mutari elicitivè. Siquidem agens intrinſecè elicit, & emittit actionem. Quod eſt elicitivè, vel emiſsivè mutari.

2. Arg. Dabilis eſt aliqua cauſa quæ ad operandum non indiget prævio concurſu: ergo nulla cauſa indiget concurſu prædicto. Quia omnium eadem ratio eſt. Ant. prob. 1. Nam cauſa finalis creata eſt vera cauſa, & tamen non indiget prævio concurſu Dei: ergo dabilis eſt cauſa, quæ tali concurſu non egeat.

2. Cauſa materialis non indiget prævio concurſu: ergo dabilis eſt aliqua cauſa, &c. Prob. ant. Materia prima habet ſufficientem proportionem, ut in actu ſecundo per ſe ipſam cauſet, & recipiat formam: ergo non indiget prævio concurſu.

Reſp. neg. ant. & ad 1. prob. aliqui dicunt: cauſam finalem non indigere concurſu prævio intrinſecè in illa recepto. Eo quod cauſa finalis ſolum metaphoricè movet alliciendo voluntatem, & illam trahendo ad bonitatem ſuam. Eiuſque cauſalitas ſolum conſiſtit in appeti, & amari, & ideò ſufficienter ſalvatur ſubordinatio per hoc quod in actu ſecundo finis creatus appetatur, & ametur propter Deum tanquam propter ultimum finem. Sicut apari, ut concluſio ſubordinetur præmiſsis, neceſſarium non eſt, quod aliquid intrinſecum recipiat ab illis, ſed ſatis eſt, quod concluſio intelligatur propter præmiſſas, & in ordine ad illas. In cauſa verò efficiente ſine concurſu prævio non poteſt ſalvari perfecta ſubordinatio.

Hæc eſt plurium Thomiſt. ſolutio: quam tamen ſatis percipere non poſſum. Quia ideò cauſa efficiens indiget prævio concurſu: quia indifferens eſt ad plures operationes numero, vel ſpecie diverſas, & ita indiget à Deo determinari, ut operationem determinatam eliciat. Sed etiam cauſa finalis creata indifferens eſt ad plures effectus ſaltim nume-

ro

ro diſtinctos, ut per ſe manifeſtum eſt: ergo indiget concurſu prævio. Min. patet. Nam cauſa finalis non ſemper cauſat eundem numero effectum, ſed quandoque unum, quandoque aliam pro diverſitate ſubjectorum, & differentia in movendo: ergo indifferens eſt ad plures effectus ſaltim numero diſtinctos. Undè tali ſolutione relicta.

Reſp. 2. Quod, ſicut in cauſa efficienti neceſſarius eſt concurſus prævius, ut auferatur illius indifferentia, & ſalvetur perfecta ſubordinatio: ita enim propter ſimilem, vel eandem rationem cauſa finalis indiget prævio concurſu. Ita Illuſt. noſter Herrera.

Ad 2. prob. ant. princ. reſp. 1. Materiam concurſu prævio indigere; non quidem concurſu tribuere materiæ aliquam proportionem, ſed ſolùm applicante materiam, ut ipſa uniatur cum forma.

Dices 1. Si Deus materiam applicaret ad formam, eſſet Deus cauſa materialis. Quod tamen dicendum non eſt: ergo non requiritur concurſus prævius Dei applicantis materiam.

2. Concurſus prævius intrinſecè recipitur in cauſa, quam applicat. Sed in materia recipi non poteſt: ergo talis concurſus non requiritur in materia, nec in illa poterit dari. Prob. min. Materia ante formam nihil recipere poteſt: ergo ille concurſus in materia recipi non valet.

Reſp. ad 1. inſt. Quod ſicut agens creatum applicando materiam ad formam non concurrit in genere cauſæ materialis, ſed in genere cauſæ efficientis: ita de Deo prævie applicante dicendum.

Ad 2. reſp. Concurſum prævium recipi in cauſa, quam applicat, quando cauſa capax eſt. Quod tamen non habet materia quæ ante formam nihil recipere poteſt. Et ideò concurſus prævius non recipitur in illa, ſed in compoſito ipſo recipitur, quod ſufficit ad materiam applicandam. Sicut diſpoſitiones ſolùm in compoſito recipiuntur. Et tamen materiam denominat diſpoſitam ad formam. Et relatio, quam materia dicit ad formam in compoſito, & non in materia recipitur. Et tamen materiam ipſam relatam denominat. Hæc omnia Illuſt. Herrera in ſpeciali tract. quem edidit de concurſu prævio.

Venia tamen huius Magiſtri faciliùs reſp. & veriùs. Cauſam creatam applicantem materiam ad formam indigere concurſu prævio, non tamen ipſam materiam. Eo quod materia eſt prima cauſa in genere cauſæ materialis, quod eſt imperfectiſſimum genus cauſæ, & ideò concurſum prævium non requirit. Nam concurſus prævius ſolùm eſt neceſ-

ſarius reſpectu illius, quod cauſa ſecunda eſt, non verò prima: qualis eſt materia. Sicut quia homo reſpectu actionis peccaminoſæ eſt prima cauſa, non indiget concurſu prævio determinante ad actionem peccaminoſam ut talem.

Dices: Materia ex ſe indifferens eſt ad recipiendam iſtam, vel alteram formam. Sed cauſa indifferens ut talis, indiget concurſu determinante: ergo materia prævio indiget concurſu.

Reſp. diſt. mai. Materia genericè, vel ſecundum ſe ſumpta: conc. mai. Conſiderata numericè, & quantitate ſigillata: neg. mai. Quia licèt materia ſecundum ſe, & ante omnem diſpoſitionem ſit indifferens ad plures formas; conſiderata tamen numericè, & ut diſpoſita, vel quantitate ſigillata non habet indifferentiam, ſed potius determinata eſt ad iſtam numero formam, & propterea prævio concurſu non indiget. Addimus ad tollendam indifferentiam illam communem ſufficere diſpoſitiones, & concurſum prævium minimè neceſſarium eſſe.

3. Arg. Cauſa ſecunda principalis non poteſt moveri à Deo: ergo concurſu prævio non indiget. Prob. ant. Si cauſa ſecunda principalis moveretur a Deo, eſſet cauſa inſtrumentalis. Nam proprium eſt cauſæ inſtrumentalis ab alio moveri: ergo cauſa ſecunda principalis nequit à Deo moveri.

Reſp. diſt. ant. Motione virtuoſa: conc. ant. Motione purè applicativa virtutis: neg. ant. & conſ. Ab alio namque moveri motione virtuoſa communicante virtutem eſt proprium inſtrumenti, & ita cauſæ principali, in quantum tali convenire non poteſt; moveri tamen ab alio purè applicante virtutem, qualitèr cauſæ moventur per concurſum prævium à Deo, benè poteſt cauſæ principali competere.

Sed urgebis. Ab alio moveri motione virtuoſa communicante virtutem eſt proprium cauſæ inſtrumentalis iuxta ſolutionem datam. Sed in aliquorum Thomiſt. ſent. concurſus prævius eſt motivo virtuoſa: ergo ſi cauſa ſecunda per concurſum prævium movetur, cauſa principalis non erit.

Reſp. diſt. min. Motio virtuoſa conſtitutiva potentiæ elicientis: neg. min. Virtuoſa determinativa potentiæ: conc. min. & neg. conſ. Thomiſtæ namque ſolùm intendunt concurſum prævium eſſe motionem virtuoſam in ratione determinantis, & requiſitam ex parte voluntatis, ut ipſa voluntas poſſit ſe determinare; non tamen eſſe virtuoſam conſtitutivam potentiæ elicientis. Eo quod voluntas per ſe ipſam habet ſufficientem virtutem ad eliciendum amorem, vel odium;

odium: etſi motio requiratur, ut voluntas ſit completè conſtitutа ad ſe determinandum ad actum.

2. Reſp. Concurſum prævium eſſe motionem virtuoſam, in ſententia illorum Thomiſt non quidem comparativè ad ſubſtantiã, & eſſentiam effectus; ſed ſolùm in ordine ad effectus exiſtẽtiam. Nam cauſa ſecunda reſpectu exiſtentiæ, quæ ultimo conſtituit rẽ extra cauſas, non habet ſufficientem virtutem, ſed potius illam producit mediante virtute à Deo recepta per concurſum prævium qui applicat ad producendam eſſentiam, & virtutem præſtat ad producendam exiſtentiam. Undè creatura ad producendam exiſtentiam non principaliter, ſed inſtrumentaliter concurrit, in ſententia prędictorum Thom Dices: Concurſus prævius communicat virtutem ad exiſtentiam producendam, & propterea cauſa ſecunda ad producendam exiſtentiam concurrit inſtrumentaliter. Sed producere effectum eſt producere exiſtentiam. Siquidem eſſentia per exiſtentiam conſtituitur extra cauſas: ergo concurſus prævius communicat etiam virtutem ad producendum effectam. Conſequenterque cauſa ſecunda ratione concurſus prævij inſtrumentaliter ſolum, ad effectum creatam concurrere poteſt.

Reſp. Quod in ſent. horum Thomiſt. producere effectum non eſt exiſtentiam producere. Sed potiùs eſt eſſentiam ponere ſub exiſtentia, & exiſtentiam unire cum eſſentia. Sicut producere hominem non eſt producere materiam, vel formam, vel exiſtentiam, ſed omnia illa conjungere. Quapropter quamvis creatura producat inſtrumentaliter eſſentiam; effectum tamen creatum principaliter producit. Quia exiſtentiam cum eſſentia principaliter unit.

4. Arg. Cauſæ neceſſariæ non indigent concurſu prævio: ergo concurſus prævius neceſſarius non eſt. Prob. ant. Cauſæ neceſſariæ ſunt determinatæ ad ſuas operationes, ſicut ignis ad comburendum, & Sol ad illuminandum: ergò non indigent concurſu prævio. Nam concurſus iſte ad tollendam indifferentiam requiritur.

Reſp. neg. ant. Et ad prob. diſt. ant. Ad operationes quantum ad ſpeciem: conc. ant. Quantum ad individuationem: neg. ant. & conſ. Quia ignis non poteſt habere calefactiones ſpecie diſtinctas, & Sol illuminationes ſpecie diverſas. Et ita ad ſpeciem operationis non habent indifferentiam. Sunt tamen cauſæ neceſſariæ indifferentes ad plures operationes numero diverſas, ſicut ignis ad plures calefactiones. Et ita, ut ad unam potius quam ad aliam determinentur, indigent prævio concurſu.

Sed inst. Ad hanc determinationem non indigent aliquo intrinseco: ergo prævio concursu non indigent. Prob. ant. Ad talem determinationem sufficit Deum velle tales causas operari, quin aliquid intrinsecum superaddat: ergo non indigent aliquo intrinseco. Prob. ant. Voluntas creata movet cæteras potentias absque aliquo intrinseco superaddito illis, ut habet communis Theolog. sent. ergò ad determinationem causæ secundæ necessariæ sufficit etiam Deum velle causam necessariam operari, quin aliquid intrinsecum superaddat. Patet cons. Quia perfectior, & efficatior est Divina voluntas, quam creata, & consequentèr, si, ut voluntas creata moveat reliquas potentias, satis est velle, & aliquo intrinseco non indiget, hoc idem erit dicendum de divina voluntate.

2. Inst. Dabilis est causa creata determinata ad suam operationem etiam quantum ad individuationem, & unitatem numericam: ergo saltim in causa ista concursus prævius necessarius non est. Prob. ant. Supposito assensu præmissarum manet intellectus determinatus ad hunc numero assensum conclusionis. Quia ex assentu præmissarum necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, & consequenter ex assensu determinato præmissarum necessitatur ad assensum determinatum, & hunc numero conclusionis: ergo dabilis est aliqua causa determinata ad suam operationem etiam quantum ad individuationem, & unitatem numericam.

Resp. ad 1. inst. neg. cons. paritatis. Ratioque discriminis est. Quia omnes potentiæ radicantur in eadem anima, in qua radicatur ipsa voluntas tanquam potentia suppositi, ad amandum bonum ipsius, & movendum alias potentias ad boni consequutionem, & ideò, ut moveat alias, non indiget aliquo intrinseco. Causa verò secunda non radicatur in eodem subiecto primæ causæ, & ita dispar est ratio. Præterquamquod sententia asserens, voluntatem movere cæteras potentias imprimendo aliquid intrinsecum, valdè probabilis est.

Ad 2. inst. resp. dist. ant. Determinata independentèr à concursu prævio immediatè applicante: conc. ant. Mediatè, & connexivè applicante: neg. ant. & cons. Nulla namque causa creata ex se, & independentèr à concursu prævio est determinata ad suam operationem quantum ad individuationem, & unitatem numericam. Nam licèt intellectus ex assensu præmissarum necessitetur, & determinetur ad hunc numero assensum conclusionis; hoc tamen independentèr à concursu prævio

vio non habet. Eo quod aſſenſus præmiſſarum eſſentialiter, vel ſaltim connaturaliter connectitur cum aſſenſu concluſionis, & ita per eundem concurſum prævium movet Deus immediatè intellectum ad aſſenſum præmiſſarum, & mediatè ad concluſionis aſſenſum.

Dices: Lumen gloriæ ex natura ſua determinatum eſt ad hanc numero viſionem beatam eliciendam, & hanc determinationem habet lumen gloriæ independenter à prævio concurſu ex intrinſecis prædicatis: ergo ſaltim cauſa iſta creata prævio concurſu non indiget.

Reſp. Lumen gloriæ eſſe phyſicè determinatum ad hanc numero viſionem eliciendam; habere tamen metaphyſicam indifferentiam ad illam. Quia viſio nō eſt de eſſentia luminis, ſed realiter ab illo diſtinct. Et ideò, ut lumen perfectè determinetur, indiget concurſu prævio.

2. Alis terminis dicitur: Lumen gloriæ eſſe perfectè determinatum ad hanc numero viſionem habendam debito modo, id eſt, cum perfecta ſubordinatione luminis ad ipſum Deum, quæ perfecta ſubordinatio non ſalvatur, niſi Deus in actu ſecundo moveat lumen ipſum, ut etiam lumen influat determinatum à Deo, ipſique ſubordinatum tanquam vera cauſa ſecunda.

5. Arg. Prævius concurſus deſtrueret libertatem creaturæ: ergo admittendus non eſt. Prob. ant. De ratione agentis liberi eſt, quod ſe determinet ad actum. Quia operari liberè eſt operari cum dominio ſui actus. Dominium vero eſt facultas utendi re ſua prout dominus ipſe voluerit, id eſt, uti, vel non uti, elicere, vel non elicere actum, & conſequenter de ratione agentis liberi eſt ſe ad actum determinare, ſed poſito concurſu prævio non poteſt voluntas creata ſe determinare ad actum: ergo concurſus ille deſtrueret libertatem. Prob. min. Voluntas creata per concurſum prævium determinatur à Deo: ergò poſito tali concurſu non poteſt ſe ipſam determinare. Nam determinare ſe, & ſimul à Deo determinari eſt determinare ſe, & non ſe determinare; ſed determinari ab alio. Quod implicationem involvit.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. Se determinare per modum cauſæ ſecundæ: conc. mai. Per modum cauſæ primæ: neg. mai. Et diſtinguo min. Determinatione prima, vel primæ cauſæ: conc. min. Determinatione ſecunda, ſubordinata determinationi divinæ: neg. min. & conſ. De ratione namque agentis liberi creati ſolùm eſt ſe determinare per modum cauſæ ſecundæ, id eſt, ſe determinare ex determi-

minatione Diuina ſubordinante determinationem creatã. Agens namque liberum iuxta propriam conditionem debet ſe determinare primo quidem, & independenter ab alio, ſi agens liberum primum eſt, ſicut Deus, qui à nullo dependet. Liberum verò creatum debet ſe determinare determinatione ſecunda, quæ ſupponit antecedenter divinam determinationem. Quam doctrinam de correpț. & gratia dedit Aug. cap. 1. per verba: *Intelligant, ſi Filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant, & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant, aguntur enim, ut agant.* Quæ verba manifeſtè indicant voluntatem creatam, ut ſe determinet, & agat, priùs debere determinari, & agi à diuina voluntate.

Sed inſt. Quod non poteſt cauſare formam determinantem, non poteſt ſe ipſum determinare. Sed voluntas creata poſito concurſu prævio non poteſt cauſare formam determinantem formaliter. Siquidem non poteſt cauſare ipſum concurſum prævium, per quem formaliter determinatur voluntas. Nam concurſus iſte ſolùm à Deo cauſatur: ergo poſito concurſu prævio non poteſt voluntas creata ſe ipſam determinare.

Reſp. diſt. min. Formam primo determinantem: conc. min. Determinantem ſecundo: neg. min. & conſ. Duplex namque reperitur forma determinans formaliter. Una quidem primo, quæ ſe tenet ex parte Dei: & hæc eſt concurſus prævius, quem creatura non cauſat. Alia eſt forma, quæ determinat formaliter, non tamen primo, ſed ſecundo: & hæc eſt operatio ipſa voluntatis creatæ, qua voluntas ipſa conſtituitur in actu ſecundo determinata formaliter, & ut voluntas creata determinet ſe per modum cauſæ ſecundæ ſatis eſt, quod cauſet hanc determinationem ſecundam, videlicèt, ipſius operationem, qua libertas exercetur.

Sed inſt. Poſito concurſu prævio non determinatur voluntas formaliter per propriam operationem: ergo nullam cauſat formam formaliter determinantem. Conſequenterque non ſe determinant creata voluntas. Prob. ant. Principium determinabile debet ſupponi indifferens ad formam determinantem. Sed poſito concurſu prævio non manet voluntas indifferens. Quia iam manet determinata per concurſum prævium Dei. Et determinatio indifferentiam excludit: ergò poſito concurſu prævio non determinatur voluntas formaliter per propriam operationem.

Reſp. neg. ant. ad prob. diſt. mi. Indifferens indifferentia ſuſpenſionis: conc. mi. Indifferentia li-

libertatis: neg. min. & conſ. Quia poſito concurſu prævio, licèt voluntas non maneat indifferens indifferentia ſuſpenſionis: eo quod iam voluntas non manet ſuſpenſa, ſed determinata à Deo; manet tamen voluntas indifferens indifferentia libertatis. Quatenùs illa determinatio divina non tolit indifferentiam iudicij, ſed potius relinquit iudicium intellectus creati indifferens in regulando. Et in vitalis iudicij manet etiam voluntas libera, ut poſsit elicere, vel non elicere actum, in quo libertatis indifferentia conſiſtit.

Tandem poterat argui. Quòd voluntas creata poſito concurſu prævio non poteſt, non ponere actum. Eo quod concurſus prævius habet eſſentialem connexionem cum actu, & illum infalibilitèr infert: ergò libera non manet.

Conf. poterat. Si concurſus prævius eſſet neceſſarius, non peccaret voluntas omittendo actum præceptum: Eo quod quando omitteret, non haberet concurſum prævium, & cauſa, quę non habet omnia requiſita ad actum non peccat omittendo. Sed hoc non eſt dicendum: ergò concurſus prævius neceſſarius non eſt.

Reſ. diſt. ant. Non ponere actum in ſenſu compoſito: conc. ant. In ſenſu diviſo: neg. ant. & conſ. Poſito namque concurſu prævio non poteſt voluntas non ponere actum in ſenſu compoſito, id eſt, coniungere negationem actus cum ipſo actu, & cum concurſu qui datur ad actum, & infalibilitèr cum illo connectitur: poteſt tamen non ponere actum in ſenſu diviſo, id eſt, poteſt non ponere actum ſecundum ſe inſpectum, vel ponere negationem actus diviſam, & ſeparatã à concurſu prævio. Nam voluntas creata antecedentèr ad concurſum prævium poterat ponere actum, vel negationem actus pro ſua libertate, quam poteſtatem non deſtruit concurſus prævius, licèt illam determinet ad unum extremum libertatis. Undè poſito concurſu prævio manet voluntas cum eadem poteſtate antecedenti ad actum, & ad omiſſionem actus. Inſtantia eſt in contrariorum ſententia. Quia magis opponitur amor cum odio; v. gr. quàm concurſus ad amorem cum odio opponatur. Nam concurſus ad amorem ſolùm ratione amoris, quem infert, habet oppoſitionem cum odio, & tamen in contrariorum ſententia, amor liber non tollit poteſtatem ad odium: ergò concurſus ad amorem non debet etiam tollere poteſtatem ad odium, & omiſsionem amoris.

Alijs terminis reſp. alij. Voluntatem poſito concurſu prævio poſſe non ponere actum, potentia antecedenti, licèt non po-

tentia conſequenti. Quia concurſus prævius ſolùm habet determinare voluntatem creatam ad actum: & ita ſe tenet ex parte actus ſecundi. Propterea que non tollit quidquid ſe tenet ex parte actus primi, & conſequentèr non tollit potentiam antecedentem ad actum, quæ antecedentèr erat in voluntate creata.

Alijs terminis poterat dici: voluntatem creatam poſito concurſu prævio non poſſe ponere negationem actus potentiæ ſimultatis; poſſe tamen ponere negationem ſimulate potentiæ. Id eſt, non poſſe ad utrumque ſimul habendum, ſimul tamen poſſe utrumque. Sicut homo ſimul poteſt ſedere, & ambulare; non tamen poteſt ſedere, & ambulare ſimul: & ſimul poteſt tacere, & loqui; non tamen loqui cum tacere ſimul.

Ad conf. facilè reſp. Quod, ut voluntas creata pecet omittendo actum præceptum, ſufficit habere requiſita ex parte actus primi; non tamen requiritur habere ea, quæ neceſſaria ſunt ex parte actus ſecundi, inter quæ concurſus prævius numeratur. Undè concurſu prævio deficiente peccavit voluntas omittendo. Quia virtutem ſufficientem, & potentiam habet ad actum.

Ex dictis in art. diſcurſu colligitur concurſum prævium eſſe receptum intrinſecè in cauſa creata, quam determinat ad agendum. Quia illud, quod cauſa ſecunda redditur intrinſecè determinata, & applicata ad agendum, debet eſſe intrinſecè receptum in illa. Alias non mutaret illam intrinſecè, nec illam intrinſecè transferret de indifferenti ad eſſe determinatam. Sed per concurſum prævium redditur cauſa ſecunda intrinſece determinata, & applicata ad agendum: ergo concurſus iſte recipiatur intrinſecè in ipſa cauſa ſecunda.

Colligitur deindè concurſum prævium non recipi in creatura per modum habitus, vel formæ permanentis, ſed per modum qualitatis formaliter tranſeuntis. Quia concurſus iſte ſolùm datur, ut cauſa ſecunda tranſeuntèr operetur, & applicetur ad actum. Conſequentèrque ſolùm durare debet pro tempore, vel inſtanti applicationis ad actus. Ac proindè debet dari per modum qualitatis formaliter tranſeuntis, quod quidem de pot. art. 7. docet Ang. Doct.

Et tandem infertur concurſum iſtum reductivè pertinere ad prædicamentũ actionis. Quia actio, applicatio, vel motio reducitur ad prædicamentum ſui termini. Sed terminus concurſus prævij eſt ipſa actio creaturæ, quæ pertinet ad prædicamentum actionis: ergo ad idem prædicamentum debet concurſus prævius reductivè pertinere.

Et

Et hæc de art. iſto, ubi art. præced. ad Philoſ. applicanda.

ARTICULUS V.

Vtrùm idem numero effectus poſsit procedere à duplici cauſa totali?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur prima concluſio.

IN difficultate præſenti unum ſupponimus, & inquirimus aliud. Sup. quidem eundem numero effectum procedere poſſe à duplici cauſa totali ſubordinata, & ordinis diverſi. Sicut idem numero effectus procedit à creatura de facto, & à Deo; ab homine, & à ſole: quæ tamen cauſæ ſunt inter ſe ſubordinatæ, & diverſi ordinis, & illarum quælibet ſub propria ratione producit effectum. Inquirimus tamen, an à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis, & non ſubordinata, poſsit idem effectus procedere?

2. Supp. eſt de potentia ordinaria non poſſe eundem numero effectum à duplici cauſa totali non ſubordinata, & eiuſdem ordinis provenire. Quia natura abhorret ſuperflua, & una cauſa totalis ſufficit ad effectum producendum. Aliàs totalis non eſſet. Siquidem non poſſet totum effectum producere. Undè alia cauſa totalis ſuperflua eſt, ac proindè non eſt admittenda de potentia ordinaria.

An verò de potentia abſoluta poſsit idem numero effectus à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis provenire, in præſenti diſputamus. Affirmant omnes ferè Ieſuitæ, Scotiſtæ plurimi, & inter Thomiſt. Domin. Cayet. 1. p. q. 22. art. 3. & ipſum ſequitur Prado. Negant aliqui Thomiſtæ. Cum quibus ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

Non poteſt idem numero effectus à duplici cauſa prædicta procedere, etiam dependentia abſoluta.

OMiſsis Auctor. plurimis Sanctiſ. Præcept. ratione efficaci concl. iſta prob. Quia eundem numero effectum procedere à duplici cauſa prædicta contradictionem involvit: ergo non poteſt contingere etiam de potentia abſoluta. Namquod implicat contradictionem, non poteſt à Deo fieri, etiam ſi Deus utatur ſua abſoluta potentia. Ant. prob. Si idem numero effectus procederet à duplici cauſa prædicta, quæcumque ex cauſis eſſet totalis, & non eſſet totalis: quæ ſunt prædicata cons-

tra-

tradictoria : ergò eundem numero effectum procedere à duplici cauſa prædicta contradictionem involvit. Ant. quantum ad 1. partem conſtat ex eo, quod utramque cauſam forc totalem ſupponitur.

Quantum ad 2. partem prob. Cauſa totalis ea eſt, quæ totaliter producit effectum, ita ut nihil aliud relinquat producendum ab altera cauſa. Sed in illo eventu quælibet cauſa relinqueret partem effectus, vel totum effectum producendum ab alia. Siquidem utraque ad illum effectum concurreret: ergo quælibet ex illis eſſet, & non eſſet totalis. Min. cum conſeq. tener.

Mai. verò, quamvis nota reputari deberet, ad intelligentiam prob. Nam cauſa ideò dicitur totalis: quia totum producit effectum, ita ut nihil relinquat ab altera producendum. Quia ſi aliquid relinquit producendum, illud aliquid non erat productum ab ipſa. Conſequenterque ipſa non fuerat totalis. Quando quidem non totum effectum produxerat.

2. Prob. mai. Cauſa partialis, ideò talis appellatur: quia relinquit partem effectus, vel totum effectum ab altera producendũ: ergo cauſa totalis nihil relinquit ab alia cauſa producendum.

3. Corpus adæquatum cum loco taliter replet locum, quod non relinquat aliquid replendum ab alio corpore: & locus corpori adequatus realiter circunſcribit corpus, & continet ipſum, quod nihil relinquat continendum ab altero loco: ergò idem de cauſa totali.

4. Exiſtentia totalis, & adequata taliter terminat, adæquatque naturam, vel eſſentiam terminatam, ut nihil illius relinquat terminandum ab alia exiſtentia, & idem in pluribus alijs exemplis cernere licèt: ergo cauſa totalis non relinquit partem effectus, vel totum effectum ab altera producendum. Ex quo pariter habemus effectum etiam in illo eventu fore totalem, ut ſupponitur, & non fore totalem. Quia non totus produceretur ab una cauſa, ſed reliqueretur etiam ab altera producendus. Undè de ipſo verificarentur eadem contradictoria.

Addimus. Illam duplicem cauſam totalem non poſſe producere eundem numero effectum, per eandem actionem. Quia eadem actio non poteſt procedere à duplici cauſa eiuſdem ordinis, ſicut nec in utraque cauſa poteſt eſſe eadem numero virtus, & rurſus. Operatio eſt ultima actualitas, & eadem ultima actualitas nequit duplicem cauſam realiter diſtinctam actuare, niſi utraque cauſa per modum agentis inadæquati comparetur ad actionem.

Non poteſt inſuper utraque cau-

cauſa producere eundem numero effectum duplici actione. Quia actio eſt cauſalitas productiva effectus. Et ita ſi eſſet duplex actio, quæcumque ex illis eſſet cauſalitas totius effectus productiva, & non productiva totius effectus.

Præterquamquod illa duplex actio reciperetur in effectu. Ac proindè non eſſet ſolo numero diſtincta. Quia duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, & tandem non poſſet illa duplex actio ſpecificè diſtingui. Eo quod actiones per terminos diſtinguntur, & terminus, vel effectus eſt idem. Alia verò ex argumentorum ſolutione patefient, eandem veritatem efficacitèr ſuadentia.

§. III.

Argumenta diluuntur.

COntra concluſ. iſtam poterat in primis argui. Quod cauſa totalis non excludit aliam totalem, & adæquatam diverſi ordinis: ergo non excludit etiam aliam totalem, & adæquatam eiuſdem ordinis, ſed utraque ſimul poteſt ad eundem effectum concurrere. Aut. patet in homine procedente ab alio homine, tanquam à cauſa adæquata, & ſimul à Deo, à Sole, quorum uterque cauſa adæquata eſt.

Reſp. tamen facilè: conc. aut. neg. conſ. Quia inter cauſas adæquatas diverſi ordinis quælibet producit effectum ſecundum diverſam rationem, quorum una ſub altera continetur, & alteri ſubordinatur formaliter; v.gr. Sol producit hominem ſub ratione corporis, & Deus ſub ratione entis, & homo ſub ratione hominis, qui tamen harum cauſarum ſimultaneus concurſus non tollit illas eſſe adæquatas, & totales. Quia quælibet ſub propria ratione ſolùm producit effectum, & ipſum relinquit producendum ab alia cauſa, non ſub eadem ratione; ſed ſub ratione propria ad alteram pertinente. Si tamen cauſæ totales eiuſdem ordinis ſunt, quælibet erit totalis, & non erit. Eo quod relinquet effectum ſub eadem ratione producendum ab alia cauſa. Nam cauſæ eiuſdem ordinis ſub eadem ratione concurrunt ad effectum. Et ſi ſub diverſa ratione concurrent, ad diverſum etiam ordinem pertinerent.

Argumentum etiam probat de lege ordinaria, & communi providentia, in qua idem effectus producit à duplici cauſa totali ſubordinata, & ita à contrarijs ſolvendum eſt, qui nolunt admittere à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis poſſe eundem numero effectum procedere de lege ordinaria.

2. Poterat argui. Quod cauſa totalis adæquata intenſivè non excludit aliam eodem modo adæquatam : ergo utraque ſimul poteſt ad eundem effectum concurrere. Prob. ant. Cauſa adæquata in eo genere, in quo adæquata eſt, non excludit aliam cauſam adæquatam : ergo cauſa adæquata intenſivè, & extenſivè non excludit aliam eodem modo adæquatam. Prob. ant. Cauſa adæquata intenſivè non excludit aliam adæquatam intenſivè, ſicut conſtat in ſubſtantiam Verbi Divini, quæ terminat humanitatem, adæquatè intenſivè. Et tamen non excludit aliam ſubſiſtentiam, etiam intenſivè adæquatam, videlicèt ſubſiſtentiam Patris, per quam ſimul poteſt humanitas terminari : ergo cauſa adæquata in eo genere, in quo adæquata eſt, non excludit alteram adæquatam.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. Si genus ſit adæquationis ſimplicitèr, & omnibus modis talis: neg. ant. Si tale non ſit: conc. ant. & neg. conſ. Cauſa namque ſolùm intenſivè adæquata non eſt adæquata omnibus modis, & ita relinquit locum alteri cauſæ adæquatæ, & ita humanitas terminata per ſubſiſtentiam Verbi adæquatè intenſivè poteſt etiam terminari per alteram ſubſiſtentiam divinam. Cauſa verò adæquata intenſivè, & extenſivè ſimplicitèr, & omnibus modis adæquata eſt. Conſequentèrque non poteſt admittere aliam cauſam adæquatam. Alias eſſet, & non eſſet omnibus modis ſimplicitèr adæquata.

3. Poterat argui. Idem locus poteſt repleri à duplici corpore ſimul caſu, quo duo corpora penetrentur, ſicut contingere poteſt de potentia abſoluta. Sed tunc caſus idem effectus procederet à duplici cauſa totali : ergo à duplici cauſa totali poteſt procedere idem numero effectus.

Sed hoc leve eſt, ut concluſionem noſtram eneruet. Neg. enim ſuppoſ. Quod tunc caſus illa duo corpora ſe haberent per modum duorum, ſed ſolùm ſe haberent per modum unius corporis. Quapropter idem numero effectus, & eadem numero repletio loci paſſiva non procederet niſi ab unica cauſa.

Sed inſt. Corpora illa ſe haberent per modum duorum : ergo idem numero effectus procederet à duplici cauſa totali. Ant. prob. Illa duo corpora eſſent duo locata, & ubicata : ergo ſe haberet per modum duorum. Prob. ant. Illa duo corpora haberent duplex ubi prædicamentale : ergo illa duo corpora ſe haberent per modum duorum.

Reſponderur : diſtinguendo ſecundum anteced. Duo ubicata materialitèr : conc. ant. Duo ubicata formalitèr : neg. ant. & con-

conſeq. Licèt enim illa corpora eſſent duo materialitèr, eſſent tamen formalitèr unum. Quia ſe haberent formalitèr per modum unius corporis locati, & ſimilitèr eſſent duo ubicata materialitèr, & duplex ubi materialitèr diverſum: formalitèr tamen ſolum eſſet unicum locatum, & unicum ubi.

4. Arg. Si duo Sacerdotes ſimul conſecrarent, quilibet in ſuo Altari, idem numero effectus procederet ſimul ab utroque tanquam à cauſa totali. Sed caſus iſte poſsibilis eſt, & ſæpè numero contingit: ergo poſsibile eſt eundem numero effectum procedere ſimul à duplici cauſa totali. Prob. mai. Idem numero Corpus Chriſti produceretur ab utroque: ergo producerent eundem numero effectum. Ant. prob. Corpus Chriſti eſt terminus converſionis. Sed Corpus Chriſti eſt idem in utraque Hoſtia, & eadem adoratione adoratur: ergo idem numero Corpus Chriſti produceretur ab utroque.

Reſp. neg. mai. Ad prob. neg. antec. Ad prob. diſt. mai. Idem Corpus Chriſti in eſſe rei: neg. mai. Idem Corpus Chriſti prout ex pane; conc. mai. & diſt. min. Idem in eſſe rei: conc. min. Idem in eſſe termini converſionis: neg. min. conſ. Licèt enim Corpus Chriſti in utraque Hoſtia ſit idem abſolutè, & in eſſe rei; in eſſe tamen termini converſionis eſt formalitèr numero diverſum. Quia non eſt terminus converſionis, niſi prout fit ex pane. Et cum ex diverſo pane fiat in utraque Hoſtia. Inde fit, quod in utraque eſt formalitèr numero diverſum.

Sed urgebis. Diverſitas panis non obeſt, ut Corpus Chriſti factum ex pane non ſit numero diverſum: ergo Corpus Chriſti in utraque Hoſtia, eſt idem formalitèr in eſſe termini. Prob. ant. Si idem Sacerdos duas Hoſtias conſecraret ſimul, eſſet diverſitas panis. Et tamen Corpus Chriſti in eſſe termini eſſet formalitèr idem: ergo diverſitas non obeſt, ut Corpus Chriſti in eſſe termini ſit formaliſsimè idem.

Dices: Illam diverſitatem panis eſſe materialem; non tamen eſſe formalem diverſitatem.

Contra. Si unus Sacerdos duas Hoſtias conſecraret, eſſet diverſitas panis ſolùm materialis: ergo ſi duo Sacerdotes duas Hoſtias conſecrarent, eſſet diverſitas materialis; non tamen eſſet formalis diverſitas.

Reſp. neg. conſ. Et rati o diſcriminis eſt. Quia in ſecundo caſu utraque Hoſtia conſtitueret unam materiam totalem, & unum terminum à quo converſionis. Undè diverſitas eſſet formalis. In primo verò caſu quælibet Hoſtia eſſet materia partialis, & terminus partialis à quo

con-

converſionis, & ſic diverſitas ſolùm eſſet materialis.

5 Arg. Idem numero objectum repræſentatum per unam ſpeciem impreſſam repræſentatur etiam per ſpeciem expreſſam: ergo poterit effectus procedens ab una cauſa adæquata, ab alia etiam procedere.

Sed neg. conſ. Quia ſpecies impreſſa, & expreſſa cum ſubordinatione quadam repræſentant objectum: impreſſa videlicèt per modum actus primi, & expreſſa per modum actus ſecundi. In cauſis verò eiuſdem ordinis non reperitur aliqua ſubordinatio, & ita diverſa eſt ratio.

Dices: Inter duas ſpecies expreſſas nulla datur ſubordinatio. Et tamen poteſt idem objectum repræſentari per duplicem ſpeciem expreſſam, unam quidem exiſtentem in intellectu Petri, & aliam exiſtentem in intellectu Pauli. Siquidem uterque poteſt idem objectum cognoſcere: ergo poterit idem effectus procedere à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis, quamvis inter utramque nulla ſit ſubordinatio.

Reſp. tamen. Quod quando Petrus, & Paulus idem objectum cognoſcunt, tale objectum eſt numero diverſum comparativè ad utrumque, & per diverſam numero ſpeciem, & cognitionem attingitur, & ita ſecundum rationem numero diverſam repræſentatur per utramque ſpeciem. In quo nulla implicatio invenitur. Cæterum idem effectus numero, de quo argumentum procedit, ſecundum eandem numero rationem à duplici cauſa procederet. In quo implicatio ſupra dicta continetur.

6. Arg. Humanitas Chriſti Domini adæquatè terminatur per ſubſiſtentiam Filij, & tamen poteſt ſimul per ſubſiſtentiam Patris, & Spiritus Sancti adæquatè terminari: ergo poterit etiam idem effectus procedere à duplici cauſa adæquata.

Reſp. diſt. mai. Adæquatè intenſivè, & extenſivè: neg. mai. Adæquatè intenſivè: conc. mai. & min. & neg. conſ. Humanitas namque Chriſti Domini ſolùm adæquatè intenſivè terminatur per ſubſiſtentiam Filij. Et ita poteſt adæquatè etiam terminari per ſubſiſtentiam Patris. Sicut eadem relatio Patris adæquatè etiam intenſivè terminata in primo Filio, eadem etiam terminatur ad ſecundum. Quia nullus illorum adæquat relationem intenſivè, & extenſivè.

Dices: Poteſt eadem natura terminari adæquatè intenſivè per ſubſiſtentiam Filij, quin per illam adæquatè intenſivè, & extenſivè terminetur: ergo poterit idem effectus procedere ab una cauſa totali, & adæquata intenſivè, quæ tamen extenſivè non ſit adæquata, & ſimul ab alia procedere.

Reſp.

Reſp. neg. conſ. Quia ſubſiſtentiæ divinæ omnes habent virtutem infinitam in terminando, & hæc virtus æqualis in omnibus eſt. Undè quod una terminet, non tollit, quod poſsit altera terminare eandem naturam Eo quod in omnibus eadem poteſtas, & virtus ad terminandum invenitur. Et ita nulla illarum terminat adæquatè intenſivè, & extenſivè. Sicut mortuo primo Filio perſeverat relatio eadem Patris terminata ad ſecundum Filium. Quia in quocumque Filio eſt eadem formaliter ratio, & virtus ad terminandum relationem Patris. In cauſis verò creatis eiuſdem ordinis, non eadem numero virtus; ſed virtus numero diverſa reperitur, quæ quidem virtus eſt determinata ad individuationem effectus. Et propterea continere non poteſt eandem numero effectum, quæm continet alia. Conſequenterque quæcumque cauſa cum proprio effectu eſt adæquata intenſivè, & extenſivè.

Hæc ſolutio eſt communis Thomiſt. 3. p. q. 3. Verùm ad propoſitum faciliori via argumento reſpondemus. Quod natura humana adæquatè intenſive, & extenſivè terminatur per ſubſiſtentiam Filij; poteſt tamen terminari per ſubſiſtentiam Patris, & Spiritus Sancti. Quia ab omnibus ſubſiſtentijs prædictis terminatur humanitas ſecundum rationes formaliſsimè diverſas. Undè quælibet ex illis præſtat effectum formalem diverſum. Quia effectus formalis eſt forma communicata, vel terminus communicatus, qui quidem effectus diverſi ſunt, ſicut ipſæ ſubſtantiæ. Quod patet ex eo quod ſi tres Perſonæ Divinæ terminarent eamdem humanitatem, eſſent quidem unus homo, ſed Perſonæ eſſent tres, & ad invicem diſtinctæ Sicut etiam in Deo ſunt tres Perſonæ in unitate naturæ. Qua propter nunquam verificatur humanitatem terminatam per unam ſubſtantiam divinam, poſſe ſecundum eandem rationem per alteram terminari.

7. Arg. idem numero effectus procedere poteſt à duplici cauſa totali inſtrumentali: ergo etiam à duplici principali. Quia utriuſque eadem eſt ratio, & eadem prædicata contradictoria de utraque, vel de nulla verificantur. Ant. prob. Nam in die ordinationis, quando omnes Sacerdotes ſimul conſecrant cum Epiſcopo, idem numero Corpus Chriſti producitur ab omnibus illis, & ſub eiſdem ſpeciebus: ergo idem numero effectus producitur à quocumque illorum, Tanquam à cauſa inſtrumentali adæquata.

Reſp. aliqui. Eundem numero effectum poſſe procedere à du-

duplici cauſa totali inſtrumentali quando utraque ſubordinatur eidem cauſæ principali, ſicut contingit in caſu in argumento relato, ex quo tamen non infertur, eundem numero effectum poſſe à duplici cauſa totali principali procedere.

Revera tamen diſpariratem ſufficientem non invenio inter utrumque caſum. Quia ratio æqualitèr militat in utroque. Nam de quacumque cauſa inſtrumentali verificaretur, quod eſſet totalis. Siquidem totum produceret effectum. Et ſimul non eſſet totalis. Quia partem effectus, vel totum effectum relinqueret producendam ab altera cauſa inſtrumentali. Quæ eſt ratio concluſionis ad probandum eundem numero effectum non poſſe à duplici cauſa totali principali provenire, & ita tali ſolutione relicta.

Reſp. alteriuxta doctrinam. D. Thom. 3. p. q. 82. art. 2. Quod omnes Sacerdos cum Epiſcopo conſecrantes concurrunt ſolùm per modum unius cauſæ inſtrumentalis formalitèr loquendo. Eo quòd omnes concurrunt per eandem virtutem cauſæ principalis: quæ licèt materialitèr in omnibus diverſa ſit, formalitèr tamen eadem eſt. Et omnes aſſumuntur. Ad agendum quatenus ſunt unum in Chriſto, ut ibi ait. D. Thom. & ideò omnes concurrunt per modum unicæ cauſæ formalitèr.

2. Aliis terminis reſp. Quod licèt quælibet Sacerdos ratione characteris ſit cauſa ſufficiens in actu primo, vel habeat ſufficientem virtutem deſignativam, ut poſſit aſſumi à Deo, tanquam inſtrumentum adæquatum; quilibet tamen in actu ſecundo ſufficientem virtutem non habet; ſed indiget divina virtute de novo communicata à Deo, ut à cauſa principali quam virtutem communicat Deus unicuique ut atemperatum cum virtute alterius. Et propterea omnes concurrunt per modum unius cauſæ inſtrumentalis, & virtute atemperata, proveniente atemperatione, non ab ipſis, ſed à Deo omnibus conferente virtutem, non ut diviſivè concurrant, & unus ſine alio, ſed ſimul, & collectivè: ſicut aliqualitèr contingit in homine, qui lapidem ſe ſolo portare poteſt, & tamen in actu ſecundo non vult lapidem niſi cum alio portare.

Ultimo arg. Si duo corpora luminoſa ut duo appropinquentur æqualitèr, vel in eadem diſtantia alicui corpori ſolùm capaci illuminationis ut duo, producerent eundem numero effectum. Sed caſus poſsibilis eſt: ergo poſsibile eſt eundem numero effectum procedere à duplici cauſa totali. Mai, prob. Pro-

du-

ducerent illa corpora eandem numero lucem: ergo eundem numero effectum. Prob. ant. Non producerent diversam numero lucem: ergo eandem. Prob. ant. Si producerent diversam numero lucem, producerent lucem ut quatuor. Siquidem utrumque corpus potest producere lucem ut duo, & habet sufficientem virtutem ad illam producendam. Consequenterque utrumque simul produceret lucem ut quatuor. Sed hoc implicat. Quia subjectum (ut supponitur) solùm est capax lucis ut duo, & aliundè duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto: ergo illa duo corpora non producerent lucem numero diversam.

Resp. Quod illa duo corpora luminosa attemperarent concursum proprium ad producendum solùm lucem ut duo. Undè quamvis in actu primo quod cumque ex illis haberet sufficientem virtutem ad producendam lucem ut duo in corpore, vel in subjecto capaci; de facto tamen propter incapacitatem subjecti non produceret quodlibet ex illis lucem ut duo, nec ambo simul lucem ut quatuor: sed utrumque produceret eandem numero lucem ut duo per modum causæ partialis. Sicut quando duo habentes sufficientem virtutem ad portandum lapidem in actu secundo uniuntur ad eundem lapidem portandum atemperando concursum.

Sed in casu illa duo corpora sunt causæ naturales ad lucem producendam. Sed causa naturalis non potest atemperare concursum. Quia causa naturalis semper operatur in quantum potest, vel secundum ultimum suæ virtutis, & potentiæ: ergo illa duo corpora non producerent eandem numero lucem ut duo atemperando concursum.

Resp. dist. min. Atemperatione proveniente ab ipsa causa naturali: conc. min. Ex incapacitate subjecti: neg. min. & conc. Licèt namque causa naturalis non possit atemperare concursum atemperatione proveniente ab ipsa causa; eo quod libera non est in agendo, sed operatur in quantum potest; virtutem tamen atemperare potest propter incapacitatem subjecti, quod plus recipere non valet, vel totum, quod potest ipsa causa naturalis.

Dices: Si causa naturalis potest hoc modo atemperare virtutem, poterit etiam duplex forma concursum atemperare ad informandam eandem numero materiam. Nam si causa efficiens naturalis potest modo dicto atemperare concursum, non est cur causa formalis non possit concursum atemperare. Sed hoc dicendum non est. Alias duplex forma posset informare

eandem numero materiam de potentia absoluta: ergo illa duo corpora non possunt propter incapacitatem subjecti attemperare virtutem.

Resp. neg. mai. Quia causa efficiens causat per influxum distinctum ab ipsa, & producit effectum realiter à causa diversum. Et ita entitativè invariata potest attemperare concursum, vel propter præsentiam, & conjunctionem alterius causæ, vel propter incapacitatem subjecti: ratione cuius causa naturalis non potest extendi ad totum effectum possibilem suæ virtuti. Causa verò formalis causat se ipsam communicando, & effectus illius est ipsa forma subjecto communicata. Undè in potestate alterius est illam applicare subjecto, semel tamen subjecto unita, sicut tota forma unita, dat etiam totum effectum.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

Idem numero effectus à duplici causa totali, etiam divisivè, non potest procedere.

IN conclus. ista supponimus eundem numero effectum procedentem à causa secunda posse etiam à solo Deo produci. Quia Deus continet eminentèr virtutem, & actionem creaturæ, tàm secundum speciem, quàm secundum individuationem. Et ideò producere potest se solo effectum, quem creatura producit.

Ab hac doctrinâ excipiendi tamen sunt actus vitales creati, qui à solo Deo produci non possunt. Eo quod essentialiter à creatura dependent, & ipsa per tales actus se movet, & se movere non posset, si solus Deus produceret illos actus. De alijs verò effectibus procedit conclusio nostra, & simul de duplici causa creata divisivè sumpta: an videlicèt, idem numero effectus, qui producitur ab una causa: illa deficiente, vel secluſa possit ab alia produci? In quo sensu est negativa conclusio.

Sententia hæc expressa est D. Thom. quolib. 5. art. 8. asserentis: *Impossibile esse eundem filium nasci, sivè sit alius pater, sivè alia mater, sicut etiam non est idem numero sigillum, sivè sit alia cera, sivè aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur.* Sentit ergo D. Thom. eundem numero effectum non posse à duplici causa etiam divisivè procedere.

Ratione verò prob. conclus. nostra. Nam causa numericè ab alia distincta non potest continere eundem numero effectum, quem continet alia: ergo nec simul, nec divisivè potest producere eundem numero effectum. Prob. ant. Causa numericè ab

illa diſtincta habet virtutem numerice diſtinctam à virtute alterius cauſæ: Ergò non poteſt continere eundem numero effectum. Patet conſ. Quia virtus numero diſtincta eſt contentiva effectus etiam numero diverſi ab effectu, quem continet alia virtus. Conſequentèrque, ſi virtus eſt numero diſtincta, etiam effectus erit numero diverſus. Ant. patet. Quia virtus numericè diſtinguitur ſecundum unitatem numericam cauſæ. Ac proinde cauſa numero diverſa habet etiam virtutem numero diſtinctam.

Conf. Quia idem numero effectus ſolum poteſt produci per eandem numero actionem, vèl per alteram ſuperiorem, in qua talis actio eminentèr continetur. Sed eadem numero actio non poteſt procedere à duplici cauſa creata diviſivè, ut per ſe manifeſtum eſt. Et quia eadem numero actio non poteſt in actu ſecundo actuare duplicem cauſam numero diſtinctã. Aliũdè actio unius creaturæ non poteſt actionem alterius eminentèr continere: Ergo idem numero effectus non poteſt à duplici cauſa, etiam diviſivè procedere

*** *** ***
*** *** ***

§. V.

Argumentis occurritur.

ARg. 1. Quia idem numero Corpus Chriſti producitur hodie ab uno Sacerdote, & die craſtina producitur ab alio: Ergo idem numero effectus poteſt procedere à duplici cauſa inſtrumentali diviſivè. Et conſequentèr poterit à duplici principali. Quia utriuſque eadem ratio eſt.

Conf. Idem numero cadaver productum ab uno homine per iugulationem v. g. poteſt ab alio homine per ſuffocationem produci. Sicut etiam unus homo poteſt idem animal iugulare, & alter homo poteſt idem animal ſuffocare: Ergò idem numero effectus poteſt à duplici cauſa produci.

Conf. 2. idem numero calor productus ab uno igne ſæpè numero conſervatur ab alio: Ergò poteſt etiam ab alio produci. Quia conſervatio eſt continuata productio.

Reſp. ad arg. neg. ant. Quia Sacerdos non producit Corpus Chriſti abſolute, ſe tantum prout ex pane. Et cum panis, quem Sacerdos conſecrat hodie, diverſus ſit à pane, quem Sacerdos die craſtina conſecravit. Inde fit Corpus Chriſti in ratione effectus eſſe numero di-

versũ. Et etiã eſt ſententia probabilis, quod ex vi conſecrationis producitur modus quidam Sacramentalis ratione cuius Corpus Chriſti hodie, & die crastina conſecratum numero diverſum erit.

Ad 1. conf. reſp. Quod qui iugulat, vèl ſuffocat animal, non eſt cauſa per ſe cadaveris, ſed ſolum per accidens, quatenus removet diſpoſitiones præcedẽtes, quæ prohibebant ingreſſum formæ cadaveris; cauſæ verò per ſe ſolum eſt Cœlum, vèl elementum, quod tunc prædominatur, in præſenti autem ſolum loquimur de cauſa per ſe. Quia de cauſa per accidens nulla difficultas eſt.

2. reſp. Quod ſicut duo occidentes numero diſtincti diverſo modo numericè diſponunt materiam, ipſamque ſigillant, & diſpoſitiones numero diſtinctas producunt: Ita etiam cadaver ex occiſione diverſa per iugulationẽ, vèl ſuffocationem productum numero diverſum eſt.

Ad 2. conf. reſp. Effectum ſolum conſervari per ſe à cauſa producente. Et ita calorem ab uno igne productum non poſſe per ſe ab altero conſervari; ſed tantum per accidens conſervatur ab alio removente frigiditatem, & alia impedimenta, ut conſervetur calor. Ex quo non ſequitur illum calorem poſſe ab alio igne produci. Quia ſola cauſa, quæ per ſe conſervat, poteſt producere effectum. Et hæc omnia à pluribus adverſariorum ſolvenda ſunt. Eo duod probant de facto: Et ſic benè probare non poſſe plures contrarij fatentur.

2. arg. Petrus v. g. poteſt producere quemcumque hominẽ: Ergò poteſt producere eundem numero hominem, quem continet Paulus. Conſequentèrque poteſt ad eundem numero effectum. Prob ant. Homo ſecundum ſuam ſpeciem poteſt producere quemcumque hominem. Quia virtus ſpeciei, ſicut, & ipſa ſpecies ad omnem hominem extenditur. Sed ſpecies hominis reperitur in Petro: Ergò Petrus poteſt quemcumque hominem producere.

Conf. Individuatio eſt prædicatum intrinſecum cuicumque effectui creato. Sed prædicatum intrinſecum non poteſt provenire, vèl regulari per cauſam efficientem, quæ extrinſeca eſt: Ergò unitas numerica effectus non ſumitur à cauſa efficiente. Proindèque poterit effectus idem à duplici cauſa efficienti procedere.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. min. Contracta, & limitata per individualem differentiam: cõced. min. Nõ limitata neg. min. Et conſ. Licèt namque ſpecies hominis reperiatur in Petro, & in quolibet individuo quantum

ad

ad conceptum ſpecificum, repe ritur tamen limitata, & coarcta ta per individualem differentiam. Et ita continere non poteſt niſi effectus individualitèr determinatos, & numero diſtinctos ab alijs effectibus, quos alia cauſa numero diſtintos præcontinet. Vudè Petrus nullo modo poteſt quemlibet producere hominem.

Dices: Illa virtus ita determinata, & ſingularizata poteſt producere plures homines ſubceſſive: Ergò etiam quemcumque hominem producere poteſt.

Sed neg. conſ. Quia illa virtus licèt entitativè, & formalitèr eadem ſit, & una; virtualitèr tamen, & in potentia eſt multiplex. Sicut in pluribus alijs rebus contingit, & maximè in ſemine arboris, quod actualitèr unicum eſt, & virtualitèr eſt multiplex, à quo plures rami producuntur, pluraque poma generãtur. Quia tamen illa virtus numericè diſtincta eſt à virtute alteriù, cauſæ, propterea non poteſt præcontinere effectum, quem alia cauſa numero diſtincta præcontinet. Eo quòd, ſicut unumquodque conſtituitur per actum non præciſivè ſumptum, & in univerſali; ſed per ipſum, ut determinatum, determinatione ſe habentem ad conditione: Ita unumquodque agit, & producit effectum in quantum eſt in actu, non præciſivè, ſed in actu determinato per differentiam individualem propriam agentis.

Ad conſ. verò reſp. diſt. min: A cauſa extrinſeca effectui tàm in ſe, quam in cauſa: canc. min. Extrinſeca effectui in ſe ipſo tantum: neg. min. & conſ. licèt namque cauſa efficiens extrinſeca ſit reſpectu effectus in ſe ipſo intrinſeca tamen eſt reſpectu effectus prout in cauſa. Imò eadem eſt cum effectu prout ſic: Nam effectus prout in cauſa, nihil aliud eſt, quam ipſa cauſa, ut effectus contentiva. Itaque effectus prout in cauſa acipit unitatẽ numericam ab illa numero cauſa. Conſequentèrque in alia diverſa numero contineri non poteſt.

3. arg. Idem numero habitus productus per primam demonſtrationem continetur in virtute ſecundæ demoſtrationis: Ergò idem numero, qui producitur per primam poteſt per ſecundam produci. Ac proinde idem numero effectus poteſt à duplici cauſa diviſivè procedere.

Reſp. Habitum productum per primam demonſtrationem eſſe numero diverſũ ab habitu contento in ſecunda demonſtratione, ſicut etiam utraque demonſtratio numero diverſa.

Sed contra. Si ſecunda demonſtratio contineret habitum numero diverſum, illum de facto produceret. Sed hoc eſt falſum. Aliàs Logica non eſſet ſim-

plex qualitas: Ergò ſecunda demonſtratio continet eundem numero habitum, & non numero diverſum. Prob. mai. Si ſecunda demonſtratio contineret habitum numero diverſum, non eſſet de facto impedita ad illum habitum paoducendum. Siquidem habitus produendus à ſecunda non eſt idem numero, cum eo q i productus eſt per primam demonſtrationem: Ergò ſecunda demonſtratio illum habitum de facto produceret.

2. inſt. Si continere habitum numero diverſum, illius virtus eſſet fruſtranea. Eo quod non eſſet reducibilis ad actum, nè deſtrueret Logicæ ſimplicitatem. Virtus autem, quæ non reducitur ad actũ, fruſtranea eſt: Ergò ſecunda demonſtratio non continet diverſum numero habitum.

Ad arg. hoc ſolutionem ſpecialem habemus in proœmialibus Logicæ, quam dabimus, Deo auxiliante. Modo autem cum communi reſpondemus. Quod licèt ille habitus contentus in ſecunda demonſtratione ſit numero diverſus ab habitu producto per primam; eſt tamen eiuſdem ſpeciei. Et ideò ſecunda demonſtratio impedita eſt ad illam habitum producendum. Eo quod duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem numero ſubiecto.

Ad 2. inſt. reſponderur. Virtutem illam non eſſe fruſtraneam. Quia quamvis non poſsit producere proprium habitum in ſenſu compoſito habitus producti per primam, poteſt tamen illum producere in ſenſu diviſo. Eo quod poteſt Logicus ſecundam demonſtrationem acipere loco primæ, & ab illa ſumere exordium. In quo eventu ſecunda demonſtratio habitum proprium produceret. Aliquale exemplum eſt in virtute Omnipotentiæ Divine, quæ continet omnia poſsibilia, & fruſtranea non eſt, quamvis non poſsit omnia collectivè producere, vèl in ſenſu compoſito. Quia omnia poteſt producere diviſivè. Nullum quippè eſt poſsibile, quod Omnipotentia Divina ſeorſum, & diviſivè producere non poſſit.

§. Vltimus.

Coralloria ex dictis.

EX dictis in artic. diſcurſo collig. eundem numero effectum non poſſe procedere à duplici cauſa totali finali, nec à duplici materiali pro tèr eaſdem rationes. Quia videlicet quæcumque ex illis eſſet, & non eſſet totalis.

2. ex dictis inf. non poſſe eundem numero effectum producere à duplici cauſa formali, nec materiam poſſe ſimul informari du-

duplici forma ſubſtantiali, propter eandem rationem.

Et rurſus. Quia quæcumque forma ſubſtantialis eſt eſſenti aliter actus primus. Et conſequenter eſſentialiter excludit aliam formam ſubſtantialem ab eadem materia. Nam duo actus primi non poſſunt eſſe ſimul, ſicut nec ſimul poſſunt eſſe duo ultimi actus.

Dices: Duo prima principia poſſunt ſimul eſſe. Quia materia, & forma ſunt principia materialia. Et conſequenter ſunt prima principia. Et tamen ſimul inveniuntur in eodem compoſito: Ergò etiam duo primi actus poſſunt eſſe ſimul.

Reſp. Materiam, & formam eſſe duo prima principia in diverſo genere, materiam videlicèt in genere puræ porentiæ, & principij paſsivi, & formam in genere actus, & principij activi. Et ita poſſe ſimul eſſe; ſecus verò duas formas ſubſtantiales, quarum quælibet eſt in genere primi actus.

Deindè etiam prob. aſſumptum principale. Quia forma ſubſtantialis dat eſſe ſimplicitèr. ſed nequit duplex forma ſimul dare eſſe ſimplicitèr: Ergò idē, quod priùs. Prob. min. Nam forma ſecunda, quando advenit, ſupponit materiam conſtituram in actu per primam formam. Et conſequenter ſupponit eſſe ſimplicitèr in materia. Sicut etiam accidentia ſupponunt eſſe ſimplicitèr. Quia formam ſubſtantialem in materia ſupponunt.

Addimus quod ſi duplex forma eſſet in eadem materia v. g. forma æqui, & hominis forma, individuum reſultans eſſet in duplici ſpecie hominis, & æqui. Ac proinde cum ex duplici ſpecie non poſsit reſultare ſpecies determinata: Illud individuum non eſſet in determinata ſpecie. Conſequenterque non eſſet ſub aliquo genere. Nam quidquid eſt ſub aliquo genere, debet eſſe in determinata aliqua ſpecie.

Dices: Quod idem individuum poteſt eſſe in duplici ſpecie ſubſtantiali. Qui Chriſtus Dominus. eſt unicū individuum Et eſt in duplici ſpecie, divina videlicèt. & humana. Ergo quod eſt Deus, & homo: Ergò ratio facta nulla eſt.

Reſp. tamen. Chriſtum Dominum eſſe unicum individuū unitate Perſonæ. Nam Perſona una tantum eſt: Non eſſe tamen unum individuum unitate naturæ. Siquidem habet duplicem naturam numerice diverſam. Et ita mirum non eſt duplicem habere ſpeciem. Nos autem loquimur de individuo uno unitate naturæ, de quo etiam adverſarij loquuntur. Quod quidem eſſe in duplici ſpecie, implicationem involuit.

Contra doctrinam tamen principalis aſſumpti poterat ar-

guis

gui. Quod nulla forma eſt actus ac æquatus reſpectu materiæ. Siquidem materia appetit omnes formas: Ergò potest duplex forma eſſe in eadem materia. Nam idem ſubiectum habere duplicem actum inadæquatum nullam implicationem involvit.

Reſp. Nullam formam eſſe terminum adæquatum reſpectu appetitus. Et ita materia dum eſt ſub una forma, appetit aliam. quamcumque tamen formam eſſe terminum adæquatum ad eſſe. Quia ſi ſemel materia habet ſpeciem, & eſſe per unam formam, non poteſt ſimul recipere aliam, propter rationes allatas.

Deindè arg. Una quantitas non excludit eſſentialiter aliam quantitatem ab eodem loco. Siquidem duo corpora de potentia abſoluta poſſunt penetrari, & in eodem loco exiſtere: Ergò nec una forma ſubſtancialis aliam eſſentialiter excludit.

Conf. Unum contrarium in gradu intenſo non excludit eſſentialiter aliud. Nam contraria in gradibus intenſis de potentia abſoluta poſſunt eſſe ſimul, in probabili ſententia, quæ etiam eſt aliquorum Thomiſt. Ergò idem de duplici forma ſubſtantiali dicendum.

Reſp. ad arg. Expulſionem alterius quantitatis non eſſe effectum primarium, ſed ſecundarium: Et ita poſſe ſeparari à quantitate, & unam quantitatem cum altera penetrari. Eo quod effectus ſecundarius de potentia abſoluta poteſt ſeparari à forma: Expulſionem verò alterius formæ eſſe primarium effectum formæ ſubſtantialis, & ita ab illa ſeparari non poſſe.

Dices: effectus primarius formæ ſubſtantialis, & conſtitutivus illius eſt aliquid poſitivum; Nam, ut dicitur in prædicamento ſubſtantiæ, nulla ſubſtantia poteſt conſtitui per aliquid negativum. Sed expulſio alteriùs formæ eſt aliquid negativum. Siquidem eſt negatio alteriùs formæ: Ergò primarius effectus non eſt.

Reſp. diſt. mai. Poſitivum quantum ad expreſſionem primam: Conc. mai. Quantum ad ſecundam: Neg. mai. Et ſub eadem diſtinctione: conc. min. neg. conſ. Nam ſæpe in effectu primaria formæ ingreditur negatio alterius, ſicut in effectu primario unitatis ingreditur carentia diviſionis: Et in effectu primario rationalitatis ingreditur irrationalitatis negatio. Nec enim implicat effectum primarium ſubſtantiæ quantum ad ſecundam expreſſionem eſſe negativum. Sicut eſſe per ſe conſtitutivum ſubſtantiæ, quantum ad hanc primam expreſſionem, exprimit aliquid poſitivum: Et in expreſſione ſecunda eiuſdem importatur aliquid negativum,

ipſa

ipſa videlicèt negatio eſſendi in alio, quæ ſubſtantiæ ſpecifice ſumpræ eſſentialis eſt.

Ad conf. vero arg. principalis neg. conſ. Quia expulſio alteriùs contrarij v.g. frigoris non eſt effectus primarius caloris, nec aliquid eſſentialitèr eum illo connexum. Eo quod calor in ſummo intelligitur in ſua eſſentia adæquatè conſtitutus ſine negatione frigiditatis: nec ullus Philoſophorum diſſinit calorem in ſummo per negationem frigoris. Oppoſitum autem in forma ſubſtantiali contingit. Addimus oppoſitam ſententiam eſſe expreſſam D. Thom. 2. cont. c. 23. afferentis: Quod ſententia admiſſa in præcenti involvit prædicata contradictoria.

Dices: Contraria in gradibus intenſis ſunt diſpoſitiones ultimæ ad formas ſubſtantiales oppoſitas. Sed ultima diſpoſitio non poteſt eſſe abſque forma. Ergò ſemel admiſſò contraria in gradibus intenſis poſſe ſimul eſſe, hoc idem debemus de duplici forma ſubſtantiali concedere.

Reſp. 1. Ultimam diſpoſitionem ad formam eſſe connaturaliter cum forma connexam, non tamen eſſentialitèr: Et ita poſita ultima diſpoſitione poſſe de potentia abſoluta non poni formam.

2. reſp. Quod, ſi duo contraria in gradibus intenſis ſimul eſſent, non ponerentur in ratione diſpoſitionis ultimæ ad formam ſed ſolum in ratione qualitatis, in quo ſenſu poſſunt poni ſine forma.

Dices: In calore intenſo in ſummo identificatur realitèr ratio ultimæ diſpoſitionis, & ratio ipſa qualitatis: Ergò non poſſunt contraria in gradibus intenſis poni in ratione qualitatis, quin ponantur etiam tanquam ultimæ diſpoſitiones.

Reſp. diſt. conſ. In eſſe rei: conc conſ. Formalitèr: neg conſ. Ex duobus namque prædicatis identificatis realiter non poteſt unum poni, quin etiam entitativè, & in eſſe rei alterum etiam ponatur; poteſt tamen formalitèr unum ſine altero poni. Eo quod ſubiectum poteſt eſſe capax unius: & non habere capacitatem ad alterum. ſicut anima rationalis ut ſenſitiva eſt in carne formalitèr: Et ut vegetativa in cappillis, non tamen, ut rationalis. Et ſubſiſtentia relativi Verbi Divini communicatur humanitati formalitèr, ut ſubſtantia, non tamen, ut relatio eſt. Siquidem non reddit relatam humanitatem.

)o(

ARTICULUS VI.

Vtrùm cauſa Phyſica inſtrumentalis habeat actionem præviam, & ſimul indigeat motione principalis agentis?

§. I.

Senſus difficultatis appetitur, & ſtatuitur prima concluſio.

IN præſenti difficultate ſermo non eſt de inſtrumento morali, quod phyſicè non influit in effectum, ſed ad præſentiam illius Deus effectum producit, ſicut Sacramenta legis antiquæ, ad quorum præſentiam Deus producebat gratiam. Nec etiam difficultas iſta procedit de virtute inſtrumētaria, de qua ſupra diximus non indigere virtute ſuperaddita de novo. Quapropter ſolum loquimur in præſenti de inſtrumentis phyſicis, & rigoroſis. Quorum alia ſunt naturalia, quæ deſerviunt ad effectus naturales, ſicut vaculus ad ambulandum, &c. Alia ſupernaturalia ad ſupernaturales effectus, ſicut Sacramenta ad gratiā. Alia artificialia ad effectus artificiales, ut cultelus, & ſera, & calamus. de quibus inquirimus, an indigeant motione principalis agentis, ut ad effectus inſtrumentaliter concurrant?

Pro quo ſit.

§. II.

Prima, & affirmativa concluſio.

SEntentia iſta expreſſa eſt D. Thom. 3 p. q. 65. art. 2. ubi aſſerit: *Quod inſtrumentum non operatur niſi in quantum motum à principali agente, quod perſe operatur. Et ideò virtus principalis agentis habet permanens, & completum eſſe in natura? virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex uno in alio, & incompletum, ſicut, & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.* Sentit ergo D. Thom. inſtrumentum phyſicum indigere virtute, & motione principalis agentis, ut concurrat ad inſtrumentalem effectum.

Ratione vero prob. concl. noſtra. Quia inſtrumentum phyſicum ex ſe non habet ſufficientem virtutem, ut concurrat ad effectum principalis agentis: Ergo indiget virtute, & motione proveniente ab agente principali. Quia ſi ex ſe virtutem non habet, ab agente principali debet illam habere. Ant. prob. Si inſtrumentum à ſe ipſo haberet ſufficientem virtutem ad effectum producendum, eſſet cauſa principalis. Nam quod virtute propria concurrit ad effectum, eſt cauſa principalis effectus. Et ſi inſtrumentum haberet à ſe ipſo virtutem, propria virtute con-

concurreret ad effectum. Sed hoc dicendum non eſt : ergo inſtrumentum phyſicum non habet à ſe ipſo ſufficientem virtutem, ut concurrat ad effectum producendum.

Reſp. Quod, ut inſtrumentum concurrat ad effectum principalis agentis, ſufficit aſsiſtentia extrinſeca cauſæ principalis: & virtus ſuperaddita neceſſaria non eſt.

Sed contra. Quia ratione aſsiſtentiæ extrinſecæ non redditur inſtrumentum intrinſecè potens ad effectum producendum: ergo ad illum producendum neceſſario indiget ſuperaddita virtute. Ant. prob. Per extrinſecam aſsiſtentiam non mutatur inſtrumentum intrinſecè: ergo non redditur intrinſecè potens. Quia non poteſt inſtrumentum reddi intrinſecè potens, niſi mutetur intrinſecè. Ant. prob. Non poteſt inſtrumentum intrinſecè mutari per illud, quod extrinſecum eſt: ergo non poteſt intrinſecè mutari per extrinſecam aſsiſtentiam. Hæc enim extrinſeca, & non intrinſeca eſt.

§. III.

Solvuntur argumenta contra concluſionem iſtam.

ARguitur 1. Aliqua inſtrumenta perfectiora ſunt, vel ſaltim æquè perfecta cum effectu, quem producunt: ſicut malleus perfectior eſt clavo, & alia huiuſmodi: ergo ſaltim hæc inſtrumenta habebunt à ſe ipſis virtutem ad effectum producendum, & non indigebunt ſuperaddita virtute.

Reſp. Aliqua inſtrumenta in eſſe entis eſſe perfectiora, quam effectus, quem producunt: ſicut calamus perfectior eſt litera, & malleus perfectior eſt clavo; formaliter tamen, & in ratione cauſæ imperfectiora ſunt. Quia effectus ſunt extra ſphæram inſtrumenti, ſicut effectus artificialis extra ſphæram ſerræ. Et ita inſtrumenta non habent virtutem à ſe ad effectum producendum. In ſerra namque; v. gr. ſolùm reperitur virtus naturalis, extra cuius ſphæram eſt effectus artificialis, & ideò, ut effectum artificialem producat, virtus nova ſuperaddenda eſt.

1. Arg. Phantaſma eſt cauſa inſtrumentalis ad ſpeciem intelligibilem producendam: & Sacramenta ad procedendam gratiam, & tamen nullam accipiunt virtutem à cauſa principali: ergo inſtrumentum non diget ſuperaddita virtute. Min. prob. Quia talis virtus non poteſt eſſe corporea. Eo quod improportionata eſt cum effectu ſpirituali, quem talia inſtrumenta producunt. Rurſus. Non poteſt eſſe ſpiritualis virtus illa. Nam virtus ſpiritualis non poteſt

teſt recipi in ſubiecto corporeo, qualia ſunt inſtrumenta prædicta: ergo inſtrumenta enumerata nullam accipiunt virtutem ab agente principali.

Reſp. Illam virtutem eſſe ſpiritualem tranſeuntèr receptam in relatis inſtrumentis. Quia licèt virtus ſpiritualis non poſsit recipi permanentèr in ſubiecto corporeo, benè tamen tranſeuntèr, ſicut 3. p. q. 63. art. 5. ad 1. docet Ang. Doct.

Sed inſt. 1. Virtus corporea nec tranſeuntèr recipi poteſt in ſubiecto ſpirituali: ergo nec virtus ſpiritualis poterit tranſeuntèr recipi in ſubjecto corporeo. Quia ita improportionata eſt virtus ſpiritualis cum ſubjecto corporeo, ſicut virtus corporea cum ſubiecto ſpirituali.

2. Virtus debet proportionari cum ſubiecto, in quo recipitur. Nam unumquodque recipitur ad modum recipientis. Sed virtus ſpiritualis proportionata non eſt cum ſubjecto corporeo; ergo non poteſt recipi in illo etiam per modum tranſeuntis.

Reſp. ad 1. inſt. neg. conſ. Et ratio diſcriminis eſt. Quia virtus eſt perfectio ſubiecti. Et cum virtus corporea non poſsit perficere ſubjectum ſpirituale. Indè fit, quod non poſsit recipi in illo etiam per modum tranſeuntis. Virtus verò ſpiritualis perficere poteſt ſubjectum corporeum. Eo quod immaterialiter eſt in ſubjecto prædicto, & ita poteſt in illo recipi ſaltim per modum tranſeuntis.

Ad 2 reſp. diſt. mai. Proportionari in eſſe virtutis: conc. mai. In eſſe entis: neg. mai. & ſub eadem diſt. min. neg. conſ. namque virtus debeat proportionari cum ſubjecto in ratione virtutis; non tamen in eſſe entis, & ratio eſt. Quia virtus, vel accidens tranſiens, & incompletum eſt via, & tendentia à termino â quo ad terminum ad quem. Et ideò non debet proportionari cum ſubjecto in eſſe entis, ſed cum termino ad quem tendit. Conſequentèrque, ſi talis terminus ſpiritualis eſt, ut contingit in caſu argumenti, etiam virtus ſpiritualis erit. Si tamen virtus fuerit completa, ſolùm eſt perfectior ſubjecti. Et ita cum illo proportionanda eſt conſiderata etiam entitativè.

Dices: Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo quęcumque virtus in ſubjecto recepta debet proportionari cum illo.

Reſp. Quod recipitur permanenter, recipi iuxta modum recipientis quantum ad immaterialitatem, & eſſe; non tamen quod recipitur tranſeuntèr. Quod enim ſic recipitur in ſubjecto, poteſt eſſe ſupra modum recipientis. Sicut virtus ſupernaturalis, quæ recipitur in creatura rationali ſuperat modum illius.

3. Arg.

3. Arg. Si inſtrumentum ageret per virtutem à cauſa principali derivatam, eſſet cauſa principalis. Sed hoc dicendum non eſt: ergo idem quod prius. Prob. mai. Virtus cauſæ principalis eſt æqualis perfectionis cum effectu: ergo ſi inſtrumentum ageret virtute cauſæ principalis, eſſet cauſa principalis.

Reſp. Virtutem cauſæ principalis, prout in cauſa principali, eſſe æqualis perfectionis cum effectu; non tamen prout in ipſo inſtrumento receptam. In illo namque recipitur per modum formæ incompletæ, vialis, & tranſeuntis.

Sed contra. Si virtus hæc prout in inſtrumento recepta non eſt æqualis perfectionis cum effectu, non poterit inſtrumentum per hanc virtutem reddi proportionatum ad effectum attingendum. Quia inſtrumentum cum effectu proportionari non poteſt, niſi per virtutem proportionatam, & æqualis perfectionis cum effectu: ergo virtus prædicta, etiam prout in inſtrumento recepta, eſt æqualis perfectionis cum effectu.

Reſp. diſt. ant. Proportione æqualitatis, vel æquiparantiæ: conc. ant. Proportione ſufficientiæ, & continentiæ vialis: neg. ant. & conſ. Per virtutem namque à cauſa principali receptam non redditur inſtrumentum proportionatum proportione æqualitatis: eo quod virtus illa non eſt æqualis perfectionis cum effectu. Redditur tamen per virtutem illam proportionatum proportione ſufficientiæ, & continentiæ vialis. Quia per virtutem derivatam à cauſa principali continet vialiter inſtrumentum effectum illum, quem ſecundum ſe continere non poterat: ad quam continentiam imperfectam, & vialem ſufficit virtus modo imperfecto, & vialiter inſtrumento recepta.

§. IV.

Secunda concluſio.

Inſtrumentum phyſicum debet habere aliquam actionem præviam.

SEnſus, & intelligentia huius concluſionis facilis eſt, quod videlicèt inſtrumentum phyſicum debet habere propria virtute actionem aliquam, media qua reddatur capax, ut aſſumatur ab agente principali, & qua diſpoſitivè operetur ad effectum principalis agentis, ratione cuius habet inſtrumentum maiorem proportionem cum effectu determinato. V. gr. in ſerra reperitur virtus ad ſciſsionem, & ad ſciſsionem ut artificioſam. Secundum correſpondet virtuti provenienti à cauſa principali: primum verò correſ-

pons

pondet ſerræ propria virtute, ſecundum quam ſcindere poteſt propriè durum, & acutum. Et propterea aſſumitur ſerra, potius quam aliud inſtrumentum ad ſciſsionem artificioſam, & in hoc ſenſu.

Explicata concluſio eſt expreſſa D. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. Ubi ex eo probat non poſſe dari inſtrumentum reſpectu creationis: quia omne inſtrumentum debet habere aliquam actionem prævium, qua diſpoſitivè operetur ad effectum principalis agentis. Quod tamen in creatione contingere nequit. Eo quod creatio eſt productio entis ex nihilo. Conſequentèrque non eſt productio ex aliquo præſuppoſito ſubjecto, quod poſsit diſponi per actionem inſtrumenti. Sentit ergo D. Thom. omne inſtrumentum habere prævium actionem.

Ratio autem id ipſum convincit. Quia, ſi inſtrumentum non haberet prævium actionem, ratione cuius diſpoſitivè operaretur ad effectum principalis agentis, nihil ſpeciale haberet inſtrumentum in ordine ad unũ effectum, quod non haberet etiam in ordine ad alterum, & conſequentèr non eſſet unum inſtrumentum magis aſſumptibile in ordine ad effectum determinatum. Sed quodcumque inſtrumentum eſſet æqualiter aſſumptibile. Siquidem quodcumque inſtrumentum æqualem proportionem haberet cum effectu. Sed hoc eſt falſum. Nam ad ſciſsionem artificioſam magis aſſumptibilis eſt ſerra, quam buytrum: & ad ſcribendum magis aſſumptibilis eſt calamus, quam virga ferrea, vel aliud huiuſmodi: ergo omne inſtrumentum habere debet actionem prævium, qua diſpoſitivè operetur ad effectum principalis agentis.

Dices: Inſtrumenta ſupernaturalia non habere actionem prævium: ergo concluſio univerſaliter vera non eſt. Prob. ant. Quia unum inſtrumentum ſupernaturale non eſt magis aſſumptibile, quam aliud in ordine ad determinatum effectum. Quia ad gratiam producendam æqualiter poteſt Deus aſſumere Aquam Baptiſmalem, vel petram, vel huiuſmodi aliud: ergo inſtrumenta ſupernaturalia actionem prævium non habent.

Facilè tamen reſp. inſtrumenta ſupernaturalia non habere actionem prævium determinatam adhunc effectum potius, quam ad alterum producendum: habere tamen actionem prævium indifferentem adhunc vel allum effectum, prout ipſi Deo placuerit. Quæ quidem actio prævia eſt proportio entis ad ens. Nam quod non habet eſſe, inſtrumentum eſſe non poterit. Si autem eſt ens, iam re-

ci-

cipere poteſt divinam virtutem, ad quodcumque Deus voluerit.

Dices: Quod inſtrumentum corporeum non poteſt habere actionem aliquam prę viam, qua diſpoſitivè operetur ad gratiam in anima producendam: ergò in ordine ad ſupernaturalem effectum nou eſt aſſumptibile quodcumque inſtrumentum, ſed potius determinatum inſtrumentum requiritur, quod ultra proportionem entis ad ens habeat aliam ſpecialem proportionem. Prob. ant. Operari diſpoſitivè ad effectum principalis agentis eſt producere aliquid, quod ad talem effectum diſponat. Sed inſtrumentum corporeum non poteſt in anima producere aliquid, quo diſponatur ad gratiam: ergò non poteſt habere actionem aliquam prævium, qua diſpoſitivè operetur ad effectuw principalis agentis.

Reſp. diſt. ant. Diſpoſitivè ex parte rei operatæ: conc. ant. Ex parte modi operandi: neg. ant. & ad prob. diſt. maj. Diſpoſitivè ex parte rei operatæ: conc. maj. Ex parte modi operandi: neg. maj. & conc. min. neg. conſ. ſecundum diſtinctionem majoris. Nam inſtrumentum corporeum nihil poteſt in anima producere, quo diſponatur ad gratiam. Et ita non operatur diſpoſitivè ex parte rei operatæ. Sicut ſerra, quæ facit ſciſsionem in ligno, per quam diſponitur lignum ad formam artificioſam. Operatur tam corporeum inſtrumentum diſpoſitivè ex parte modi operandi, quatenùs ſecundum ſuam entitatem recipit virtutem cauſæ principalis, & talem virtutem defert ad animam, ut in ea producatur effectus: & hæc delatio, vel actio delativa virtutis eſt actio prævia inſtrumenti, quæ illi propria virtute correſpondet. Quodcumque namque inſtrumentum, eo ipſo quod ſit ens, habet ſufficientem capacitatem ad virtutem divinam deferendam ad paſſum: & ad virtutem divinam ſic deferendam ſuperaddita virtute non indiget, ſed propriam virtutem habet. Hæc tamen diximus, ne actio prę via inſtrumenti ſupernaturalis totalitèr à Phyloſophis ignoretur. Plura tamen circa actionem prædictam Theologis diſcutienda relinquimur.

Ex dictis infertur prophetiam non eſſe cauſam inſtrumentalem proprij actus. Siquidem Propheta vivit, & ſe movet per illum. Et conſequentèr non inſtrumentalitèr operatur. Similitèr etiam actus charitatis elicitus medio auxilio tranſeunte procedit ab illo ut à cauſa principali. Quia licèt illa virtus ſit tranſiens, ſubſtituit tamen pro habitu permanenti. Et actus non petit per ſe procedere à virtute tranſeunte; ſed hoc contingit

per accidens; quatenùs habitus permanens in ſubjecto non eſt.

Secundò, inferitur quod licèt aliquæ cauſæ principales operentur per virtutem acceptam ab alio, ſicut Luna illuminat per lucem acceptam à Sole, non ideò cauſæ inſtrumentales ſunt. Eo quod virtus illa permanentèr communicatur.

Dices: Character Sacerdotalis communicatur Sacerdoti per modum formæ permanentis. Et tamen Sacerdos, dùm utitur charactere ad conſecrandum, inſtrumentalitèr ad conſecrationem concurrit: ergò aliquod inſtrumentum per virtutem permanentem operatur.

Reſp. tamen Characterem Sacerdotalem eſſe qualitatem, per quam Sacerdos redditur, & deſignatur inſtrumentum permanentèr aſſumptibile à Deo; non tamen eſſe virtutem, per quam Sacerdos conſtituitur in actu ſecundo in ratione inſtrumenti, vel inſtrumentaliter operantis: ſed potius hoc habet per aliquam virtutem tranſeuntem, & vialem de novo communicatam à Deo. Et hæc de art. iſto text. 27. 28. 29. ad Philoſ. applicanda.

DIGRESSIO BREVIS DE CASV, & fortuna.

De Fortuna, & Caſu in fine hujus libri diſputationem plurimi faciunt. Quia tamen doctrina parùm utilis eſt, & Fortuna ipſa inter cauſas efficientes numeratur, poſt tractatum de Cauſa Efficiente, breviſſime nobis dicendum eſt de Fortuna, quam quidem ſic Philoſophus diffinivit: *Eſt Cauſa Efficiens per accidens in his, quæ ſecundum propoſitum fiunt, raroque contingunt.* Sicut cum aliquis fodit terram ex intentione ſepeliendi mortuum, & invenit theſaurum, vel cum aliquis iter facit ad locum, & in itinere invenit argentum, tunc enim Fortuna eſt, quæ tamen ſolùm repetitur in his, quæ ex intentione operantur, & propter aliquem finem. Quando namque aliquis propter finem operatur, & præter ejus intentionem occurrit aliquod bonum, dicitur habere Fortunam. In alijs verò agentibus, quæ non operantur propter finem, effectus, qui per accidens ſequitur, non dicitur eſſe à Fortuna, ſed à Caſu provenire. Undè Caſus diffinitur: *Cauſa Efficiens per accidens in his, quæ præter intentionem fiunt, raroque contingunt.* Illa namque, quæ frequenter accidunt, ſive in agente intendente finem, ſive non, nec à Caſu, nec à Fortuna proveniunt, ſed tanquam certò habenda, vel ut in plurimum ſeparantur.

De Fato autem dixerunt aliqui eſſe ſeriem, & ordinationem cauſarum naturalium, quæ in-

evitabili neceſsitate operantur effectus. Conſequentèrque, ut augerent errorem, negabant cauſas ſecundas libertatem habere. Cujus fallitatem fides, & ratio, & experientia convincunt.

Alij verò aſſerebant: Deum non omnia futura cognoſcere, ut ſic ſalvaretur futura contingenter evenire. Dicebant namque, quod ſi Deus illa cognoſceret, illa neceſſario evenirent. Cum ſcientia Dei falſificari non poſsit. Et ideò cauſam ſecundam liberam non poſſe manere. Hujus ſententiæ princeps Cicero, qui eloquentiæ, & rationis oblitus, in præſenti fine lumine fatur. Nos tamen ut Philoſophi Chriſtiani fatum Gentilium negantes, ſolùm verùm, & Catholicum confitemur. *Quod eſt infallibilis diſpoſitio cauſarum creatarum derivata à divina providentia ad executionem effectus.* De quo plura Theologi 1. *p. q.* 19. *&* 23. Et hæc infallibilis ordinatio cauſarum creatarum non tollit libertatem creaturæ, niſi velimus, ut homines faciamus liberos, facere ſacrilegos. In quibus in præſenti immorandum non eſt. Quia difficultas eſt ſatis gravis, & Theologica nimis, & Ariſt. cap. 5. punctum latiſsimè tractat.

QUÆSTIO IV.

De Cauſa finali.

ARTICULUS I.

Utrùm apprehenſio ſit ratio formalis finalizandi?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur, noſtra Concluſio.

AD intelligentiam principalis aſſumpti 1. ſupp. eſt. Cauſam finalem in rerum natura dari. Quia omne agens agit propter finem, juxta probervium Phyloſophi, qui in præſenti *cap.* 5. *text.* 31 *&* 2. *Metaph. cap.* 2. *text* 28. diffinivit finem eſſe: *Id cujus gratia aliquid fit:* Sicut ſanitas infirmi eſt finis, cujus gratia, vel ratione cujus ſumit infirmus potionem amaram, & exequitur alia media, quæ ad ſanitatem conſequendam conducunt. Et ita ſanitas ipſa eſt cujus gratia cætera fiunt. 2. notan. eſt. Quod finis debet habere bonitatem, ut moveat, & alliciat voluntatem, qui ſi bonitatem non habet, vel veram, vel apparentem non movebit voluntatem, nec ex amore illius voluntas movebit cæteras potentias ad ponenda media, & finis conſequutionem.

3. ſupp. eſt. Bonitatem illam debere cognoſci. Aliàs voluntas non poſſet illam amare. Eo quod *nihil volitum, quin præcognitum.* Et rurſus bonitas iſta debet apprehendi ut poſsibilis, vel conſequibilis ab agente. Quia ſi ita non apprehenditur, non poterit proponi, ut utilis. Conſequentèrque non erit amabilis ab agente. Eo quod in impoſsibile formaliter ut tale non poteſt ferri voluntas.

4. Varias eſſe diviſiones finis. 1. namque dividitur in finem *qui*, & finem *cui* finis *qui* eſt ille, quem voluntas appetit, ſicut infirmus appetit ſanitatem. Finis *cui* eſt ſubjectum, cui bonum deſideratur, ſicut infirmus eſt finis *cui* ſanitatis. Sibi namque deſiderat ſanitatem.

2. finis dividitur in finem formalem, & objectivum: vel in finem qui, & finem *quo*. Finis qui, & objectivus eſt, quem appetit voluntas. Finis *quo* vel formalis, eſt actus, quo conſequimur finem. Sicut patet in avaro deſiderante pecunias, cujus finis qui vel objectivus ſunt pecuniæ. Finis, verò *quo*, vel formalis eſt actus, quo pecunias conſequitur. Non enim illas niſi ut conſequendas appetit, & idem in noſtra voluntate reſpectu finis ultimi contingit. Finis enim ultimus objectivus reſpectu noſtri eſt Deus ipſe; viſio verò, qua Deum videbimus clarè, eſt finis formalis, vel finis, quo Deus ipſe conſequitur.

3. finis dividitur in finem operis, & finem operantis. Finis operis eſt ad quem actus, vel operatio ex natura ſua ordinatur. Finis operantis eſt ille qui ab operante intenditur. Sicut in eo, qui dat eleemoſynam propter vanitatem: ſublevatio miſeriæ proximi eſt finis operis; vanitas verò eſt finis operantis. Quia actus elargiendi eleemoſynam ad talem finem vanitatis ex ſe ordinari non poteſt.

Tum etiam dividitur finis in ultimum, & non ultimum. Non ultimus eſt, qui ad alium ulteriorem ordinatur. Ultimus verò, qui ad nullum ordinatur; omnia tamen ordinantur ad ipſum.

Tandem ſupponimus finem eſſe cauſam realem. Cujus ea ratio eſt. Quia cauſa realis eſt illa, ad quam realiter ſequitur effectus. Nam cauſa eſt, ad quam effectus ſequitur. Et conſequenter cauſa realis erit illa, ad quam realiter ſequitur effectus. Sed ad cauſam finalem ſequitur effectus realiter per realem dependentiam ab ipſa: ergò finis erit cauſa realis. Prob. min. Unum ab alio realiter dependere eſt habere ſuum eſſe reale propter illud. Sed effectus agentis habet ſuum eſſe reale propter finem: ergò ſequitur ad finem realiter per dependentiam realem ab ipſo

ſo. Min. patet. Quia finis eſt id, cujus gratia aliquid fit, ſicut conſtat ex diffinitione finis. Tum etiam. Quia diviſio cauſæ realis in quatuor genera cauſarum univoca eſt. & ab omni vera cauſa reali realitèr pendet effectus, & realitèr ad illam conſequitur. Rurſus. Quæcumque cauſa efficiens agit proptèr finem, vel cognitum à ſe, vel à ſuperiori agente: ergò effectus agentis habet eſſe proptèr finem per dependentiam realem ab ipſo.

Conf. Quia voluntatem eſſe inclinatam realitèr ad aliquid agendum eſt effectus realis finis. Siquidem voluntas ad agendum inclinatur, & movetur à fine: ergò finis eſt vera cauſa realis, ad quam verè, & realitèr ſequitur proprius effectus.

Dices 1. Quod finis non eſt principium. Eo quod finis, ut ipſum nomen præfert, eſt ultimum ad quod cætera ordinantur: ergò non eſt cauſa realis. Nam omnis cauſa principium eſt.

2. Quod finis ſolùm metaphoricè movet: ergò non eſt cauſa realis. Nam cauſa realis verè, & propriè movere debet.

3. Inter cauſam realem, & effectum datur relatio realis prædicamentalis. Sed inter effectum, & cauſam finalem non datur relatio iſta: ergò finis non eſt cauſa realis. Prob. min. Quia relatio realis prædicamentalis invenitur ſolùm inter extrema realitèr exiſtentia. Sed finis dum cauſat, non exiſtit realitèr, ſed ſolùm in apprehenſione operantis. Nam finis cognitus movet ad amorem ſui: ergò inter effectum, & cauſam finalem non invenitur relatio prædicta.

Ad 1. replic. reſp. diſt. ant. Finis ut in executione conſequitur: conc. ant. Ut in apprehenſione, & in intentione operantis: neg. ant. & conſ. Licèt namque finis prout conſequitur in re, non ſit principium, & cauſa, ſed potius ſit effectus agentis; quatenus tamen exiſtit in apprehenſione operantis, & ut ſic movens eſt vera cauſa, & principium. Imò prima inter omnes cauſas eſt.

Ad 2. neg. conſ. Quia movere propriè importat contactum phyſicum moventis ad mobile, quem contactum finis habere non poteſt, dum exiſtit in apprehenſione, & ſic movet ad agendum. Et ideò ſolùm metaphoricè movet. Cum hoc tamen compatitur verè, & realitèr cauſare. Eo quod ad ipſum realitèr ſequitur effectus: & agens proptèr ipſum finem realem operatur.

Ad 3. inſt. dicitur. Inter effectum, & cauſam realem dari quidem relationem prædicamentalem fundatam ſuprà relationem tranſcendentalem, & rea-

realem dependentiam effectus à cauſa: hæc tamen relatio ſolùm conſurgit inter effectum, & cauſam realem, quando realiter exiſtit utrumque, non tamen quando aliquod illorum realiter non exiſtit. Sicut contingit in fine, qui cauſat, quando exiſtit in apprehenſione operantis.

His ergò præmiſſis in puncto difficultatis duplex verſatur ſententia. Altera quidem affirmat: apprehenſionem eſſe rationem formalem finalizandi, & movendi voluntatem, quam communiter tenent extra Scholam D. Thom. Alia verò ſententia negat, & Thomiſtarum communis eſt. Et ideò ſit

§. II.

Noſtra Concluſio.

Bonitas realis finis, & non apprehenſio bonitatis eſt ratio formalis finalizandi.

SEntentia hæc videtur expreſſa Ang. Præc. *q.* 25. *de Verit. art.* 2. *ad* 6. ubi ait: *Quod diverſitas apprehenſionum per accidens ſe haberet ad vires appetitivas, niſi diverſitati apprehenſionum diverſitas apprehenſorum adjungeretur. Nam ſenſus, qui non eſt niſi particularium, non apprehendit bonitatem abſolutam, ex quo diverſificatur appetitus inferior à ſuperiori.* Sed ſi apprehenſio eſſet ratio formalis finalizandi, ſola diverſitate apprehenſionum, licèt non adjungeretur diverſitas apprehenſorum, variaretur formaliter appetitus: ergò apprehenſio ratio formalis finalizandi non eſt. Quam doctrinam pluribus in locis 1. *p.* & in 2. 2. *q.* 26. *art.* 2. *ad* 1. habet Ang. Doct.

Ratione verò prob. concl. noſtra. Quia ea eſt ratio formalis finalizandi, & movendi voluntatem, qua finis conſtituitur in ratione appetibilis. Sed non per apprehenſionem, ſed per ſuam realem bonitatem conſtituitur finis in ratione appetibilis: ergò non apprehenſio, ſed bonitas realis finis eſt ratio formalis finalizandi, & movendi voluntatem. Prob. min. Per illud conſtituitur finis in ratione appetibilis, per quod, cum poſſidetur, ſatiat appetitum. Sed non per apprehenſionem, ſed per ſui bonitatem ſatiat appetitum: ergò non per apprehenſionem, ſed per ſui bonitatem conſtituitur in ratione appetibilis. Prob. min. Si finis per apprehenſionem ſatiaret appetitum, ante poſſeſſionem finis, & bonitatis illius ſatiaretur appetitus. Siquidem apprehenſio exiſtit ante poſſeſſionem finis, & conſecutionem illius. Sed hoc dicendum non eſt. Nam dum quis non ſequitur bonitatem realem finis, non ſatiatur, vel quietatur appetitus

ſed:

ed quanto magis finem apprehendit, tanto magis illum deſiderat, & ipſum anhelat: ergò finis non per apprehenſionem, ſed per ſui bonitatem ſatiat appetitum.

Eadem doctrina explicatur in homine avaro, qui non appetit apprehendere, & cognoſcere pecunias, ſed bonitatem realem; & ipſam conveniențiam, quam pecuniæ afferunt: nec infirmus appetit apprehenſionem ſanitatis, ſed ejus bonitatem realem: ſicut etiam famelicus non appetit apprehenſionem cibi, ſed illius bonitatem, qua mediante tollitur fames, & ſatiatur appetitus. Quæ omnia efficacitèr ſuadent non apprehenſionem, ſed bonitatem realem objecti finalizare appetitum voluntatis.

Reſp. aliqui Thomiſtæ: Finem ipſum conſtitui appetibilem per ſuam bonitatem, tanquam per rationem, quæ amatur à voluntate; rationem tamen ſub qua non eſſe bonitatem finis, ſed apprehenſionem illius, ex qua ſimul cum bonitate reſultat adæquata ratio finis.

Hæc tamen ſolutio inefficax eſt, & reijcitur 1. Quia ea eſt ratio ſub qua, per quam finis conſtituitur, ratione cujus finis conſequutus faciat appetitum voluntatis. Sed non per apprehenſionem, ſed per propriam bonitatem faciat finis appetitum voluntatis, ut in ratione noſtra vidimus: ergò non apprehenſio, ſed bonitas eſt etiam ratio formalis ſub qua, & non ſola ratio quæ.

2. Ea eſt ratio formalis ſub qua finalizandi, ſub qua etiam finis terminat actum voluntatis, & voluntas fertur in finem. Sicut lux eſt ratio formalis objecti viſibilis, & potentiæ viſivæ. Quia potentia viſiva fertur in proprium objectum ſub ratione lucidi. Sed voluntas non fertur in bonum ſub ratione apprehenſi: ergò apprehenſio non eſt ratio formalis ſub qua finalizandi. Prob. min. Voluntas fertur in bonum ſub ratione convenientis. Nam omnis appetitus terminatur ad objectum ſub ratione convenientis. Sed non eſt conveniens: quia apprehenditur; ſed quia id, quod apprehenditur, eſt bonum: ergò voluntas non fertur in bonum ſub ratione apprehenſi. Prob. min. Bonitatem eſſe convenientem non provenit ab apprehenſione, ſed potiùs à natura bonitatis. Non enim cibus habet convenientiam reſpectu appetitus à cognitione cibi, ſed à natura propria, ſicut aqua à propria natura, aqua habet extinguere ſitim, habet etiam eſſe convenientem appetitui: ergò bonum non eſt conveniens: quia apprehenditur; ſed quia id, quod apprehenditur, bonum eſt.

Addimus. Apprehenſionem

eſſe communem reſpectu boni terminantis appetitum, & amorem voluntatis, & reſpectu mali, quod refugit ipſa voluntas: ergò apprehenſio non poteſt conſtituere objectum in ratione finalizantis.

3. Quia ratio ſub qua finis debet eſſe de linea appetibili. Eo quod ratio quæ, & ratio ſub qua debent eſſe in eadem linea. Et ratio, quæ boni eſt in linea appetibili. Sed apprehenſio abſolutè conſiderata non eſt in linea appetibili, ſed in linea intelligibili: ergò apprehenſio non poteſt eſſe ratio ſub qua finalizandi.

Reſp. contrarij. Non quancumque apprehenſionem proximam, vel actualem, qua finis in actu ſecundo cognoſcitur, eſſe rationem ſub qua finalizandi appetitum, ſed ſolùm hoc habere apprehenſibilitatem radicalem, vel ipſum finem, ut radicalitèr cognoſcibilem, & proponibilem voluntati.

Contra tamen eſt. Quia voluntas fertur in bonum ſub ea ratione ſub *qua*, quæ pertinet ad lineam appetibilis. Sed apprehenſibilitas radicalis pertinet ad lineam intelligibilem, & non ad lineam appetibilem: ergò apprehenſibilitas radicalis nequit eſſe ratio ſub qua. Min. docuit D. Thom. 1 *part. quæſt.* 80. *art.* 1. ubi ait: *Quod id, quod apprehenditur, & appetitur, eſt idem ſubjecto, differt tamen ratione. Apprehenditur enim ut eſt ens ſenſibile, vel intelligibile. Appetitur enim ut eſt conveniens, & bonum: diverſitas autem rationis in objectis ſufficit, & requiritur ad diverſitatem potentiarum*: ergò apprehenſibilitas radicalis pertinèt ad lineam intelligibilem; non verò ad lineam appetibilem.

Si autem quis dicat D. Thom. loqui de apprehenſione actuali, vel proxima, non tamen de radicali.

Contra eſt. Quia D. Thom. loquitur de apprehenſibilitate, quæ eſt eadem ſubjecto, id eſt, entitativè cum apprehenſibilitate. Sed hæc non eſt apprehenſio actualis, quæ ſemper diſtinguitur realitèr ab objecto. Nec proxima apprehenſibilitas, quæ realitèr, ut in plurimum ab objecto diſtinguitur: ergò non de his, ſed de apprehenſibilitate radicali loquitur Ang. Doct.

2. prob. concluſio. Variata eſſentialitèr ratione formali ſub qua finis, etiam actus voluntatis eſſentialitèr variatur. Sed in variato eſſentialitèr actu voluntatis variatur eſſentialitèr apprehenſio: ergò apprehenſio nequit eſſe ratio formalis ſub qua finalizandi. Prob. min. Actus charitatis viæ, & patriæ eſt unus: & idem unitate ſpecifica. Nam ut dicitur 1. ad Corinthi

nith. cap. 13. *Charitas nunquam excidit, nec evacuabitur.* Et tamen apprehenſio, & cognitio boni in via, & in patria ſpecificè diverſa eſt. Nam in via proponitur Deus per cognitionem obſcuram, & in patria per viſionem claram, quæ cognitiones eſſentialiter diſtinguuntur: ergò in variato eſſentialiter actu voluntatis, variatur eſſentialiter apprehenſio.

Reſp. contrarij. Cognitiones viæ, & patriæ eſſe tantum materialiter diſtinctas: & ita non poſſe diſtinguere actus voluntatis formaliter.

Sed contra eſt. Quia cognitio viæ obſcurè proponit objectum; cognitio verò patriæ clarè ipſum attingit. Sed cognitio clara, & obſcura ſunt formaliter diverſæ: ergò apprehenſiones illæ ſunt formaliter diſtinctæ.

2. Non poteſt idem habitus attingere veritates revelatas ſub revelatione clara, & revelatione obſcura: ergò non poterit idem habitus charitatis ſpecificè attingere ſuum objectum ſub propoſitione clara, & obſcura, ſi ſemel propoſitio, vel apprehenſio eſt ratio formalis ſub *qua*. Patet conſ. Ideò primum contingit: quia revelatio eſt ratio formalis ſub *qua*, reſpectu habitus fidei: ergò ſi propoſitio, vel apprehenſio eſt ratio formalis ſub qua non poterit idem habitus charitatis ſub apprehenſione clara, & obſcura, ſuum objectum attingere.

Reſpondebis. Apprehenſiones prædictas eſſe diſtinctas formaliter inter ſe; non tamen comparativè ad objectum voluntatis, & ad ipſam voluntatem: ſed potius in ordine ad objectum convenientiam ſpecificam habere. Et ita poſſe eundem habitum charitatis ſpecificè ſub una, & altera apprehenſione idem objectum attingere.

Sed contra eſt. Quia ſi prædictæ apprehenſiones formaliter diſtinctæ inter ſe habent ſpecificam convenientiam in ordine ad objectum, & ad ipſam voluntatem. Ideò erit, quia apprehenſiones iſtæ proponunt idem objectum, & ſub eadem ratione ſub qua comparativè ad habitum charitatis: ergò antecedenter ad prædictas apprehenſiones reperitur in objecto ratio ſub qua una, & eadem formaliter illius conſtitutiva. Et conſequenter ratio formalis ſub qua non erunt apprehenſiones aſsignatæ, ſed alia formalitas, quæ antecedenter ad illas in objecto reperitur.

*** *** ***

§. III.

§. III.

Tribus argumentis ocurritur.

COntra noſtram concl. arg. 1. Thomiſtæ oppoſitum defendentes ex doct. D. Thom. 1.*p.q.* 80. *artic.*2. ad dicentis: *Quod appetibili non accidit eſſe apprehenſum per ſenſum, vel intellectum, ſed per ſe ei convenit. Nam appetibile non movet appetitum niſi in quantum eſt apprehenſum. Undè differentiæ apprehenſi ſunt per ſe differentiæ appetibilis.* Et eandem doctrinam habet etiam Doct.Sanct.1.2.*q.*1.*art.*1. *ad* 1. *&* *art.*3.*ad* 2. *&* *q.*30. *artic.*3. *&* *q.*31. etiam *artic.*3. & pluribus alijs. Quæ omnia ſuadere videntur apprehenſionem eſſe rationem formalem ſub qua: & diverſas apprehenſiones eſſe per ſe differentias appetibilis. Quod non movet niſi in quantum apprehenſum. Sicut corpus non movet potentiam viſivam niſi in quantum lucidum eſt. Et propterea lux eſt ratio formalis ſub qua objecti conſtitutiva.

Ad hæc tamen facilè reſp. Eſſe apprehenſum per ſe convenire appetibili, perfeitate conditionis eſſentialitèr requiſitæ, ut bonum appetibile moveat voluntatem, & hoc quidem indicat illa reduplicatio, *in quantum eſt apprehenſum*: quæ quidem ſolùm denotat apprehenſionem tanquam conditionem requiri. Sicut dicitur, quod ignis non calefacit niſi in quantum applicatus: eo quod applicatio ignis, ad calefaciendum neceſſaria eſt.

Alia autem verba, quod differentiæ apprehenſi ſunt per ſe differentiæ appetibilis, intelligenda ſunt à poſteriori, vel ex conſequenti. Quia ex diverſitate apprehenſionis colligitur à poſteriori diverſitas appetibilis: ſicut ex diverſitate operationum colligitur à poſteriori diverſitas naturarum. Nunquam tamen apprehenſio eſt ipſa ratio formalis, qua conſtituitur finis, ſed ſolùm hoc habet bonitas ipſa, quæ ſub ratione convenientis movet, & terminat appetitum: & his conſonant ipſa verba D. Thom. Non enim aſſerit, quod differentiæ apprehenſionis, &c. ſed quod *differentiæ apprehenſi* ſunt differentiæ appetibilis, ut ita intelligeretur non ipſam apprehenſionem, ſed ipſam potius bonitatem apprehenſam eſſe differentiam ipſius rei appetibilis. Propterea que *q.*25. *de Verit. artic.* 1. *ad* 6. affirmat D. Thom. quod *diverſitas apprehenſionum per accidens ſe haberet ad vires appetitivas, niſi diverſitati apprehenſionum adjungeretur*: & eodem modo aliæ auctoritates explicandæ ſunt.

2.arg. Actus voluntatis diſtinguntur per apprehenſiones diver-

versas: ergò apprehensio est ratio formalis finalizandi. Prob. ant. Ex diverso actu intellectus infertur actus voluntatis essentialitèr distinctus: ergò actus voluntatis distinguntur per apprehensiones diversas. Prob. ant. Proportionabilitèr discurrendum est de potentijs, & de actibus illarum. Sed ex diverso essentialitèr intellectu infertur voluntas essentialitèr diversa, sicut 1 *part. art. q.* 19. *art.* 1. dicitur: ergò ex diverso actu intellectus infertur actus voluntatis essentialitèr distinctus.

Conf. Finis est causa finalis, quatenùs est prior ipso actu voluntatis, & illam ad operationem movet. Sed non est prior ratione suæ bonitatis; sed ratione apprehensionis. Nam finis solùm est prior intentione, in executione verò posterior est: ergò finis in ratione causæ finalis per apprehensionem constituitur.

2. Bonitas finis non est ratio sub qua finalizandi: ergò solùm est apprehensio. Prob. ant Ratio *quæ*, & ratio sub *qua* realitèr distingui debet. Sed bonitas est ratio *quæ*: ergò non est ratio sub *qua*.

Resp. ad arg. dist. ant Per diversas apprehensiones, tanquam per conditiones requisitas, & applicationes diversæ bonitatis: conc. ant. Tanquam per rationes formales: neg. ant. & conf. Et eodem modo dist. ant. probatio. Quia diversus essentialitèr actus intellectus regularitèr proponit bonitatem diversam formalitèr specificantem actum voluntatis. Formalitèr etiam per diversas apprehensiones, tanquam per conditiones, & applicationes bonitatis diversæ distinguuntur actus voluntatis: & eodem modo ex actu intellectus diverso infertur actus voluntatis distinctus: & ex diverso intellectu tanquam à principio dimanationis infertur diversa voluntas, quæ dimanat ab anima mediante intellectu, & per ipsum demonstratur.

Addimus non semper actum intellectus essentialitèr diversum inferre actum voluntatis essentialitèr distinctum. Quia idem actus charitatis specificè regulatur per cognitionem fidei, & per visionem beatam, quæ sunt actus intellectus essentialitèr distincti.

Ad 1. conf. resp. dist. min. Apprehensionis per modum conditionis: conc. min. Per modum rationis formalis: neg. mi. & cõs. Finis namque, ut causet operationem voluntatis, & sit prior operatione prædicta, requiritur. Quod sit apprehensus: hæc tamen apprehensio solùm est conditio, ut finis exerceat prioritatem, & causet in actu secundo. Ratio tamen formalis movendi, & causandi est bonitas ipsa finis, ratione cujus formalitèr mo-

movet, & formaliter prioritatem exercet.

Ad 2. conf. reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. maj. Diſtingui ratione ratiocinata: conc. maj. Realiter entitativè: neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Bonitas namque ſecundum integritatem rei in ſe ipſa ſecundum eſſentiam, & exiſtentiam, eſt ratio, quæ finalizat: & hæc eadem bonitas, quatenùs importat convenientiam ad voluntatem, eſt ratio ſub qua, cum ſola diſtinctione rationis. Nec inter rationem *quæ*, & ſub *qua* major diſtinctio requiritur. Inſtantia eſt in ratione entis, quæ eſt ratio *quæ* comparativè ad intellectum, & ratio veri eſt ratio ſub *qua*. Et tamen inter utramque formalitatem diſtinctio realis non eſt.

3. arg. Appetitus diſtinguitur formaliter penes apprehenſiones formaliter diverſas: ergò apprehenſio eſt ratio ſub qua finalizandi. Ant. prob. 1. Voluntas hominis, & Angeli eſſentialiter diſtinguuntur ſolùm penes apprehenſiones formaliter diverſas: Ergò appetitus diſtinguuntur formaliter penes apprehenſiones formaliter diſtinctas. Prob. ant. Bonum, quod eſt objectum voluntatis humanæ, & Angelicæ non eſt diverſum. Quia tàm voluntas hominis, quàm voluntas Angeli habet per objecto bonum abſtrahens à naturali, & ſupernaturali: ergò voluntates iſtæ ſolum differunt penes apprehenſiones formaliter diverſas.

2. prob. ant. Nam appetitus naturalis innatus, & appetitus elicitus eſſentialiter diſtinguuntur penes apprehenſiones diverſas formaliter: ergò verùm eſt ant. principale. Prob. ant. Appetitus innatus in eo diſtinguitur ab elicito, quod appetitus innatus non ſupponit cognitionem, appetitus verò elicitus illam ſupponit: ergò appetitus iſti differunt per apprehenſiones diverſas.

3. Actus ſpei, & charitatis diſtinguuntur per diverſas apprehenſiones: ergò idē quod priùs. Prob. ant. Idem bonum apprehenſum ut eſt in ſe ſpecificat charitatem: apprehenſum verò ut bonum noſtrum arduum, & futurum ſpecificat ſpem: ergò actus ſpei, & charitatis differunt per apprehenſiones diverſas.

4. Idem bonum apprehenſum, ut abſens, & ut præſens ſpecificat actus voluntatis eſſentialiter diſtinctos. Nam apprehenſum ut præſens cauſat gaudium; apprehenſum autem ut abſens cauſat deſiderium: qui actus eſſentialiter diſtinguuntur: ergò actus voluntatis differunt formaliter per apprehenſiones diverſas.

Reſp. ad arg. neg. duo antec. prima; & ad prob. diſt. ant. Non

eſt

eſt diverſum materialitèr: conced. ant. Formalitèr: neg. ant. & conſ. Licèt namque objectum voluntatis humanæ, & Angelicæ voluntatis ſit bonum abſtrahens à naturali, & ſupernaturali; non tamen eſt idem formalitèr comparativè ad utramque voluntatem. Eo quod voluntas humana non attingit tale bonum tanta perfectione, & immaterialitate, ſicut Angelus illud attingit. Et ita illud bonum in eſſe objecti eſt formalitèr diſtinctum, licèt ſit idem materialitèr, & in eſſe rei. Et per tale bonum ſic formalitèr diverſum diſtinguuntur voluntas humana, & Angelica voluntas: per apprehenſiones verò ſolùm differunt tanquam per conditiones diverſas.

Ad 2. prob. reſp. Quod appetitus innatus eſt determinatus ad unum bonum: elicitus verò eſt indifferens ad plura bona, vel formalitèr, vel ſaltim materiali indifferentia: quatenùs appetitus elicitus poteſt connaturalitèr tendere ad oppoſita bona in vi diſtincti judicij, vel duplicis neceſſarij. Et ideò appetitus iſti differunt formalitèr per ipſa bona appetitum terminantia: ſicut etiam appetitus rationalis, & appetitus ſenſitivus. Eo quod objectum appetitus rationalis eſt bonum abſtrahens à materiali, & immateriali: objectum verò appetitus ſenſitivi eſt bonum particulare, & ſenſibile.

Ad 3. Idem bonum divinum ut ſpecificat charitatem, & ſpem, eſſe diſtinctum formalitèr in eſſe objecti. Eo quod diverſa formalitèr bonitas correſponder ex parte objecti utrique virtuti: Bonitas videlicèt Divina, ut in ſe, & Bonitas Divina, ut bona nobis, vel ut bonum noſtrum. Sicut idem Deus quatenùs timetur, & colitur, formalitèr diverſus eſt: & ut Supremus Dominus terminat actum Religionis, & ut Judex terminat actum timoris. Et eadem propoſitio per diverſum medium attacta eſt formalitèr diſtincta.

Ad 4. diſt. ant. Idem bonum materialitèr: conc. ant. Formalitèr: neg. ant. & conſ. Bonum namque apprehenſum ut præſens, & ut abſens eſt formalitèr diverſum. Eo quod divetſam convenientiam dicit in ordine ad voluntatem bonum ut præſens, & bonum ut abſens. Nam bonum ut præſens eſt magis cum voluntate conjunctum: & per hæc bona ſic formalitèr diſtincta differunt actus voluntatis formalitèr; per apprehenſiones autem ſolùm differunt applicativè, tanquam per conditiones diverſum bonitatem proponentes, & applicantes.

Sed inſt. 1. Abſentia, vel præſentia boni provenit ex diverſi-

tate

tate apprehenſionis: ergò diverſitas inter actus voluntatis ad diverſam apprehenſionem reducitur.

2. Abſentia, vel præſentia ſunt modi accidentales, & accidentaliter convenientes bono, quod prætendit voluntas: ergò non ex hujuſmodi, ſed ex apprehenſione diverſa, oritur diſtinctio formalis inter actus voluntatis.

Reſp. ad 1. repl. Abſentiam, vel præſentiam effectivè, & applicativè provenire ex diverſa apprehenſione proponente, & repræſentante bonum, vel ut præſens, vel ut abſens; facta tamen tali repræſentatione, & propoſitione intellectus, ipſa bona per ſe ipſa formaliter diſtinguere inter actus voluntatis.

Ad 2. Modos præſentiæ, & abſentiæ eſſe accidentales reſpectu boni abſolutè conſiderati. Quia per tales modos bonum in ſe ipſo non variatur; eſſe tamen eſſentiales illos modos bono ut ſpecificanti, & terminanti appetitum voluntatis. Nam bonum ſub uno, & altero modo diverſam convenientiam importat.

Dices: Abſentia, vel præſentia ſunt modi accidentales reſpectu intellectus juxta opinionem probabilem; aſſerentem diviſionem notitiæ in intuitivam, & abſtractivam eſſe accidentalem: ergò etiam modi iſti erunt accidentales reſpectu objecti terminantis appetitum voluntatis.

Reſp. tamen neg. conſ. Quia voluntas tendit ab bonum, & ad rem prout in ſe, & à parte rei, & non abſtrahit ab exiſtentia, vel ab hic, & nunc. Et ideò eſſe præſens, vel abſens formaliter ſe habet comparativè ad voluntatem. Quia in re præſenti diverſam convenientiam invenit voluntas, quam non invenit in abſente: intellectus autem trahit res ad ſe, & abſtrahit ab hic, & nunc. Et ita comparativè ad intellectum, præſentia, vel abſentia materialiter ſe habet.

§. IV.

Cæteris argumentis occurritur.

QUarto arg. contra concluſ. noſtram. Per id conſtituitur cauſa finalis in ratione talis, per quod formaliter proportionatur cum voluntate. Sicut lux conſtituit formaliter objectum potentiæ viſivæ. Quia per lucem proportionatur objectum cum potentia viſiva. Et abſtractio in objecto ſcientiæ conſtituit formaliter objectum: quia per talem abſtractionem objectum cum ſcientia proportionatur. Sed bonum per apprehenſionem redditur proportionatum cum ipſa voluntate: ergò apprehenſio erit ratio formæ

malis ſpecificandi, & finalizandi appetitum voluntatis. Prob. min. 1. Apprehenſio unit finem cum voluntate: ergò finis per apprehenſionem redditur proportionatus. Quia ratio uniendi eſt ratio proportionandi.

2. Bonum, quod eſt voluntatis objectum, eſt bonum univerſale abſtrahens à ſpirituali, & materiali. Sed bonum redditur univerſale per apprehenſionem, vel operationem intellectus: ergò finis per apprehenſionem, redditur proportionatus.

3. Finis conſtituitur proportionatus cum voluntate per immaterialitatem. Quia per immaterialitatem diſtinguitur objectum voluntatis ab objecto appetitus ſenſitivi. Sed finis per apprehenſionem redditur immaterialis. Nam in re ſæpè numero finis eſt immerſus in materia: ſicut cibus, vel pecunia: ergò finis per apprehenſionem redditur proportionatus.

Reſp. neg. min. & ad 1. prob. diſt. ant. Unit applicativè, vel illuminativè: conc. ant. Formaliter: neg. ant. & conſ. Apprehenſio namque unit objectum cum voluntate applicativè, & illuminativè proponendo videlicèt objectum, ut à voluntate attingatur: non tamen apprehenſio unit objectum formaliter; ſed ratio formalis uniendi eſt bonitas ipſius objecti. Sicut forma ſemel applicata materiæ per ſe ipſam tanquam per rationem formalem cum ipſa materia unitur.

Dices: Quia ſpecies intelligibilis unit objectum cum potentia proportionata, & unit ipſum formaliter: ergò idem de apprehenſione dicendum.

Sed neg. conſ. Quia ſpecies intelligibilis eſt formalis ſimilitudo objecti, ipſumque continet in eſſe repræſentativo. Et ideò unit formaliter objectum cum potentia intellectiva. Rurſus etiam ſpecies eſt in eadem linea intelligibili cum objecto. Et ita mirùm non eſt, quod ipſum formaliter uniat. Apprehenſio verò non eſt in linea apperibili, in qua eſt objectum voluntatis. Et ideò diſpar eſt ratio.

Ad 2 prob. min. princip. reſp. diſt. maj. Univerſale negativè: conc. maj. Poſitivè: neg. maj. & diſt. min. Poſitivè: conc. min. Negativè: neg. min. & conſeq. Objectum namque voluntatis non eſt bonum univerſale poſitivè abſtractum ab inferioribus ſuis. Hoc enim fit per actionem intellectus. Sed eſt bonum univerſale negativè, id eſt, non determinatum ad bonum materiale, vel bonum immateriale, ſed ab utroque præſcindens in conceptu expreſſo boni. Eo quod nullum illorum explicat in ratione objecti formaliter, & hoc per apprehenſionem non habet.

2. Reſp. & clarius Objectum voluntatis eſſe bonum univerſale, univerſalitate tanquam conditione ſe habente: quapropter ex quo per apprehenſionem univerſale fiat, ſolùm ſequitur, apprehenſionem eſſe conditionem; non tamen eſſe rationem formalem.

Ad 3. prob. min. reſp. diſt. maj. Per immaterialitatem negativam: conc. maj. Poſitivam: neg. maj. & diſt. min. Immaterialis poſitivè: conc. min. Negativè: neg. min. & conſ. Quamvis namque finis fiat immaterialis poſitivè per apprehenſionem ex ſe tamen, & pro priori ad apprehenſionem eſt immaterialis negativè. Eo quod licèt bonitas finis ſit immerſa in materia in re per identitatem, formaliter tamen, & in eſſe objecti materialis non eſt. Nam objectum voluntatis nullam materiam in ſuo conceptu importat formaliter; ſed ſolum conceptum boni abſtrahentis negativè, vel non explicantis materiale, aut ſpirituale. Aliàs voluntas ſuprà entia materialia elevari non poſſet. Et per hanc immaterialitatem negativam, quam finis ex ſe habet independenter ab apprehenſione; redditur proportionatus formaliter cum potentia voluntatis. Et argumentum in contrarios retorquetur. Quia in eorum ſententia, eodem modo ſe habet apprehenſio reſpectu finis materialis, & finis immaterialis. Sed reſpectu finis immaterialis non eſt ratio proportionandi. Cum talis finis per ſe ipſum immaterialis, & proportionatus ſit: ergò hoc idem in ordine ad finem materialem dicendum eſt.

Sed inſt. Objectum voluntatis eſt bonum poſitivè immateriale. Sed hoc fit per apprehenſionem: ergò apprehenſio eſt ratio formalis proportionandi. Prob. maj. Objectum, & potentia debent proportionari inter ſe. Sed voluntas eſt potentia poſitivè immaterialis: ergò objectum voluntatis eſt bonum poſitivè immateriale.

Reſp. tamen. Proportionem inter objectum, & potentiam non debere eſſe omnimodam, & in eſſe entis. Alias ſicut voluntas eſt immaterialis immaterialitate appetitiva: ita ejus objectum eſſet appetitivum, & non appetibile. Proportio autem inter objectum, & potentiam debet eſſe in ratione objecti, & potentiæ, quæ ſufficienter, ſalvatur per immaterialitatem negativam. Quia ſi objectum in ſuo conceptu formali non importat materiam, potentia, quæ reſpicit ipſum prout ſic, poterit attingere immateriale. Et conſequenter erit potentia poſitivè immaterialis. Inſtantia eſt in objecto logicæ, quod in eſſe objecti proportionatur cum habi-

tu

bitu reali, cum quo in eſſe entis talem proportionem non habet.

Sed inſt. Potentia poſitivè immaterialis proportionari non poteſt niſi cum objecto poſitivè immateriali: ergo ſi voluntas eſt poſitivè immaterialis, eius objectum debet eſſe poſitivè immateriale. Prob. ant. 1. Quia intellectus eſt poſitivè immaterialis, habet objectum poſitivè immateriale: ergo potentia poſitivè immaterialis proportionari non poteſt niſi cum objecto poſitivè immateriali.

2. Quia ſenſus eſt poſitivè materialis exigit objectum poſitivè materiale, & cum hoc ſolo proportionem habet: ergo è contra potentia poſitivè immaterialis proportionari non poteſt niſi cum objecto poſitivè immateriali.

Reſp. neg. ant. & ad 1. prob. diſt. ant. Immaterialis apprehenſivè: conc. ant. Appetitivè: neg. ant. & conſ. Quia potentia immaterialis apprehenſiva: qualis eſt intellectus trahit res ad ſe. Nam intelligere, idem eſt, quod intus legere. Et cum unumquodque recipiatur ad modum recipientis. Indè fit, quod ſicut intellectus eſt potentia poſitivè immaterialis: ita objectum illius debet eſſe poſitivè immateriale. Potentia verò volitiva quærit bonum. Et bonum in rebus eſt. Et ita fertur ad res, prout ſunt in ſe: propterea que non exigit tantam immaterialitatem in objecto, ſicut habet ipſa potentia. Et inſtatur argumentum. Nam, quia intellectus eſt immaterialis poſitivè, ſolùm poteſt per reflexionem attingere ſingularia. Et tamen voluntas attingit ſingularia directè: ergo maiorem proportionem exigit intellectus cum objecto quantùm ad immaterialitatem, quam ipſa voluntas.

Ad 2. prob. ant. neg. conſ. Quia, ſi potentia eſt poſitivè materialis; ſuprà entia materialia elevari non poteſt. Et ita exigit objectum poſitivè materiale, ſicut potentia ſenſitiva: potentia verò poſitivè immaterialis entia materialia, & entia ſpiritualia attingere poteſt. Et ita objectum illius non debet eſſe poſitivè immateriale. Aliàs potentia non poſſet attingere materialia. Nec debet eſſe poſitivè materiale. Aliundè potentia non poſſet entia ſpiritualia attingere. Quapropter tale objectum debet eſſe immateriale negativè, & ab ente poſitivè materiali, & ſpirituali poſitivè præſcindere.

5. Arg. Per id finis terminat formalitèr actum voluntatis, per quod ex parte principij movet voluntatem ad actum. Sed movet ex parte principij voluntatē ad actum per apprehenſionem,

vel verbum: ergo etiam apprehenſio eſt ratio formalis terminandi, & finalizandi appetitum voluntatis. Prob. min. Verbum in creatis concurrit efficienter ut quo ad amorem creatum: ergo finis mediante apprehenſione, vel Verbo movet ex parte principij. Ant. prob. Nam ideò 1. p. q. 36. art. 2. probat D. Thom. amorem Divinum notionalem procedere à Verbo: quia etiam in creatis amor à Verbo procedit: ergo Verbum in creatis concurrit efficienter ut quo ad amorem creatum.

Reſp. 1. Verbum in Divinis efficienter concurrere ad productionem amoris, non tamen in creatis. Quia in Divinis Verbum accipit à Patre eandem virtutem ſpirativam, quam ipſe Pater habet. Et ideò conſtituit cum Patre unum principium ſpirativum amoris: Verbum autem in creatis non accipit eandem naturam intelligentiæ, nec eandem voluntatem. Et ita non concurrit efficienter ad amorem. Nec Ang. Doct. probat amorem Divinum effecti è à Verbo procedere: quia amor creatus effectivè procedat à Verbo; ſed quia amor in creatis aliquo modo à Verbo procedit, videlicèt regulativè, & illuminativè. Undè colligit, quod in Divinis amor procedit à Verbo modo debito, & poſsibili. Et quia Verbum habens eandem naturam cum Patre poteſt efficienter producere amorem. Propterea infert D. Thom. quod amor in Divinis efficienter à Verbo procedit.

2. Reſp. Admittendo ſententiam probabilem aliquorum cum Cajetano, videlicèt apprehenſionem, vel Verbum efficienter ad amorem creatum concurrere. Iuxta quam ſententiam diſt. min. Ex parte principij formaliter: conc. mai. Effecti è: neg. mai. & diſt. min. Movet effectivè: conc. min. Formaliter: neg. min. & conſ. In illa namque ſententia apprehenſio, vel Verbum ſolum efficienter concurrit ad amorem ex parte principij: formaliter verò determinativè, & motivè ſolùm concurrit bonitas ipſa finis. Et ita hæc ſola terminat formaliter, & finalizat appetitum voluntatis.

6. Arg. Quamvis apprehenſio ſit de linea intellectus, poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiva objecti voluntatis: ergo poteſt eſſe ratio formalis finalizandi. Prob. ant. Forma de linea volitiva poteſt eſſe ratio formalis conſtituti a objecti pertinentis ad intellectum. Ut patet in Divina veracitate, quæ eſt virtus de linea volitiva. Et tamen eſt ratio formalis ſpecificativa habitus fidei, & conſtitutiva objecti credibilis: ergo pariter quamvis apprehenſio

ſio ſit de linea intellectiva, poterit eſſe ratio formalis conſtitutiva objecti pertinentis ad voluntatem.

Conf. Idæa eſt cauſa finalis reſpectu artefacti, ut communitèr dicitur, & tamen idæa per apprehenſionem conſtituitur: ergo etiam finis conſtituendus eſt per apprehenſionem.

Conf. 2. & eadem doctrina explicatur. Quia ſicut finis proponitur conſequendus. Ita idæa proponitur ut imitanda. Sed idæa conſtituitur per eſſe apprehenſum, vel eſſe in verbo: ergo etiam finis.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. neg. conſ. Quia veracitas ut loquens, & revelans conſtituit objectum revelatum, & dictum, & conſequentèr credibile. Etſi veracitas Divina eſt, conſtituit objectum revelatum, & dictum per conformitatem ad mentem Divinam, quæ non poteſt in attingentia rerum falli, & ita conſtituit objectum credibile per fidem omninò firmam. Undè quæcumque veracitas communicat objecto ſpecialem veritatem formalitèr in eſſe objecti. Eo quod reddit ipſum credibile, & attingibile per medium extrinſecum. Ac proindè mirùm non eſt, quod ſit ratio formalis obiecti pertinentis ad intellectum. Propoſitio verò, vel apprehenſio objecti non dat objecto bonitatem; ſed bonitatem exiſtentem in objecto proponit voluntati. Et propterea nequit eſſe ratio formalis objecti ad voluntatem pertinentis.

Hæc tamen doctrina intelligenda eſt de apprehenſione comparativè ad bonitatem, quam proponit; non tamen de apprehenſione conſiderata formalitèr objectivè in ſe ipſa. Sic enim poteſt ad voluntatem pertinere. Nam voluntas poteſt amare ipſam cognitionem intellectus ratione propriæ bonitatis, quam in ſe ipſa habet.

Ad 1. conf. neg. min. quam licèt plurimi Thomiſtæ concedant, & de hoc puncto in diſtinctè loquantur, ipſam tamen negat Ang. Doct. 1. p. q. 15. art. 2. ut quiſque videre poterit.

2. Reſp. Quod quando finis identificatur cum apprehenſione ipſa, vel verbo: id eſt, quando ipſum verbum eſt ipſe finis, tunc finis cum apprehenſione identificatur realitèr: & ita in idæa contingit. Nos tamen in præſenti loquimur de fine realitèr ab apprenſione diverſo: & ipſum conſtituit per apprehenſionem negamus. Nam in hoc eventu regulari apprehenſio ſolùm habet proponere finem; non tamen conſtituere ipſum.

Ad 2. conf. reſp. Aliqui non valere conſ. Quia finis proponitur ut conſequendus. Non eſt autem conſequendus prout in ap-

prehenſione, ſed prout in ſe, & à parte rei. Quod quidem competit illi ratione propriæ bonitatis, & non ratione apprehenſionis. Exemplar verò, vel idæa proponitur, ut imitanda. Non eſt autem imitanda ſecundum eſſe reale. Quia ſic potius imitatur, & fit: & nihil poteſt imitare ſe ipſum. Undè idæa ſolùm proponitur imitanda ſecundum eſſe apprehenſum. Proindeque per tale eſſe conſtituenda eſt.

Dices: Idem finis prout in apprehenſione poteſt finalizare ſe ipſum prout in executione: ergo idæa prout in re poterit imitari ſe ipſam prout inapprehenſione exiſtentem.

Sed reſp. neg. ant. Quia finis nunquam finalizat ſe ipſum prout in re exiſtentem, ſed ſolùm finalizat media, & operationes, quibus ipſe finis conſequitur.

Hæc probabilia ſunt. Alitèr tamen reſp. neg. min. Quia idæa non conſtituitur per eſſe in verbo vel per apprehenſionem, apprehenſione ſe habente ut ratione formali, ſed ſolùm ut conditione. Ratio namque formalis idææ conſtitutiva eſt reſpectus rationis ad idçatum ſubſtractum verò eſt ipſa res imitabilis: vel in aliorum ſententia, ipſa res ut imitabilis eſt ipſa ratio formalis idææ reſpectu rationis ſe habente ut complemento. Quapropter apprehenſio comparative ad idæam ſemper eſt ſola conditio. Undè eodem modo de fine, & idæa diſcurrimus.

Ultimo arg. Apprehenſio poteſt conſtituere objectum in ratione appetibilis: ergo poteſt eſſe ratio formalis finalizandi. Prob. ant. obiectum malum in re, ſi apprehendatur ut bonum, fit appetibile à voluntate; v. gr. occidere ſe ipſum, quod in re bonum non eſt, & à pluribus amatur. Quia ab illis apprehenditur, ut bonum: ergo apprehenſio poteſt conſtituere objectum in ratione appetibilis.

Reſp. diſt. ant. Applicativè: conc. ant. Formalitèr: neg. ant. & conſ. Objectum namque, quod in re bonum non eſt, ſicut occidere ſe ipſum, non conſtituitur bonum per apprehenſionem intellectus formalitèr: ſed ſolùm applicativè, quatenùs intellectus, applicat illi bonitatem, quando illud apprehendit ut bonum: & hæc bonitas ſic applicata eſt ratio formalis movendi, & finalizandi.

Sed inſt. Ratio formalis finalizandi non eſt bonitas applicata: ergo ſolum eſt apprehenſio. Prob. ant. Cauſa finalis, utpotè vera cauſa realis, conſtitui debet per aliquid reale in ratione finalizantis, & moventis realitèr. Sed bonitas illi objecto applicata realis non eſt: ergo non poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiva finis in ratione finalizantis.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. min. Quia bonitas illa objecto applicata realis eſt, licèt verè, & realitèr non conveniat objecto. Undè fictio non conſiſtit in eo, quod bonitas ficta ſit: hoc enim falſum eſt; ſed in eo quod intellectus tribuat bonitatem realem objecto, cui realitèr non convenit bonitas. Et ideò attributio, vel applicatio talis bonitatis eſt ficta; bonitas verò applicata realis eſt. Inſtantia eſt in contrariorum ſententia. Nam in eorum doctrina bonitas eſt ratio, quæ finalizandi. Sed ratio, quæ finis debet eſſe realis: ergo bonitas illi objecto applicata realis eſt.

Sed inſt. Quando unio, & applicatio bonitatis eſt ficta, bonum in concreto reſultans ex prædicta bonitate eſt aliquid rationis. Sicut quamvis extrema montis aurei ſint realia: quia tamen unio extremorum ficta eſt, mons aureus eſt etiam aliquid rationis. Sed finis debet eſſe aliquid reale: ergo non poteſt per bonitatem ficte applicatam conſtitui.

Reſp. diſt. mai. Aliquid rationis quantum ad unionem bonitatis cum objecto: conc. mai. Quantum ad formam unitam: neg. mai. & diſt. min. Reale quantum ad formam: conc. min. Quantum ad unionem formæ: neg. min. & conſ. Licèt namque forma, quæ eſt ratio formalis movendi voluntatem, debeat eſſe realis; neceſſarium tamen non eſt, quod concretum formaliter, & reduplicativè, ſeu quantum ad unionem, ſit aliquid reale. Cuius ea eſt ratio. Quod actus voluntatis ſequitur formam apprehenſam. Undè forma, quæ apprehenditur eſſe in objecto, quantum ad movere voluntatem eodem modo ſe habet, ac ſi revera eſſet in illo.

Sed inſt. Quando concretum eſt aliquid rationis; cauſalitas illius non poteſt eſſe realis. Quia cauſalitas conſequitur ad entitatem concreti. Operari namque ſequitur ad eſſe. Sed concretum reſultans ex prædicta bonitate applicata eſt aliquid rationis: ergo nequit eſſe cauſa realis.

Sed neg. mai. Quia cauſalitas ſequitur ad entitatem ratione formæ. Cumque forma, vel bonitas applicata realis ſit in caſu argumenti. Indè fit cauſalitatem eſſe realem.

Dices: Cauſalitas ſequitur ad entitatem ratione formæ ut unitæ cum ſubjecto. Sed unio hæc ficta eſt: ergo cauſalitas non poteſt eſſe realis.

Reſp. diſt. mai. Unione ſe habente ut ratione formali cauſandi: neg. mai. Ut conditione ad cauſandum: conc. mai. & min. & neg. conſeq. Quia licèt cauſalitas ſequatur ad formam, vel ad bo-

bonitatem ſupra dictam ut unitam cum ſubjecto non tamen ipſa unio eſt ratio formalis cauſandi, ſed ſolùm ut conditio ſe habet: ratio verò formalis eſt ipſa bonitas, quæ verè realis eſt. & conſequenter cauſalitas erit realis.

Sed inſt. Si unio illa ficta eſt, complexum illud erit bonum apparentèr, & non verè: ergo ſolùm apparentèr, & non verè erit cauſa realis.

Reſp. neg. conſ. Quia cauſalitas finis non ſequitur ad entitatem prout in re, ſed ad illam, ut apprehenſam: & illam prout ſic denominat. Unde ad veram cauſalitatem finis neceſſe non eſt, quod bonitas in re ſit in objecto; ſed ſufficit, quod apprehendatur in illo. Conſequentèrque bonum apparens, quamvis verè bonitatem non habeat, ſi tamen cum illa apprehenditur, ratione bonitatis realis apprehenſæ, & applicatæ eſt vera cauſa finalis, & veram cauſalitatem exercet.

Ex dictis colligitur quod licèt apprehenſio formaliter ut talis non ſit ratio formalis objecti appetibilis, apprehenſio tamen conſiderata ſub ratione boni, poteſt eſſe ratio formalis objecti. Nam cum quis deſiderat intelligere, intellectio deſiderata materialiter, & in eſſe rei eſt in linea intellectiva; formaliter tamen ut volita eſt in linea boni, & appetibilis, & propterea in Patria de ipſa etiam Viſione Beatifica datur delectatio, & fruitio, & hæc de art. iſto text. 31. ad Phil. applicanda.

ARTICULUS II.

Quædam ſit cauſalitas finis?

§. I.

Senſus difficultas apparitur, & reijcitur quædam ſententia Thomiſtarum.

COnſtat ex dictis antecedentèr cauſam finalem in actu primo conſtituit per ſuam intrinſecam bonitatem: ſicut cauſam efficientem per intrinſecam virtutem conſtitui. Modo tamen difficultas eſt, per quid finis in actu ſecundo cauſet, vel quæ nam ſit cauſalitas, per quam finis de actu primo reducitur ad ſecundum. In qua parte aliqui Thomiſtæ, quos 1. p. q. 1. art. 2. refert, & ſequitur Monteſinos, aſſerunt cauſalitatem finis conſiſtere in ipſo actu voluntatis, ſecundum quod talis actus propter finem eſt, & à fine dependet.

Hæc tamen ſententia reijcitur 1. Nam teſte Ariſt. in præſenti cauſalitas finis conſiſtit in motione quadam metaphorica, qua finis movet, & excitat voluntatem. Sed actus voluntatis

tatis motio metaphorica non eſt; ſed phyſicè efficienter procedit ab intrinſeco voluntatis: ergò cauſalitas finis non poteſt in actu voluntatis conſiſtere.

2. Quia cauſæ diverſæ debent habere diverſas cauſalitatis. Sed actus voluntatis eſt cauſalitas ipſius voluntatis in genere cauſæ efficientis: ergo non poteſt eſſe cauſalitas finis.

3. Effectus cauſæ non poteſt eſſe illius cauſalitas. Nam cauſalitas eſt fieri effectus. Et conſequenter debet ab effectu diſtingui. Sed actus voluntatis eſt effectus cauſæ finalis. Siquidem voluntas elicit talem actum. Quia movetur à fine: ergò actus voluntatis non poteſt eſſe finis cauſalitas.

Reſp. contrarij Thomiſtæ. Quod idem actus voluntatis, quatenùs à voluntate procedit eſt cauſalitas illius; ut tamen eſt propter finem, & à fine dependet, eſt cauſalitas finis.

Hæc tamen ſolutio reicitur. Quia cauſalitas finis debet eſſe prior cauſalitate voluntatis. Nam finis priùs movet voluntatem, quam ipſa voluntas agat aliquid, & cauſet. Sed actus voluntatis ſub nulla formalitate eſt prior, quam cauſalitas voluntatis: ergo nullo modo poteſt eſſe cauſalitas finis. Prob. min. Actus voluntatis ſecundum nullam formalitatem intelligi poteſt, uſque dum intelligatur efficienter à voluntate procedens. Sed quando ſic intelligitur iam intelligitur etiam ut cauſalitas voluntatis: ergo ſub nulla formalitate poteſt intelligi prior, quam cauſalitas voluntatis.

Ex doctrina iſta manifeſtum ſit, quod ſit dicendum ad aliqua exempla, quibus utuntur contrarij de modo unionis, & actione cauſæ ſecundæ. De modo quidem unionis. Quia iſte, ut ſe tenet ex parte materiæ, eſt prior ſe ipſo, ut ſe tenet ex parte formæ. Et ut ſe tenet ex parte formæ eſt etiam prior ſe ipſo, ut ſe tenet ex parte materiæ. Sicut materia, & forma ad invicem ſe præcedunt in diverſo genere cauſæ. Undè idem modus unionis in illa ſententia, ſecundum diverſam conſiderationem prior, & poſterior eſt. Oppoſitum autem in actu voluntatis contingit, qui ſecundum nullam formalitatem poteſt antecedere cauſalitatem voluntatis. Eo quod nulla eſt in ipſo formalitas differentialis, quæ non ſit ab intrinſeco voluntatis, & cauſalitas ipſius. De operatione verò cauſæ ſecundæ negamus eſſe Divinam cauſalitatem, & ſolùm concedimus eſſe effectum cauſalitatis Divinæ. Nam Deus non poteſt ad extra operari per actionem formaliter tranſeuntem, & his prælibatis.

Conſtanter defendimus cauſalitatem finis completè, & perfectè conſiſtere in quandam motione metaphorica, qua finis movet, & excitat voluntatem, & hæc eſt ſententia D. Thom. q. 22. de verit. art. 2. & de pot. art. 1.

Prob. ſententia iſta ratione: Illa eſt cauſalitas finis, qua finis ſuum producit effectum. Sed finis media motione voluntatis ſuum producit effectum: ergo cauſalitas finis in hac motione conſiſtit. Prob. min. Effectus finis eſt ipſe actus voluntatis, & alia, quæ ad iſtum actum ſequuntur. Sed finis cauſat actum voluntatis movendo voluntatem. Siquidem voluntas ideò prorrum it in actum: quia movetur à fine: ergo finis mediante tali motione, producit ſuum effectum.

Addimus cauſalitatem finis mediare inter finem, & illius effectum. Sed inter finem, & effectum illius, qui eſt ipſe actus voluntatis, ſolum mediare poteſt motio, & excitatio interior voluntatis à fine: ergo in motione iſta cauſalitas finis conſiſtit.

§. II.

Argumentis occurritur.

ARg. 1. ex D. Thom. q. 22. de verit. art. 2. in corp. *Quod ſicut influere cauſæ efficientis eſt agere; ita influere cauſæ finalis eſt appeti, & deſiderari.* Sed appeti, & deſiderari fit per actum voluntatis: ergo cauſalitas finis in actu voluntatis conſiſtit.

Conf. Finis per actum voluntatis reducitur de actu primo ad ſecundum: ergo cauſalitas finis in actu voluntatis conſiſtit. Prob. ant. Finis conſtituitur in actu primo per eſſe appetibile. Sed eſſe appetibile reducitur ad actum ſecundum per hoc, quod actualiter appetatur: ergo finis per actum voluntatis reducitur de actu primo ad ſecundum.

Reſp. ad arg. D. Thom. loqui de influxu, & cauſalitate finis terminativè accepta; non tamen ſumpta formaliter. Cauſalitas namque finis, cum conſiſtat in motione voluntatis difficillimè cognoſcitur. Et ideò D. Thom. explicavit illam per ſuum terminum, vel effectum, qui eſt actus voluntatis, quo finis in actu ſecundo appetitur, & amatur.

Dices: D. Thom. eodem modo loquitur de cauſa efficiente, & de cauſa finali, ut conſtat ex illa particula *ſicut*. Sed non loquitur de cauſalitate cauſæ efficientis ſumpta terminativè; ſed de illa ſumpta formaliter: ergo in eodem ſenſu loquitur de cauſalitate finis.

Reſp. neg. mai. Quia particula *ſicut* in verbis D. Thom. conten-

tenta, non denotat omnimodam, ſed ſolùm aliquam paritatem.

2. Poterat dici: Cauſalitatem finis eſſe appeti, & deſiderari intitativè. Quia quando voluntas movetur à fine, in ipſa motione voluntatis, quæ eſt cauſalitas finis, initiatur actus voluntatis, & amor ipſius finis, & ita eſſe D. Thom. intelligendum.

Ad conf. reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. ma. Per eſſe appetibile, ut motivum appetitus: conc. mai. Ut terminativum illius neg. mai. Et ſub eadem diſt. min. neg. conſ. Finis namque conſtituitur in actu primo per apprehenſibilitatem, non quidem ut potentem terminare amorem, ſed ut potentem ad amorem movere: appetibilitas verò ut potens ad amorem movere reducitur de actu primo ad ſecundum per motionem actualem.

2. Arg. Cauſa quando actualitèr cauſat, aliter realitèr ſe habèt, ac antea, ſed finis per motionem voluntatis non alitèr realitèr ſe habet, quia motio metaphorica nihil reale addit ſupra bonitatem finis: ergo non conſtituitur finis in ratione cauſantis in actu ſecundo per motionem actualem.

Conf. Non poteſt finis identificare ſecum ſuam cauſalitatem. Sed motio metaphorica realitèr identificatur cum fine. Eo quod metaphorica motio nihil aliud eſt, quam ipſa bonitas finis, ut alliciens voluntatem: ergo prædicta motio nequit eſſe cauſalitas finis. Min. cum conſ. tenet, & prob. mai. Ex identitate finis cum cauſalitate ſequitur infinitas. Nam cauſalitas finis eſt ultima actualitas illius: & identificare ultimam actualitatem arguit infinitatem. Sed finis creatus non poteſt eſſe infinitus: ergo identificare non poteſt ſuam cauſalitatem.

Reſp. ad arg. Quod finis dum cauſat, non alitèr realitèr ſe habet intrinſecè, & quantum ad rectum. Quia nihil intrinſecum de novo ſuperadditur illi. Extrinſecè tamen alitèr ſe habet realitèr ratione cognitionis, quam connotat, & voluntatis, quam movet. Sicut materia dum cauſat, non ſe habet alitèr realitèr quantum ad intrinſecam entitatem ſed ſolùm quantum ad connotatum: quatenus videlicèt connotat actionem agentis applicantis materiam, & ipſam formam, quam recipit de novo inſtantia eſt in contrariorum ſententia, in qua actus voluntatis eſt cauſalitas ipſius finis. Et tamen finis per actum voluntatis non alitèr realitèr ſe habet intrinſecè. Cum illum intrinſecè non recipiat. Idem ergo erit in noſtra ſententia dicendum.

Ad conf. verò reſp. Quod ex identitate cum ultima actuali-

tate

tate ſequitur infinitas, quandò ultima actualitas ex conceptu formali dicit poſitivè perfectionem, & imperfectionem non permittit in illo, ſed ſolùm in conceptu materiali. Sicut contingit in operatione cauſæ efficientis, & exiſtentia creata. Cauſalitas verò finis ex conceptu formali, & communi non dicit poſitivè perfectionem, ſed imperfectionem permittit quam imperfectionem habet ipſe finis creatus, & cauſalitas illius. Eo quod cauſalitas finis creati non procedit ab illo, ut habente veram exiſtentiam, ſed ab illo quatenùs in apprehenſione exiſtit: qui modus cauſandi imperfectionem importat. Et ideò Deus pro fine creato ſubſiſtituere non poteſt, ſicut etiam ſubſtituere nequit pro objecto præſenti creato, à quo notitia intuitiva eſſentialiter dependet.

3. Arg. Cauſalitas non poteſt abſque effectu reperiri. Eo quod cauſalitas eſt fieri ipſius effectus. Sed motio, & excitatio voluntatis poteſt dari abſque actu voluntatis, qui eſt effectus finis. Siquidem poſita tali motione, manet voluntas libera, & poteſt non elicere actum: ergo prædicta motio non eſt cauſalitas finis.

Reſp. tamen. Cauſalitatem finis nunquam reperiri ſine effectu. Quia ſemper ad motionem metaphoricam ſequitur ſaltim aliquis actus ineffica x in ipſa voluntate, qui quædam velleitas nominatur.

2. Reſp. alij. Ad motionem prædictam ſemper conſequi in ipſa voluntate quandam inclinationem, quæ eſt primus effectus finis.

3. Et melius reſp. Quod quando effectus cauſalitatis dependet ab aliqua cauſa libera, poteſt cauſalitas abſque effectu reperiri. Eo quod poſita tali cauſalitate, adhuc cauſa libera poteſt non ponere effectum. Cumque actus voluntatis dependeat à libera voluntate. Indè ſit, cauſalitatem finis poſſe ſine tali actu reperiri.

Dices: Fieri effectus non poteſt eſſe abſque effectu. Sed cauſalitas finis eſt fieri ſui effectus: ergo nunquam poteſt ſine effectu reperiri.

2. Dices: Cauſalitas finis habet ſaltim connexionem naturalem cum effectu: ergo nunquam poteſt ſine effectu reperiri.

Reſp. ad 1. diſt. mai. Fieri verùm, & proprium: conc. mai. Fieri motivum: neg. mai. Et ſub eadem diſt. min. neg. conſ. Fieri namque verùm, & proprium effectus, quod per ſe ipſum eſt productio, & formaliter dat eſſe dependenter ab alia cauſa eliciente, non poteſt abſque effectu reperiri; fieri verò effectus, quod eſt cauſalitas finis non

non eſt huiuſmodi, ſed potius eſt fieri effectus movendo voluntatem ipſam, vt libere actum eliciat, & ita cum voluntas poſſit non elicere actum, poteſt tale fieri motivum voluntatis ad actum ſine effectu reperiri.

A 2. reſp. diſt. a: . Connexionem exigentiæ: conc. ant. Connexionem actualis conuenientiæ: neg. ant. & conſ. Licèt namque cauſalitas finis ſemper exigat actum aliquem voluntatis; poteſt tamen de facto ſine illo reperiri. Eo quod actus pendet à libera voluntate, quæ poteſt non ponere actum. Sicut affirmant aliqui de ente rationis, quod ſemper exigit proprietates, poteſt tamen reperiri ſine illis. Eo quod proprietates fiunt per actum intellectus, ſupponentis voluntatem liberè applicantem ad proprietates fingendas.

Ex dictis colligitur finem per ſuam motionem nihil reale intrinſecum imprimere voluntati. Hoc enim eſt proprium cauſæ efficientis, quæ verè, & per phyſicum contactum influit in proprium effectum; non tamen competit fini, qui ſolum metaphorica motione movet per quandam ſympatiam cum ipſa voluntate. Nam voluntas habet propenſionem in bonum. Et ita quando bonum illi proponitur, movetur ſtatim ad amorem illius: quæ quidem motio metaphorica, & intentionalis, eſt vera, & realis in cauſando, & etiam phyſica: id eſt, non moralis. Dicitur tamen motio metaphorica per ſimilitudinem, & metaphoram ad motionem cauſæ efficientis procedentem ab illa, quatenùs exiſtit in re, & per veram, & realem egreſionem, ſicut floriditas, & amœnitas prati, quæ lætificat hominem aſpicientem dicitur riſus metaphoricè per ſimilitudinem ad verùm hominis riſum, quo lætitia cordis oſtenditur. Et hæc de art. iſto, & 2. lib. Phyſic. cum art. præcedenti ad Phil. applicanda.

LIBER TERTIUS PHYSICORUM.

PHYLOSOPHI accutiſsimus intellectus, profunditate elevatus, elevatione profundus, dignitate intelligentiæ admirandus, & admiratione dignus paſsionem notiſsimam, & communem entis mobilis in hoc tertio libro explicandam aggreditur, & diffinire connatur proprietatem quidem communem, videlicèt motum: qui omnibus bellum cruentiſsimum dicit, omnibus certamina movet, dum ipſa quietem deſiderant. Et motus inquietudinem amat: quies regnare tentat. Et motus cum quiete pugnat, & audacia plenus gloriatus omnia ſub illius pede eſſe ponenda vago, & ſuo ſimul colla domanda iugo. Ipſe namque perundarum guttas, flores, & gramina cuncta, arborum ramos, ſtellas, & omnes ariſtas, per dubios pelagi fluctus, per ſaxa, per hoſtes, per orbem terræ, necnon, & æquora Ponti fugit inquietus, & ipſa quatit aera totus. Ad cuius velocitatem inſequendam, & naturam ſuperandam aſſiſtat nobis Cœli prodigium totius mundi portentum, Eccleſiaſtici fulmen Altaris, & lumen honoris. Sanctiſsimus Thom. cuius nomen lætitia eſt Cœlo, ſemper venerabile mundo: cuiuſque doctrina ſecuta via eſt cuiuſcumque ſapientis, diſpoſitione tonantis. Quo duce non timet vultus Philoſophia minaces; ſed potius excuſo læta pavore canit. Cum quo ſit.

QUÆSTIO I.

De Motu, Actione, & Paſsione.

ARTICULUS I.

Quibus competat diffinitio motus.

§. I.

Motus diffinitio proponitur.

MOtus in communi, ex his, quæ Ariſt. docuit in c. 1. in hoc libro, communitèr diffinitur: *Actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia.* In qua prima particula ponitur loco generis. Quia in ratione actus convenit motus cum quacumque altera forma. Alia verò particula entis in potentia explicat ſubjectum motus, videlicèt mobile, quod erat in potentia ad motum. Per ultimam denique particulam *ſecundum quod in potentia* diſtinguitur motus ab omni alia forma. Nam motus talitèr actuat ſubjectum mobile, quod illud relinquit in potentia ad ipſum terminum motus, quod aliæ formæ non habent.

Hæc omnia explicantur exemplo lapidis, qui antequam moveretur, erat in potentia ad motum. Et ideò motus lapidis eſt actus entis, quod prius erat in potentia; quando verò lapis movetur, iam non eſt in potentia ad ipſam motum: in potentia tamen eſt ad ipſum terminum motus. Eo quod motus eſt fieri termini, & illius conſequutio. Et ita actuat lapidem talitèr quod ex modo actuandi relinquit ipſum in potentia ad terminum conſequendum.

Sed inſt. Motus non eſt diffinibilis: ergo non recte diffinitur. Prob. ant. Motus non habet eſſentiam determinatam. Siquidem non pertinet directè ad aliquod prædicamentum, & per omnia divagatur: ergo diffinibilis non eſt.

Reſp. motum directè non pertinere ad aliquod prædicamentum, non tamen hoc provenire, ex quo non habeat determinatam eſſentiam (quod quidem falſum eſt, cum habeat propriam ſpeciem, per quam conſtituitur in ſe ipſo, & diſtinguitur à quolibet alio) ſed hoc provenire, ex quo motus eſt aliquid incompletum. Et ita non pertinet ad aliquod prædicamentum directe, ſed potius inter poſt prædicamenta numeratur. Inſtantia eſt in analogis, & æquivocis, quæ verè diffiniuntur. Et tamen directè ad aliquod prædicamentum non pertinent.

Dices: Solùm ens completum eſt verè diffinibile. Sed motus eſt aliquid incompletum: ergo verè diffiniri non poteſt.

Reſp.

Reſp. Ens incompletum verè poſſe diffiniri. Siquidem verè conſtat ex prædicato communi, & ex vera differentia; quod ad veram diffinitionem ſufficit; quamvis non poſsit ens incompletum diffiniri diffinitione ita propria, qua diffinitur ens completum.

Secundo inſtabis. Per illam particulam *ſecundum quod in potentia* ſignificatur ſubjectum eſſe in potentia ad ipſum terminum motus. Sed hoc idem ſignificatur per aliam particulam *entis in potentia*: ergo idem ſignificatur per utramque, & conſequentèr aliqua ſuperflua erit.

Reſp. neg. min. Quia per illam particulam *entis in potentia* ſolùm ſignificatur ſubjectum mobile eſſe in potentia ad ipſum motum; non tamen ad terminum motus.

Sed contra, ſubjectum eſſe in potentia ad motum non eſt de ratione mobilis. Quia cor nunquam eſt in potentia ad ſuum motum, ſed ſemper in actu movetur: ergo per illam particulam *entis in potentia* ſignificari non debet ſubjectum eſſe in potentia ad motum, ſed potius ad ipſum terminum motus.

Reſp. Quod cor non eſt in potentia diviſionis, & carentiæ phyſicæ ad motum; eſt tamen in potentia metaphyſica ad ipſum, quatenùs eſt principium illius: & ipſe motus de eſſentia cordis non eſt. Sicut Sol eſt in potentia metaphyſica ad lucem. Quia licèt nunquam ſit ſine luce, ipſa tamen lux de eſſentia Solis non eſt. Undè per illam particulam *entis in potentia* ſignificatur ſubjectum motus eſſe in potentia phyſica, vel metaphyſica ad motum.

Tertiò inſtabis: Diffinitio motus convenit alijs formis, tàm ſubſtantialibus, quàm accidentalibus: ergo convenit alijs à diffinitio, & conſequentèr bona non eſt. Prob. ant. Quia calor ut quatuor relinquit ſubjectum in potentia ad calorem ut quinque: forma embrionis relinquit materiam in potentia ad formam hominis: ergo diffinitio motus competit alijs formis.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. Per modum formæ imperfectæ, quatenùs una forma imperfecta ordinatur ad perfectam: conc. ant. Per modum viæ, & tanquam fieri ipſius termini, ad quem ſubjectum relinquitur in potentia: neg. ant. & conſeq. Quia eſſe viam, & tendentiam. & tali modo actuare ſubjectum per modum fieri termini, & ipſum relinquendo in potentia ad terminum ipſum, eſt propria natura motus, & nulli alteri convenit.

Ad punctum: ergo difficultatis veniendo ſupponimus motum poſſe accipi pro motu ſucceſsivo habente partes priores,

&

& poſteriores, quarum una alteri ſuccedit, qualis eſt motus localis, & motus alterationis: in quo motu ſimul non eſt fieri termini, & illius factum eſſe, & ita ex vi illius relinquitur ſubjectum in potentia ad ipſum terminum motus. Proindeque motui prædicto verè competit aſſignata diffinitio.

Poteſt inſuper accipi motus pro quacumque mutatione inſtantanea, in qua ſimul eſt fieri termini, & illius factum eſſe. Quæ quidem eſt in multiplici differentia. Alia namque eſt intentionalis purè ſpiritualis, ſicut intellectio Angelica. Alia quidem præſuppoſitivè à materia dependet, ſicut intellectio humana. Alia vero quoad ſubſtantiam materialis eſt, ſicut actiones ſenſuum externorum, & internorum. Alia tandem eſt mutatio inſtantanea, non quidem intentionalis, ſed phyſica, & naturalis. De quibus omnibus difficultas eſt, an ipſis competat diffinitio: Pro quo.

§. II.

Statuitur noſtra concluſio.

Nulli mutationi inſtantaneæ intentionali competit diffinitio; benè tamen mutationi phyſicæ naturali.

PRimam partem concl. probamus. Quia mutationes intentionalis prædictæ non ſunt verè motus: ergo illis non convenit diffinitio. Prob. ant. Subjectum motus ſolùm imperfectè actuatur per motum, & perfectè per terminum motus. Sed mutationes prædictæ non imperfectè, ſed potius perfectè actuant ſubjectum. Siquidem perfectio ſubjecti in ipſa mutatione intentionali conſiſtit: ſicut perfectio potentiæ viſivæ conſiſtit in videre; & perfectior intellectus in intelligere, & voluntatis in amare: ergo mutationes prædictæ non ſunt verè motus.

Conf & urg. Motus per ſe ordinatur ad terminum, ſicut motus localis ad ubi: & alteratio ad qualitatem. Sed mutationes prædictæ non per ſe ad terminum ordinantur: ergo mutationes prædictæ non habent rationem motus. Prob. min. Nam plures ex mutationibus aſſignatis nullum terminum producunt, ſicut actiones ſenſuum exteriorum: aliæ verò, quæ producunt verbum, ſpeciem expreſſam, vel idolum, non per ſe ordinantur ad ipſum, ſed potius verbum ordinatur ad actionem ipſam. Nam ideò intellectus producit verbum, ut objectum intelligat, vel in verbo percipiat: ergo mutationes illæ non per ſe ad terminum ordinantur. Ex qua doctrina facilè quiſque poteſt ſolvere argumenta in contrarium, quæ etiam facillima ſunt;

Secundam vero partem, videlicèt mutationi inſtantaneæ phyſicæ, & naturali diffinitionem aſſignatam convenire prob. Quia mutatio inſtantanea phyſica, & naturalis, qualis eſt generatio ſubſtantialis, relinquit ſubjectum in potentia, ſecundum quod in potentia: ergo verè competit illi aſsignata diffinitio. Prob. ant. Prædicta mutatio eſt actus materiæ primæ exiſtentis in potentia ad formam ſubſtantialem, ad quam etiam ordinatur: ergo eſt actus entis in potentia ſecundum quod in potentia. Prob. ant. Pro illo priori, quo intelligitur generatio ſubſtantialis, intelligitur in materia fieri formæ ſubſtantialis, & via ad ipſam, non tamen intelligitur ipſa forma, ſed potius intelligitur materia in potentia ad formam ſubſtantialem conſequendam: ergo prædicta mutatio inſtantanea eſt actus materiæ primæ exiſtentis in potentia ad formam ſubſtantialem, ad quam etiam ordinatur.

Dices: Mutatio prædicta ſimul eſt cum forma ſubſtantiali per illam producta, & propterea dicitur mutatio inſtantanea: quia terminus per illam productus ſimul eſt, & in eodem inſtanti cum mutatione ipſa: ergo talis mutatio non relinquit materiam in potentia ad ipſam formam.

Reſp. diſt. ant. Simultate inſtantis in *quo*: conc. ant. Simultate inſtantis à *quo*: neg. ant. & conſ. Licèt namque mutatio iſta ſimul ſit cum forma, producta in eodem inſtanti reali temporis, & in *quo*; eſt tamen prior forma prioritate à *quo*. Nam quando intelligitur mutatio, non dum intelligitur forma. Et ita pro illo priori intelligitur materia in potentia ad formam habendam.

Sed contra. Quod eſt in potentia ad formam habendam, habet privationem formæ. Sed materia pro illo priori generationis privationem formæ non habet: ergo non intelligitur in potentia ad formam. Prob. min. In eodem inſtanti reali non poteſt eſſe forma cum ipſius privatione: ſicut lux non poteſt eſſe cum tenebris: nec cæcitas cum viſu. Sed in iſtanti reali generationis eſt forma: ergo pro illo priori generationis non habet materia privationem formæ.

Reſp. diſt. mai. Privationem ſtrictam, vel latam: conc. mai. Strictam præciſſe: neg. mai. & ſub eadem diſtinctiones minoris: neg. conſ. Quia, ut aliquid ſit in potentia ad formam, non requiritur ſtricta privatio, vel rigoroſa formæ carentia, ſed ſufficit privatio lata, id eſt, quod pro aliquo priori intelligatur ſubjectum, & non intelligatur forma. Cumque pro priori generatio-

tio

tionis intelligatur materiam mutari, & tendere ad formam, & non dum forma intelligatur in materia. Fit indè materiam intelligi in potentia ad formam habendam.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. diſcurſu colligitur motum realitèr diſtingui à ſubiecto mobili. Quia mobile eſt in potentia ad motum. Nihil autem eſt in potentia ad ſe ipſum.

2. Infertur motum realitèr diſtingui à termino à *quo*, & à termino ad *quem*. Quia per motum deſtruitur terminus à *quo*, & acquiritur terminus ad quem: & nihil poteſt deſtruere, vèl acquirere ſe ipſum.

Quod quidem conſtat inſuper ex eo: quod idem terminus poteſt fieri per diverſum motum, vèl actionem diverſam realitèr. Sicut idem numero homo factus per generationem fiet in reſurrectione per actionem divinam. Et idem numero Corpus Chriſti factum à Beata Virgine, vèl ex illa, producitur à Sacerdote per verba conſecrationis. Et eadem numero qualitas producta per unam actionem poteſt per aliam intendi. Quod quidem ſignum eſt motum non identificari realitèr cum termino producto per ipſum. Aliàs duo motus, vèl actiones eſſent idem realitèr cum uno, & eodem termino, & realitèr diſtingueretur inter ſe. Quod admittendum non eſt.

Tertiò colligitur motum non eſſe realitèr diſtinctum ab actione, & paſsione. Quia actiones multiplicandæ non ſunt abſque ulla neceſsitate. Sed nulla neceſsitas eſt, ut actio motus, & paſsio ſint entitates realitèr diſtinctæ: ergò non diſtinguuntur realitèr. Prob. min. Eadem actio, prout egreditur ab agente, poteſt denominare agens, prout recipitur in mobili, poteſt denominari paſsio, & quatenùs mobile per illam movetur, poteſt denominari motus. Sicut idem impulſus, quo aliquis movet lapidem, prout egreditur ab impellente eſt actio, & quatenùs movet lapidem dicitur motus, & ſecundum quod in lapide recipitur dicitur paſsio: ergò nulla neceſsitas eſt, ut actio, motus, & paſsio ſint entitates diſtinctæ, & multiplicatæ realitèr.

Dices: Actio, & paſsio pertinent ad prædicamenta diverſa: ergò realitèr diſtinguntur. Quia eadem entitas non poteſt ad diverſa prædicamenta pertinere.

Reſp. Quod, ut aliqua prædicata pertineant ad prædicamenta

diverſa, non requiritur diſtinctio realis, ſed ſufficit diſtinctio formalis per rationem, & virtualis à parte rei.

Sed contra. Quia ideò in probabili ſententia Thomiſtarum relatio diſtinguitur realitèr à ſuo fundamento: quia fundamentum, & relatio pertinent ad diverſa prædicamenta: Ergò, quæ pertinent ad diverſa prædicamenta realitèr diſtinguuntur.

Reſp. tamen: Thomiſtas non probare relationem, & fundamentum eſſe diſtincta realitèr: quia pertinent ad prædicamenta diverſa abſolutè; ſed quia pertinent ad prædicamenta diverſa, quorum unum eſt abſolutum, & alterum relativum: & ideò eſſe diſtincta realitèr. Eo quod eadem entitas non poteſt eſſe abſoluta, & relativa. Alias haberet totum ſuum eſſe in ordine ad aliud. Quia eſſet relativa. Et ſimul non haberet. Siquidem eſſet abſoluta, quæ prædicata de eadem entitate verificari non poſſunt.

Tandem colligitur diſtinctionem motus à termino eſſe realem modalem. Quia motus eſt entitas modalis, vialis, & incompleta, ut ex propria natura cognoſcitur: ergò ſolùm realitèr modalitèr à termino diſtinctus eſt.

ARTICULUS II.

Vtrùm actio formalitèr tranſiens recipiatur in paſſio.

§. I.

Senſus difficultatis apperitur, & ſententia referuntur.

IN difficultate iſta graviſsimâ unum ſupponimus, & inquirimur aliud. Supponimus quidem quod actio formalitèr ut talis importat formalitèr inhærentiam, quamvis ſolùm explicet egreſsionem ab agente. Sicut relatio formalitèr ut talis dicit inhærentiam, licèt ſolùm explicèt reſpectum, vèl tendentiam ad terminum relationis. Et utriuſque eadem ratio eſt. Quia ratio accidentis eſt conceptus communis ad relationem, & actionem. Et ita quælibet ex illis formalitèr inhærentiam importat. De ſubiecto tamen inquirimus, an videlicèt ſubiectum, cui inhæret actio, ſit agens, à quo procedit, vèl ipſum paſſum? Et de actione immanenti dubium nobis non eſt. Illa namque formalitèr eſt in agente, ſicut intellectio in intellectu. Et propterea dicitur immanens: quia intus manet, ſicut etiam intellectus dicitur intelligens: quia intus percipit, vèl legit obiectum. Solùm

lùm ergò de actione formaliter tranſeunte difficultas iſta procedit.

Prima autem in hoc puncto ſent. aſſerit: actionem formaliter tranſeuntem eſſe ſubiectivè in agente, vèl inhærere illi. Quam defendit Cayet. 1. part. quæſt. 25. art. 1. & ipſum ſequuntur aliqui antiquiores Thomiſtæ, & ex modernis Mag. Hortiz tract. 7. conferent. 1. eandem tenet Scotus in 4. diſt. 13. quæſt. 1. & diſt. 43. quæſt. 5. §. De tertio, cui omnes Scotiſtæ ſubſcribunt, & adhærent plures alij extra Scholam D. Thom.

2. Verò ſent. aſſerit: actionem inchoativè eſſe in agente, & conſummativè in paſſo: ita Silvius, & Rever. S. Thom. cum hoc diſcrimine tamen, quod Silvius ait eandem entitatem actionis in principio eſſe in agente, & indè transfundi ad paſſum; Mag. verò S. Thom. affirmat: non eſſe eandem entitatem, ſed diverſam ordine quodam ſe habentem: Sicut etiam ſubiecta ipſa ordine quodam ſe habent: & ex utraque entitate conflari unam totalem entitatem conſummatam, & completam. Eo quod prima eſt inchoatio ſecundæ, per quam ipſa completur, & conſummatur.

3. Verò ſent. abſolutè affirmat: actionem formaliter tranſeuntem ſubiectari in paſſo, & ſolum in illo recipi, vèl inhærere. Ita Capreol. in 2. diſt. 1. quæſt 2. & Ferrara 2. contra gentes cap. 1. Soncin. & Soto, & Venerandi Patres Carmel. quos plures alij ſequuntur. Et hæc noſtra concluſio.

§. II.

Actio formaliter tranſiens recipitur in ipſo paſſo.

SEnt. iſtam tradit Ang. Doct. 9. metaph. lect 8. per ea verba; *Ipſa actio eſt in facto, ut ædificatio in eo quod ædificatur*: & rationem reddit infrà: *Quia quando per actionem potentiæ conſtituitur aliquod operatum, illa actio perficit operatum, & non operantem. Undè eſt in operato ſicut actio, & perfectio eius, non autem in operante.* Quæ verba ponderatione non indigent.

Eamdem doctrinã dedit etiam q. 10. de pot. art. 1. dicens: *Eſt autem duplex operatio, quædam quidem tranſiens ab operante in aliquod extrinſecum, ſicut calefactio ab igne in lignum, & hæc quidem operatio non eſt perfectio operantis, ſed operati. Non enim aliquid acquiritur igni ex hoc, quod eſt calefaciens, ſed calefacto acquiritur calor.* Quod etiam affirmat pluribus alijs in locis conformitèr ad ea, quæ docet 5. phyſic. lect. 3. dum ait: *Quod actio, & paſſio non differunt ſubjecto à motu.* Quia tamen

oppoſita ſent. ſufficienter etiam in D. Thom. ſinulatur proprere à alia teſtimonia D. Thom. omittimus ut ad rationem veniamus.

Prima autem ratio efficax pro noſtra ſent. ea eſt. Quod actio motus, & paſsio ſunt eadem realiter entitas. Sed motus, & paſsio realiter recipiuntur in paſſo. Nam motus eſt actus, & forma mobilis: ergò etiam actio realiter in paſſo recipitur, & nullo modo recipitur in agente. Quia eadem realiter entitas non poteſt recipi in duplici ſubjecto realiter entitativè, & numericè diſtincto.

Conf. Actio motus, & paſsio ſunt idem numero accidens. Sed idem numero accidens non poteſt recipit in duplici ſubiecto diſtincto numericè: ergò ſi motus, & paſsio recipiuntur in paſſo, non poterit actio recipi, & ſubiectari in agente. Min. prob. Accidens receptum in duplici ſubiecto numericè diſtincto debet etiam eſſe numero diverſum. Eo quod accidens individuatur à ſubiecto. Et conſequentèr ubi ſubiectum eſt numero diſtinctum, debet etiam accidens eſſe numero diverſum: ergò idem numero accidens non poteſt recipi in duplici ſubiecto diſtincto numericè.

Reſp. contrarij. Idem numero accidens non poſſe recipi in duplici ſubiecto adæquato, & totali numericè diſtincto. Aliàs ipſum accidens eſſet idem numero, & non eſſet idem numero. Siquidem accipit numericam unitatem à ſubiecto adæquato. Et eſſet in duplici ſubiecto adæquato, numericè diſtincto. Poteſt tamen idem accidens recipi in duplici ſubiecto inadæquato abſque ullo inconvenienti. Quia ex duplici ſubiecto inadæquato reſultat unam tantum numero ſubiectum completum, & adæquatum, à quo accidens accipit numericam unitatem: & hoc modo comparantur agens, & pariens ad entitatem actionis. Et ita mirùm non eſt, quod talis entitas in utroque recipiatur.

Sed contra eſt. Quia agens, & patiens non poſſunt tanquam ſubiecta in adæquata ad actionem comparari: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Quando duo ſubiecta ut inadæquata comparantur, ex utroque reſultat unum adæquatum ſubiectum, & ex utroque etiam tanquam ex parte reſultat unum compoſitum. Sed ex agente, & paſſo non poteſt unum compoſitum reſultare: ergò non poſſunt ſe habere ut ſubiecta inadæquata. Probat. min. Omne compoſitum importat in recto partes, ex quibus componitur, ſicut patet per ſingula diſcurrendo. Sed non eſt aſsignabile compoſitum, quod importet in recto agens, &

pa

pariens: ergò ex agente, & paſſo non poteſt unum, & idem compoſitum reſultare. Prob. min. Quia tale compoſitum non eſſet agens nec eſſet patiens, nec poſſet habere aliam denominationem, & eſſe in aliqua ſpecie: Ergò non eſt dabile tale compoſitum.

Dices: Tale compoſitum non fore agens, nec patiens diviſivè, & excluſivè, ſed utrumque eſſet in recto.

Contra tamen eſt. Quia compoſitum, quod in recto ſit agens, & patiens ſimul, & in recto per utramque denominationem cõſtitutum, chymæricum eſt: ergò non eſt dabile. Prob. ant. Tale compoſitum eſſet ſimul, & in recto conſtitutum per denominationem compoſitam agentis videlicèt, & patientis: ergò eſſet chymæricum. Nam compoſitum conſtitutum in recto per duplicem differentiam oppoſitam, chymæricum eſt.

Sxcundò ſolutio principalis impug. Subjecta, quæ inadæquatè comparantur ad aliquam formam, ſolùm materialitèr differunt; formalitèr verò convenientiam important, ſicut in omnibus ſubjectis inadæquatis cernere licèt. Imò, & actus inadæquati alicuius habitus, vèl potentiæ comparativè ad habitum, vèl potentiam materialitèr diſtinguuntur. Sed agens, & patiens comparativè ad entita em actionis, & paſſionis non habent convenientiam formalem cum ſola diſtinctione materiali: ergò non comparantur ut ſubiecta inadæquata ad prædictam entitatem. Maior cum conſ. tenet. Et prob. min. Ea, quæ conveniunt formaliter, & ſolùm materialitèr differunt in creatis, pertinent ad idem prædicamentum. Nam ſi ad diverſa prædicamenta pertinent, eſſent diſtincta formalitèr, ſicut ipſa prædicamenta. Sed agens, & patiens comparativè ad entitatem actionis, & paſſionis pertinent formalitèr ad prædicamenta diverſa, ſicut etiam actio, & paſſio: ergò agens, & patiens comparativè ad entitatem actionis, & paſſionis non habent convenientiam formalem cum ſola diſtinctione materiali.

Tertiò impugnatur ſolutio principalis. Eadem numero entitas accidentis non poteſt recipi in duobus ſubiectis diſtinctis, & ad invicem non unitis. Sed agens, & patiens ſunt duo ſubiecta diſtincta ad invicem non unita: ergò eadem entitas actionis, & paſſionis non poteſt in utroque recipi, nec utrumque ad illam inadæqnate comparari.

Reſpondebis. Eandem entitatem poſſe recipi in duobus ſubiectis diſtinctis, & ad invicem non unitis. Nam quando ignis

calefacit duo ligna diſtincta, eadem numero entitas calefactionis recipitur in utroque ligno, in ſententia noſtra aſſerente, quod actio recipitur in paſſo.

Sed contra eſt. Nam illa calefactio non ſolùm recipitur in lignis diverſis, & ſeparatis, ſed etiam recipitur in medio exiſtente inter utrumque, quamvis propter incapacitatem ſubjecti non producat in medio totum illum effectum, quem producit in ligno, ſi nonne tamen producit aliquem effectum in medio: ergò nunquam eadem entitas recipitur in ſubjectis diſtinctis, & ad invicem non unitis, alias eadem entitas poſſet eſſe à ſe ipſa diverſa, & ſeparata, ſicut & ipſa ſubjecta realiter ſeparantur.

Ex quo patet ad exemplum, quo utuntur adverſarij de modo unionis, quid idem realiter recipitur in materia, & forma. Quia materia, & forma non ſunt ad invicem ſeparatæ, ſed potius per talem modum uniuntur. Et ita mirùm non eſt, quod idem in utraque recipiatur.

Reſpondebis: eandem numero entitatem poſſe recipi in ſubjectis diſtinctis, & ad invicem ſeparatis: quia eadem relatio proportionis, quam unus numerus dicit ad alterum; recipitur in omnibus, quamvis unitates inter ſe ſint diverſæ, & ſeparatæ.

Sed contra eſt. Quia probabilius eſt relationem proportionis numeri ad numerum recipi ſolùm in ultima unitate cum ordine ad unitates præcedentes. Nam ultima unitas dat ſpeciem numero, & fundat relationem proportionis cum habitudine ad præcedentes. Et conſequenter cum eadem habitudine debet relationem recipere: ergò contradictorium ſolutionis probabilius eſt.

Secundò impugnatur data ſolutio. Quia numerus eſt unum per ſe unitate ordinis, & omnes partes importat in recto. Et ideò eadem relatio, quæ efficit totum, recipitur in omnibus partibus ſaltim mediatè. Sed ex agente, & paſſo non fit unum ens per ſe habens determinatam eſſentiam, & ſpeciem. Alias haberet determinatum prædicamentum diſtinctum ab omnibus alijs. Quod tamen eſt falſum: ergò eadem entitas non poteſt eſſe recepta in agente, & paſſo ſimul.

Secundò. Alia ratione efficaci probatur noſtra concluſio. Actio immanens recipitur formaliter in agente: ergò actio tranſiens formaliter in paſſo recipitur. Ant. conſtat, & conſ. probatur. Quia hæc eſt differentia, quam Div. Thom. locis antecedenter relatis, & 1. p. q. 18 art. 3. ad 1. aſſignat inter actionem immanentem, & actionem tranſeuntem, quod prima eſt perfectio agentis, & recipitur in illo;

illo: ſecunda eſt perfectio paſsi, & in ipſo recipitur. Quod etiam indicare videtur nominis ethimologia. Nam ſicut actio dicitur immanens, quia intus manet: ita appellatur tranſiens, quia tranſit in exteriorem materiam, & recipitur in paſſo.

Reſp. contrarij. Actionem tranſeuntem ab immanente diſtingui, non quia una recipiatur in agente, & altera recipiatur in paſſo; ſed quia actio tranſiens producit effectum ad extra, & actio immanens producit effectum ad intra.

Contra tamen eſt. Quia actio immanens nedum producit effectum ad intra, ſed etiam recipitur in agente: ergò, ut actio tranſiens ſit adæquatè ab immanenti diſtincta non ſolùm debet effectum ad extra producere, ſed etiam debet ad extra, vèl in paſſo recipi.

Secundò impugnatur ſolutio data. Producere effectum ad extra competere poteſt actioni formaliter immanenti: ergò ut actio tranſiens ſit ab immanenti diſtincta, ſatis non eſt, quod producat effectum ad extra, ſed ultra requiritur, quod recipiatur in paſſo. Prob. ant. Actio intellectus, & voluntatis divinæ eſt actio formaliter immanens. Et tamen Deus per intellectum, & voluntatem operatur ad extra formaliter: ergò producere effectum ad extra poteſt competere actioni formaliter immanenti.

Rurſus etiam. In Angelo non reperiuntur actiones formaliter tranſeuntes; ſed tantum actiones formaliter immanentes. Eo quod in Angelo ſolùm reperitur intellectus, & voluntas, quorum actiones ſunt formaliter immanentes. Et tamen Angelus plures effectus ad extra producit, & plura corpora movet: ergò producere effectum ad extra poteſt competere actioni formaliter immanenti.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARg. primo contra concl. noſtram. Nam, ut actio tranſiens differat ab immanenti formaliter, neceſſarium non eſt, quod recipiatur in paſſo: ergò non in paſſo recipitur. Prob. ant. Actiones non per ſubjecta, ſed per terminos diſtinguuntur. Eo quod actio non à ſubjecto, ſed à termino habet ſpeciem: ergò, ut actio tranſiens differat ab immanenti formaliter, neceſſarium non eſt; quod recipiatur in paſſo, ſed ſufficit, quod effectum aliquem ad extra producat.

Confirm. & explicatur. Actio formaliter immanens non per ſe ordinatur ad effectum producendum ad extra, nec ab illo ha-

habet ſpeciem : ergò ut actio tranſiens differat formalitèr ab immanenti, ſatis eſt, quod effectum producat ad extra, & per ſe ordinetur ad ipſum. Quia per id, quod ſolum convenit ipſi, & non convenit actioni immanenti, ſufficientèr ab illa diſtinguitur.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. Per terminos formalitèr : conc. ant. Connexivè: neg. ant. & conſ. Quia licèt actio tranſiens, & immanens per terminos formalitèr diſtinguantur; connexivè tamen etiam differunt per ſubiecta quatenùs cum diſtinctione terminorum per ſe connectitur ſubiectorum diſtinctio, & una infertur ex alia. Cuius ratio eſt. Quia actio tranſiens, ſi per ſe ordinatur ad terminum producendum ad extra, per ſe etiam ordinatur ad ſubiectum ad extra perficiendum, media actione, & termino producto per illam. Et conſequentèr ipſa etiam debet ad extra recipi. Sicut actio immanens debet ad intra recipi. Quia ordinatur ad ipſum agens, ut perficiendum per ipſam.

Addimus. Quod cum actio tranſiens per ſe ordinetur ad perficiendum paſſum, non ſolùm paſſum habet rationem ſubiecti, ſed etiam habet rationem termini in ordine ad actionem tranſeuntem : & agens habet etiam rationem termini, & ſubiecti comparativè ad actionem immanentem. Et ita ex quo per terminos diſtinguantur, non infertur non poſſe per ſubiecta propria diſtingui : quandoquidem ſubiecta propria rationem termini habent.

Ad conſ. negat. conſ. Quia ſi actio tranſiens per ſe ordinatur ad effectum producendum ad extra, per ſe etiam ordinatur ad paſſum intrinſecè perficiendum. Et ita in paſſo recipi debet. Si autem in paſſo non recipitur, non ordinabitur etiam ad paſſum intrinſecè perficiendum. Conſequenterque ſolùm modo repugnanti ordinabitur per ſe ad effectum producendum ad extra.

Sed inſt. Poteſtatio per ſe ordinari ad terminum producendum ad extra modo debito, & non repugnanti, quin recipiatur in paſſo : ergò ſolutio nulla eſt. Prob. antec. 1. Potentia generativa per ſe ordinatur ad terminum producendum ad extra : quia per ſe ordinatur ad generandum. Et tamen talis potentia non eſt in paſſo, ſed in agente generante : ergò poteſt actio per ſe ordinari debito modo ad terminum producendum ad extra, quin recipiatur in paſſo.

2. Prob. ant. Generatio ſubſtantialis per ſe ordinatur ad genitum productum ad extra, & ſpecificatur ab illo. Et tamen non in

paſſo,

paſſo, ſed in agente recipitur: Ergò idem quod priùs. Prob. min. Actio vitalis recipitur in agente. Quia agens per actionem vitalem ſe movet, & vivit: & non poteſt per illam ſe movere, niſi illam recipiat. Sed generatio actio vitalis eſt: ergò in agente recipitur.

Ad 1. repl. reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. Per modum potentiæ: conc. mai. Per modum operationis: neg. mai. & conceſſa min. neg. conſ. Quia potentia generativa licèt per ſe ordinetur ad effectum producendum ad extra (& idem de quacumque potentia operativa) non tamen eſt perfectio paſſi, ſed ſolùm agentis. Et ita ſolùm in agente recipitur: actio verò, ſi per ſe ordinatur ad terminum producendum ad extra etiam ordinatur ad paſſum intrinſecè perficiendum. Conſequentèrque in paſſo recipitur.

Ad 2. prob. reſp. Generationem ſubſtantialem, quatenùs eſt tranſiens formalitèr, recipi in ipſo paſſo, & non eſſe vitalem formalitèr. Quia ſolùm eſt tranſiens, quatenùs eſt emiſsio ſeminis, ſecundum quam rationem formalitèr vitalis non eſt, ſed ſolùm præſuppoſitivè, quatenùs ſupponit applicationem vitalem, & liberam generantis ad operationem illam.

Sed inſt. Pro illo priori actionis generativæ nondùm eſt paſſum: ergò illa actio non poteſt in paſſo recipi. Prob. ant. Paſſum eſt effectus actionis generativæ: ergò pro priori talis actionis non dùm eſt paſſum. Quia pro priori cauſæ non dùm intelligitur effectus.

Reſp, tamen. Quod licèt paſſum non intelligitur pro priori actionis generativæ, eſt tamen ſimul cum illa in eodem inſtanti reali. Quod ſufficit, ut illa actio recipiatur in paſſo. Inſtantia eſt in ultima diſpoſitione ad formam hominis, quæ pro priori naturæ hominem antecedit. Et tamen: quia eſt in eodem inſtanti reali cum illo, non implicat, quod in ipſo recipiatur, & de facto in ipſo recipitur.

Alitèr poterat dici: actionem generativam ſecundum conceptum *ab* præcedere paſſum, & in genere cauſæ efficientis: in genere verò cauſæ materialis, & ſecundùm conceptum *in* ſupponere ipſum. Et ita in illo recipi poſſe: ſicut ultima diſpoſitio in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ antecedit hominem genitum, & in genere cauſæ materialis receptivæ, ſupponit ipſum, & in illo recipitur.

Dices: Actio præcedit paſſum ſecundum conceptum *ab*: ergò etiam ſecundum conceptum *in*. Quia iſti duo conceptus ſunt idem realitèr. Et ideò

ſi

ſi actio ſecundum unum prior eſt, etiam ſecundum alterum prior erit.

Sed neg. conſ. Quia licèt iſti duo conceptus identificentur realiter, poteſt actio ſecundum unum illorum præcedere, & ſecundum alterum ſubſequi. Sicut intellectio creata, quatenùs dictio eſt, præcedit verbum, & quatenùs contemplatio ſequitur ad ipſum: & *in* peculiare in divina relatione antecedit generationem: & conceptus *ad* generationem conſequitur, & ſupra illam fundatur.

2. Arg. Relatio prædicamentalis agentis ad paſſum eſt in ipſo agente: ergò etiam actio, quæ eſt fundamentum relationis prædictæ, debet in agente recipi. Nam fundamentum relationis, & ipſa relatio in eodem ſubjecto reperiri debent. Eo quod relatio dimanat à fundamento, & ab illo dependet in fieri.

Reſp. aliqui. Quod fundamentum relationis prædicamentalis agentis ad paſſum non eſt actio, ſed potentia productiva, quæ quidem recipitur in agente, ſicut ipſa relatio.

Alij verò reſp. fundamentum, & relationem non ſemper, & neceſſario debere reperiri in eodem ſubjecto. Quia non minus relatio dependet à fundamento in conſervari, quam dependet in fieri. Et tamen relatio conſervatur in ſubjecto, in quo fundamentum illius non eſt, ut conſtat in relatione unionis, quam materia dicit ad formam: quę quidem non recipitur in materia, ſed in toto compoſito. Quia materia ante formam nihil recipere poteſt. Et tamen fundamentum huius relationis in ipſa materia eſt: ergò poterit relatio primo recipi, & eſſe in ſubjecto, in quo fundamentum illius non eſt, quæ ſolutiones inter noſtros ad argumentum ſolvendum neceſſariæ non ſunt, & ideò.

Ad arg. alitèr reſp. Fundamentum relationis, quatenùs fundamentum illius eſt, debere eſſe in eodem ſubjecto, in quo eſt ipſa relatio. Cumque relatio agentis ad paſſum fundetur ſuprà actionem ſolùm ſecundum conceptum *ab*. Indè fit debere eſſe in illo ſubjecto, in quo eſt actio ſecundum talem conceptum. Actio verò ſecundum conceptum *ab* eſt formalitèr denominativè in agente. Eo quod agens denominatur tale ab actione ſecundum conceptum egreſſionis ab illo. Et ideò mirùm non eſt, quod prædicta relatio recipiatur in agente.

3. Arg. Non poteſt agens intrinſecè per actionem mutari, niſi illam recipiat intrinſecè. Quia nihil poteſt intrinſecè mutari, niſi per aliquid intrinſecè receptum in ipſo. Vndè ſuprà di-

diximus concurſum prævium intrinſecè recipi in cauſa ſecunda: quia illam intrinſecè mutat. Sed agens intrinſecè per actionem mutatur, ut conſtabit ex infrà dicendis: ergò actio intrinſecè recipitur in agente.

Reſp. aliqui ex noſtris neg. min. Quia denominatio agentis ſolùm eſt extrinſeca denominatio, ſicut denominatio viſi in pariete. Et ita agens non mutatur intrinſecè per actionem.

Hæc tamen ſolutio principiatur falſo. Quia omnia prædicamenta ſunt aliquid intrinſecum, & præſtant denominationem intrinſecam, ſicut omnes ferè Thomiſtæ in propio loco defendunt. Sed actio ſecundum conceptum *ab*, & ſecundum egreſſionem ab agente conſtituit ſpeciale prædicamentum: ergò nequit eſſe extrinſeca denominatio.

Secundò reijcitur data ſolutio. Quia indifferentia intrinſeca ſolùm poteſt auferri per aliquid intrinſecum, à quo proveniat intrinſeca denominatio. Nam ablatio intrinſecæ indifferentiæ eſt intrinſeca mutatio; mutatio autem intrinſeca ſolùm per aliquid intrinſecum haberi poteſt. Sed actio tollit, & aufert intrinſecam indifferentiam agentis: ergò ràm actio, quàm denominatio agentis aliquid intrinſecum eſt. Prob. min. Agens antecedentèr ad operationem eſt indifferens, & in potentia intrinſeca ad agendum, & non agendum. Sed potentialitas hæc determinatur, & indifferentia tollitur per ipſam actionem, quæ eſt unum extremum ipſius indifferentiæ: ergò actio tollit, & aufert intrinſecam indifferentiam agentis.

Reſp. aliqui. Prædictam indifferentiam non tolli per ipſam actionem, ſed ſolùm per concurſum prævium determinantem ad illam.

Sed contra eſt. Quia indifferentia agentis ad agendum, & non agendum debet formalitèr auferri per formam illam, qua conſtituitur agens in actu ſecundo operans: & de actu primo reducitur ad ſecundum. Sed per actionem conſtituitur agens operans in actu ſecundo: & reducitur de actu primo ad ſecundum: ergò per talem actionem tollitur formalitèr agentis indifferentia. Min. cum conſ. tenet, & prob. mai. Potentialitas, & indifferentia ad aliquam actualitatem, & formam per ipſam formam auferetur. Sicut potentialitas, & indifferentia, quam ad formam habet materia tollitur per ipſam formam: ergò indifferentia agentis ad operandum, & non operandum per ipſam operationem debet auferri, per quam agens conſtituitur in actu ſecundo operans. Et de actu primo reducitur ad ſecundum,

Sea-

Secundò impug. ſolutio data. Quia ſuppoſito concurſu prævio adhuc agens manet in potentia activa ad ipſam operationem. Sed hæc potentialitas activa non tollitur per concurſum prævium formaliter, ſed ſolùm applicativè: quatenùs applicat ad operationem cauſæ ſecunduæ: ergò potentialitas hæc ſolùm tollitur formaliter per actionem.

Explicatur eadem imp. Quia indifferentia actus primi ſolùm tollitur formaliter per actum ſecundum. Sed concurſus prævius non eſt verè actus ſecundus reſpectu agentis creati: ergò indifferentia actus primi, quę reperitur in agente creato, non poteſt auferri formaliter per ipſum concurſum prævium, ſed per ipſam creatam actionem, quæ eſt verè actus ſecundus reſpectu agentis creati. Quapropter tali ſolutione relicta.

Reſp. ad arg. diſt. mai. Recipiat intrinſecè, vèl intrinſecè emitat: conc. mai. Recipiat determinatè: neg. mai. & conceſſa min. neg. conſ. Nam ut agens mutetur intrinſecè per actionem neceſſarium non eſt, quod intrinſecè illam recipiat, ſed ſatis eſt, quod intrinſecè illam emitat, vèl ipſa intrinſecè egrediatur ab illo. Et cum actio intrinſecè egrediatur ab agente, poteſt agens intrinſecè per actionem mutari.

Sed inſt. Non poteſt aliquid intrinſecè mutari per egreſsionem alterius ab ipſo: ergò ut agens mutetur intrinſecè, ſatis non eſt, quod actio intrinſecè egrediatur ab agente. Prob. ant. Quia creaturæ quando fiunt, intrinſecè egrediuntur à Deo, in quo antea intrinſecè continebantur. Et tamen Deus per talem egreſsionem non mutatur intrinſecè: ergò non poſſet aliquid intrinſecè mutari per egreſsionem alterius ab ipſo Præterquamquod dicere aliquid intrinſecè mutari per egreſsionem alterius, videtur abuſio terminorum, non tamen aliquid dicere verùm.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. Per modum effectus: conc. mai. Per modum actionis: neg. mai. Et conceſſa min. neg. conſ. Secundum diſtinctionem maioris. Creaturæ namque egrediuntur à Deo egreſsione generali, & per modum effectus, qua ratione omnes effectus, quando fiunt, dicuntur exire extra cauſas, & ab illis egredi. Non tamen creaturæ egrediuntur à Deo per modum actionis conſtituentis Deum operantem, & realiter ab ipſo Deo diſtinctæ. Et ita minùm non eſt Deum per talem egreſsionem non mutari. Actio verò realiter ab agente diſtincta, dùm realiter egreditur ab illo, realiter etiam reducit ipſum de actu primo ad ſecun-

cundum ; & tollit intrinſecam indifferentiam illius. Et conſequentèr ipſum intrinſecè mutat. Quod quidem non eſt terminis abuti, ſed terminos explicare, & oppoſitum facilè probari non poteſt.

Arg. 4. Actio formalitèr tranſiens eſt perfectio intrinſeca agentis: ergò intrinſecè in illo recipitur. Prob. ant. 1. Actio formalitèr tranſiens eſt actualitas ultima agentis in linea operativa: & tollit intrinſecam indifferentiam illius : ergò perfectio intrinſeca eſt.

Secundò prob. ant. Hoc concretum *agens* pertinet directè ad prædicamentum actionis ratione formæ, quam importat, quæ eſt ipſa actio. Sed non poteſt directè ad prædicamentum pertinere, niſi ratione intrinſecæ formæ, & intrinſecè perficientis : ergò idem quod priùs.

Reſp. ad utramque prob. Quod actio eſt perfectio intrinſeca agentis, ut à quo ; non tamen ut in quo. Et eſt ultima actualitas agentis, & illius reductio, ut à quo ; non tamen ut in quo : vèl ut terminis Ariſt. utamur, eſt perfectio huius ab hoc ; non tamen huius in hoc : quatenùs intrinſecè egreditur ab agente, & per egreſsionem prædictam perficit intrinſecè ipſum, & reducitur de actu primo ad ſecundum.

Dices 1. Quia actio immanens eſt perfectio intrinſeca agentis, intrinſecè in illo recipitur : ergò ſi actio tranſiens eſt intrinſeca perfectio agentis, intrinſecè etiam in illo recipienda eſt.

Secundò dices : Sicut actio dicit *ab*, & egreſsionem : ita relatio dicit *ad*, & reſpectum ad terminum. Sed relatio inhæret ſubiecto, cui communicat *ad*, & denominat relatum : ergò actio debet inhærere ſubiecto, quod denominat agens, & à quo intrinſecè egreditur. Et conſequentèr erit illius perfectio, non ſolùm ut à quo procedit, ſed etiam ut in quo eſt.

Reſp. ad 1. replic. neg. cauſalem, tanquam adæquatam, ſed inſuper : quia actio immanens ordinatur ad agens intrinſecè perficiendum. Et ita debet eſſe, tàm egreſsivè, quàm inhæſivè in agente, cuius oppoſitum in actione formalitèr tranſeunte contingit.

Ad 2. repl. neg. conſ. Et ratio diſcriminis eſt. Quia actio eſt forma vialis egrediens ab agente, & tendens ad paſſum intrinſecè perficiendum. Et ideò ſolùm eſt egreſsivè in agente inhæſivè verò in paſſo. Relatio vero eſt tendentia ad terminum ut ad aliquid purè extrinſecum, & ſolum per ſe ordinatur ad perficiendum intrinſecè ſubiectum illud, quod denominat relatum.

Et

Et propterea debet in tali ſubiecto formaliter inhærere.

5. Arg. Cauſalitas eſt in eo, cuius eſt cauſalitas. Sed actio eſt cauſalitas agentis: ergò recipitur in agente. Prob. mai. Conſtitutivum debet eſſe in eo, quod conſtituit. Sed cauſalitas conſtituit cauſam in actu ſecundo cauſantem: ergò cauſalitas debet eſſe in eo, cuius eſt cauſalitas.

Conf. 1. Forma debet eſſe inhæſivè in ſubiecto, quod denominat. Sed actio denominat agens operans in actu ſecundo: ergò debet eſſe in agente.

Conf. 2. Forma communicat ſuum effectum primarium ſubiecto illi, cui intrinſecè inhæret. Sed actio non communicat paſſo ſuum effectum primarium: Ergò non inhæret in paſſo, ſed potius in agente. Prob. min. Effectus primarius actionis eſt denominare operans in actu ſecundo. Sed hunc effectum non communicat paſſo, ut per ſe eſt manifeſtum: ergò min. vera eſt.

Reſp. neg. mai. univerſaliter ſumptam. Et ad prob. diſt. mai. Eo modo, quo conſtituit: conc. mai. Alio modo: neg. mai. Et conc. min. neg. conſ. ſecundum diſtinctionem minoris. Conſtitutivum namque debet eſſe in eo, quod conſtituit, eo modo, quo conſtituit. Cumque actio conſtituat agens in actu ſecundo per egreſſionem ab illo indè fit, quod debet in illo eſſe egreſſivè, vèl ſecundum conceptum *ab*; neceſſarium tamen non eſt, quod in illo ſit inhæſivè, hoc enim eſt in actione peculiare, conſtituere videlicèt operans per egreſſionem ab ipſo operante.

Ad 1. conf. poterat negari mai. univerſaliter intellecta. Cuius inſtantia eſt in ſpecie expreſſa, quæ denominat obiectum repræſentatum, & intellectum in actu ſecundo. Et tamen non in obiecto, ſed in intellectu recipitur. Et in actu voluntatis, qui in probabili ſententia eſt cauſalitas finis, & ipſum denominat cauſantem in actu ſecundo. Et tamen non in fine, ſed in voluntate recipitur. Et diſpoſitio denominat materiam diſpoſitam: & relatio unitæ cum forma denominat materiam relatam. Et tamen diſpoſitio, & relatio prædicta non in materia, ſed in compoſito recipiuntur. Quidquid tamen de hoc ſit.

Reſp. altèr diſt. mai. Quod denominat per unionem inhæſivam: conc. mai. Egreſſivam: neg. mai. Et ſub eadem diſtinctione minori: neg. conſ. Speciale namque eſt in actione, quod egrediatur ab agente, & per hanc egreſſionem reducat ipſum de actu primo ad ſecundum, ipſumque denominet agens. Undè actio non habet denominare agens per inhæſionem

nem in ipſo, ſed potiùs per egreſſionem ab illo. Sicut rivulus conſtituit, & denominat fontem fluentem, non quia rivulus ſit in fonte; ſed quia à fonte procedit: & ſpecies non denominat formaliter mediante inhærentia, ſed mediante repræſentatione: & ſubſtantia formaliter non per inhærentiam, ſed per terminationem denominat. Quæ doctrina conſonat Ang. Mag. in 1. diſt. 31. quæſt. 1. art. 3. dicenti: quod ſi poneretur eſſe aliquam actionem, quæ non eſſet accidens, non eſſet inhærens, denominaret tamen agens. Quia egrederetur ab illo.

Ad 2. conf. reſp. diſt. mai. Primarium inadæquatum: conc. mai. Primarium adæquatum: neg. mai. Et ſecundum eandem diſtinctionem minoris negatur conſ. Licèt namque forma debeat communicare aliquem effectum primarium ſubiecto illi, cui intrinſecè inhæret, non tamen neceſſarium eſt, quod illi communicet omnem effectum primarium. Quia, ut forma in ſubiecto ſit formaliter, ſufficit aliquem effectum primarium communicare: ut plurimi dicunt de gratia habituali, quæ formaliter erat in Chriſto, quæ tamen non conſtituebat Chriſtum Filium adoptivum, quamvis talis effectus ſit in gratia primarius. Et ſi Deus aſſumeret naturam irrationalem redderet illam ſubſiſtentem, & eſſet unitus formaliter cum ipſa, quamvis non redderet illam perſonatam, qui eſt aliquis primarius effectus in Divina ſubſiſtentia.

Sed inſt. Non eſſe aſsignabilem effectum aliquem primarium, quem actio communicet paſſo: ergò ſi ſolutio vera eſt, non poterit in paſſo, ſed ſolùm in aggente inhærere.

Scio reſp. poſſe, quod, ut forma ſit in aliquo ſubiecto formaliter, ſufficit illi communicare aliquem effectum ſecundarium, quamvis non communicet aliquem effectum primarium, ut conſtat in aliquibus formis iuxta ſententias probabiles Thomiſtarum, & ſi verùm ſit, quod ſi forma nullum effectum primarium, vèl ſecundarium communicaret, non eſſet in ſubiecto formaliter. Undè ſi intellectio poneretur in lapide, & gratia in natura irrationali, non eſſent in illis formaliter, quod etiam plures affirmant de ſpeciebus intentionalibus, quæ in aere ſolùm materialiter inveniuntur. Quia nullum effectum formalem etiam ſecundarium communicant. Non tamen doctrina iſta neceſſaria eſt. Et ideò.

Reſp. Actionem communicare paſſo aliquem effectum primarium, videlicèt eſſe actum, ſeu denominationem acti.

Con-

Contra tamen eſt. Quia denominatio acti provenit à paſſione formaliter : ergò non eſt effectus primarius actionis. Prob. ant. Denominatio acti, & paſsi eſt eadem denominatio, ut per ſe manifeſtum videtur. Sed denominatio paſsi provenit à paſsione : ergò etiam ab illa provenit denominatio acti.

Reſp. tamen neg. ant. Et ad prob. diſt. mai. Eadem realiter: conc. mai. Eadem formaliter: neg. mai. Et conceſſa min. neg. conſ. Sicut namque actio, & paſsio ſunt idem realiter, & formaliter diſtinguuntur : ita denominatio acti propria actionis, & denominatio paſsi ſunt eadem denominatio realiter; formaliter tamen diverſa eſt. Quæ diverſitas conſiſtit in eo, quod denominatio acti provenit ab actione, non ſolùm ut recepta in paſſo, ſed etiam ut tangente effectivè paſſum ipſum. Et ideò provenit ab actione cum ordine ad agens : denominatio verò paſsi provenit ſolùm ab actione, tamquam à forma recepta. Et ita in conceptu formali non explicat ordinem ad ipſum agens, quatenùs ab illo provenit actio.

§. IV.

Vltimum argumentum ſolvitur.

ULtimo arg. Forma recipitur in ſubiecto, cui communicat proprium effectum primarium. Sed actio formaliter tranſiens communicat effectum primarium agenti : ergo in agente recipitur. Prob. min. Effectus primarius actionis tranſeuntis eſt conſtituere agens. Sed prædictum effectum communicat agenti : ergò min. vera eſt.

Reſp. diſt. mai. Forma, quæ proprium effectum primarium communicat per unionem inhæſivam : conc. mai. Per unionem egreſsivam : neg. mai. & conc. min. neg. conſ. Quia actio proprium primarium effectum communicat per egreſsionem ab agente. Et ita ſatis eſt, quod egrediatur ab illo, ut talem effectum communicet.

Sed inſt. Effectus formalis eſt ipſa forma communicata ſubiecto : ergò non poteſt forma non eſſe ſubiecto, cui communicat proprium effectum primarium.

Reſp. diſt. conſ. Et modo quo illum præſtat : conc. conſ. Alio modo : neg. conſ. Quia actio communicat agenti proprium effectum primarum per egreſsionem ab illo. Et ideò ſolùm

lum egreſsivè debet eſſe in agente, ſicut rivulus ſolum egreſsivè eſt in fonte.

Sed inſt. Forma non poteſt effectum primarium communicare ſubiecto, niſi per unionem cum illo. Sed omnis unio formæ accidentalis fit per inhærentiam: ergò non poteſt communicare talem effectum ſubiecto, cui non inhæret.

Reſp.neg. min. Quia actio ad differentiam aliorum accidentium duplicem effectum communicat. Alterum quidem paſſo: alterum autem agenti. Et primum per inhærentiam communicat; ſecundum vero per unionem egreſsivam cum agente, quod tangit phyſico contactu egreſsivo, vèl à quo phyſicè procedit.

Sed inſt. Non poteſt actio aliquem effectum primarium ſubiecto communicare, niſi per unionem inhæſivam: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. antec. Non poteſt actio communicare aliquem effectum primarium, quin communicet conceptum *in*. Sed non poteſt communicare conceptum *in* niſi per unionem inhæſivam. Quia conceptus *in* eſt conceptus inhærentiæ: Ergò. Ant. eſt verum. Prob. mai. Non poteſt actio communicare aliquem effectum primarium ſpecificum, & proprium actionis, quin communicet conceptum differentialem. Quia effectus ſpecificus, & primarius eſt proprius formæ ſecundum differentialem conceptum. Sed non poteſt communicare conceptum differentialem, quin communicet conceptum *in*: ergò mai. vera eſt. Prob. min. Non poteſt communicare conceptum differentialem, quia communicet conceptum genericum. Siquidem conceptus differentialis, & genericus identificatur realitèr. Sed conceptus genericus eſt conceptus *in* omni occidenti communis: ergò non poteſt communicare conceptum differentialem, quin communicet conceptum *in*.

Reſp. plurimi: poſſe actionem communicare conceptum differentialem, quin communicet conceptum genericum, vèl non communicare *in*. Quia ſubiectum poteſt eſſe capax conceptus differentialis, & non habere capacitatem ad conceptum communem: & quando ex duplici conceptu realitèr identificato ſubiectum eſt capax unius, & non alterius, poteſt forma unum, & non alterum communicare ſubiecto. Sicut gratia habitualis Chriſtum hominem conſtituit Sanctum, & non filium adoptivum: quamvis iſti conceptus realitèr identificentur in gratia. Et idem in anima rationali, quæ ut vegetativa communicatur capillis, non tamen ut rationalis.

Hanc tamen ſolutionem non poſſumus approbare. Quia implicat aliquod ſubjectum eſſe capax gradus rationalis, qui eſt differentialis in homine, & non eſſe capax conceptus animalis, qui eſt conceptus generícus, & communis: ergò non poteſt agens eſſe capax conceptus differentialis actionis, & non eſſe capax conceptus *in*, qui eſt conceptus generícus, & communis. Et conſequentèr non poterit actio communicare agenti conceptum differentialem, quin communicet conceptum *in* generícum, & communem.

2. Impug. Quia ſubjectum, quod non eſt capax habendi conceptum communem formæ, non eſt etiam capax habendi conceptum differentialem: ergò ſolutio traddita nullà eſt. Prob. antec. Benè, & ex terminis valet, ſubjectum non poteſt habere conceptum generícum: ergò non poteſt habet conceptum differentialem. Quia in tali conſ. arg. à ſuperiori ad inferius negativè, quæ conſeq. ex terminis tener. Et conſequentèr in omni materia bona eſt. Undè, quod non poteſt eſſe animal, non poteſt etiam eſſe rationale. Et quod non poteſt eſſe vivens, non poteſt etiam eſſe vivens ſenſibile: ergò ſubjectum quod non eſt capax habendi conceptum communem formæ, non eſt capax habendi conceptum differentialem. Quapropter tali ſolutione relicta.

Reſp. Non poſſe ſubjectum eſſe capax conceptus differentialis, & non eſſe capax conceptus communis. Et conſequentèr non poſſe agens habere capacitatem ad conceptum *ab*, & differentialem actionis, & non habere capacitatem ad conceptum communem *in*, ſed potius actionem debere communicare conceptum *in*, ſi ſemel communicat *ab*; non tamen neceſſarium eſſe, quod actio communicet conceptum *in* per inhærentiam formalem, ſed ſatis eſſe, quod communicet talem conceptum per formalem egreſſionem: quod quidem ita contingit. Quia ſicut conceptus differentialis, & *ab* eſt in agente egreſſivè: ita conceptus *in* egreſſivè eſt in agente. Uterque conceptus conſtituit ſpeciem actionis. Et ideò actio communicat agenti utrumque conceptum egreſſivè, & cum utrumque formaliter egreditur ad agente.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. diſcurſu colligitur 1. quod quando Ariſt. aſſerit 3. de Anima text. 26. actum eſſe in eo, cujus eſt actus, intelligendus eſt, quod ſit in eo egreſsivè, non tamen quod in illo fit inhæſivè. Quia actio etiam eſt actus agentis, ut à quo, non tamen illius ut in quo. Et ſimilitèr quando D. Thom. *q.1. de Pot. artic.1. ad 1.* affirmat: Actionem tranſeuntem eſſe perfectionem agentis, explicandus eſt de perfectione agentis, ut à quo, vel egreſsivè; non tamen inhæſivè, & illius ut in quo.

2. colligitur. Quod quando D. Thom. *in 2. diſt. 40. q.1. art.4.* reſp. dicendum: *Quod cum actio ſit in agente, & paſsio in patiente, non poteſt eſſe idem numero accidens.* Loquitur de actione immanente, non verò de tranſeunte formalitèr. Nam ibi loquitur de malitia actionis Crucifigentium Chriſtum, quæ quidem licèt executivè fuerit actio tranſiens, imperativè tamen erat actio immanens, videlicèt actus malæ voluntatis Judæorum.

3. colligitur. Quod etiam D. Thom. loquitur de actione immanenti, quando 2. contr. gent. *cap.9.* aſſerit: *Quod actio, quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei, ſicut accidens ſubjecto*: Procedebat enim ibi de intelligere, & velle, quæ in ſolo Deo ſunt ejus ſubſtantia; in creaturis verò accidentia ſunt, & eodem modo *quæſt.9. de Pot. artic.9. ad 6. & quæſt.8. artic.2.* ubi ſimilia habet intelligendus eſt D. Thom.

In alijs verò locis, in quibus eandem doctrinam tradere videtur, ſolum intendit D. Thom. actionem ſumptam pro relatione agentis ad paſſum, ſubjectari in agente. Quod utique verum eſt: quia relatio agentis fundatur ſuprà actionem ſecundum conceptum *ab*. Et ita recipitur in agente, cui actio conceptum iſtum communicat. Vel poteſt D. Ang. explicari de actione ſecundum eſſe morale. Nam moralitas actus exterior tota deſumitur ab actu interiori voluntatis. Et idcò tota manet in agente, quamvis actio ipſa exterior phyſicè conſiderata, recipiatur in paſſo: quod utique qualitèr, & in quo ſenſu ſit intelligendum, ex antecedentibus, & ſubſequentibus, colligendum eſt. Et hæc de art. iſto, in præſenti text.20. & in 3. de Anima, & in 9. Metaphyſicæ ad Phyloſophum applicanda.

QUÆSTIO II.

De Infinito.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm à parte rei poſsit dari aliquod infinitum in actu?

§. I.

Senſus difficultatis apperitur.

SEcundum nominis ethimologiam illud dicitur infinitum, quod caret termino, & fine, ad differentiam finiti, quod finem, & terminum habet. Poteſt tamen aliquid eſſe infinitum abſolutè. Quod idem eſt, ac eſſe infinitum ſecundum ſuam eſſentiam. Sicut Deus, qui ſecundum ſuam eſſentiam, & in omni genere infinitus eſt. Poteſt inſuper aliquid eſſe infinitum in genere determinato v.g. ſecundum magnitudinem, ut ſi daretur quantum infinitæ extenſionis: vel ſecundum multitudinem, ut exercitus conſtans infinita hominum multitudine. Undè infinitum diffinitur eſſe *illud, cujus ſemper eſt aliquid extra accipere.* Id eſt in quo quacumque parte, vel perfectione aſsignata, adhuc tamen alia, & alia ſine termino aſsignabilis eſt.

Deinde infinitum aliud eſt in potentia quod infinitum ſyncathegorematicè nominatur, illud videlicèt, quod haber terminum in actu; in potentia verò terminum, & finem non habet. Sicut quantitas, quæ eſt diviſibilis in infinitum, & quacumque parte aſsignata, illa eadem in aliàs partes diviſibilis eſt. Infinitum verò in actu, quod infinitum cathegorematicè nominatur, illud eſt, *quod actualitèr terminum, & finem non habet*, ſicut Deus, cujus perfectio nullis clauditur terminis, ſed actualitèr infinita eſt.

De infinito ergò ſecundum ſuam eſſentiam in præſenti difficultas non eſt; ſed potius ſupponitur repugnare eſſentialitèr creaturam, quæ ſecundum eſſentiam ſuam infinita ſit. Cujus ea ratio eſt. Quia talis creatura eſſet ita perfecta, ſicut Deus. Et conſequentèr repugnat, ſicut repugnant plures Dij.

2. etiam prob. Quia quæcumque creatura compoſita ex genere, & differentia clauditur terminis ſecundum ſuam eſſentiam, videlicèt per terminum generis, & ſpecificæ differentiæ. Et conſequentèr limitata eſt ſecundum eſſentiam ſuam. Sed implicat creatura, quæ compoſita non ſit ex genere, & differentia: ergò implicat creatura infinita ſecundum ſuam eſſentiam. Prob. min.

Nam

Nam in quācumque creatura ejus eſſe diſtinguitur realitèr ab eſſentia. Nam ſolùs Deus eſt ſuum eſſe. Et ita non eſſe eſſentialitèr repugnat: ergò repugnat etiam eſſentialitèr creatura non compoſita ex genere, & differentia. Quia quotieſcumque eſſe diſtinguitur ab eſſentia, datur etiam compoſitio ex genere, & differentia.

Addimus. Talem creaturam forè infinitæ virtutis, ſicut eſſentiæ infinitæ. Et conſequentèr eſſet omnipotens, & poſſet omnia producibilia producere. Ac proindè ſe ipſam producere poſſet. Quod eſſentialitèr implicat.

Sed inſt. Virtus Dei ſimplicitèr infinita eſt: ergò poteſt producere effectum ſimplicitèr infinitum. Conſequentèrque erit poſsibilis creatura ſimplicitèr infinita, & ſecundum ſuam eſſentiam.

Reſp. diſt. conſ. Poteſt potentia non repugnante ex parte virtutis: conc. conſ. Ex parte effectus: neg. conſ. Quia licèt virtus Dei, eo quod eſt ſimplicitèr infinita, poſsit quantum eſt ex ſe effectum infinitum producere; repugnat tamen producere ipſum ex parte effectus creati. Nam effectum eſſe infinitum ſimplicitèr, & eſſe productum, vel ab alio, eſſentialitèr implicat.

Dices: Deus producere poteſt creaturam perfectiſsimam inter omnes poſsibiles. Sed creatura illa eſſet infinita ſimplicitèr, ſiquidem eſſet ultimum, quod poteſt infinita virtus Dei. Et conſequentèr debet eſſe infinita. Nam virtus Dei non poteſt exhauriri, & exercere ultimum poſſe in aliquo limitato, & finito: ergò poteſt Deus producere creaturam ſimplicitèr infinitam. Prob. maj. Quia Deus cognoſcit comprehenſivè omnes creaturas poſsibiles, & exceſſum repertum inter omnes, & quænam illarum perfectiſsima ſit. Aliàs non cognoſceret exceſſum perfectiſsimæ creaturæ. Et conſequentèr non attingeret omnem modum poſsibilem, cum ille exceſſus modus poſsibilis ſit: ergò poteſt Deus creaturam perfectiſsimam inter omnia poſsibilia producere.

Reſp. Deum poſſe producere perfectiſsimam creaturam poſsibilem, ſicut etiam illam cognoſcere: ex quo tamen non infertur virtutem Divinam exhauriri in aliquo finito, & limitato. Quia illa creatura producta, poteſt etiam Deus aliam, & aliam creaturam, uſque infinitum, licèt non ita perfectam producere.

2. reſp. Poſſe Deum cognoſcere perfectiſsimam creaturam, non tamen poſſe illam creaturam deſignare practicè, & effec-

tivè. Eò quod de ratione multitudinis infinitæ eſt quod in ea non poſsit ultima unitas deſignari, ſed quacumque parte aſſignata, alia, & alia aſsignabilis eſt.

Sed inſt. Nulla eſt creatura inter omnes poſsibiles, quæ non ſit producibilis à Deo: ergò poteſt Deus creaturam prefectiſsimam producere. Prob. ant. Nulla eſt creatura inter omnes poſsibiles, quæ poſsibilis non ſit: ergò nulla eſt, quæ non ſit producibilis. Quia creatura, quæ à Deo produci non poteſt, poſsibilis non eſt.

Reſp. diſt. ant. Producibilis in determinatè, & ſyncathegorematicè: conc. ant. Cathegorematicè, & determinatè: neg. ant. & ſub eadem diſtinctione: neg. conſeq. Quia inter omnes creaturas poſsibiles nulla eſt non contenta in Omnipotentia Divina. Et ita nulla eſt, quam Deus producere non poſsit ſyncathegorematicè, & in determinatè in potentia; non tamen poteſt perfectiſsimam in actu, & determinatè ponere.

Dices: ergò illa non eſt producibilis actu, & determinatè: ergò non eſt poſsibilis.

Reſp. diſt. 1. conſ. Determinatè, & actu ex parte continentiæ, & effectus: neg. conſ. Ex parte modi producendi: conc. conſ. Creatura namque perfectiſsima eſt producibilis determinatè, & in actu ex parte ſui. Quia creatura eſt, & ex parte Omnipotentiæ. Quia in ipſa continetur; non tamen ex parte modi continendi. Eo quod Omnipotentia Divina non continet illam creaturam, ut producendam ente alias creaturas, ſed ut producendam omni alia creatura producta. Quia eſt ultimum, quod poteſt Omnipotentia Divina. Et cum non poſsit omnem aliam creaturam in actu producere, propterea quod repugnat multitudo in actu infinita. Indè eſt quod non poſsit perfectiſsimam creaturam ponere in actu, repugnantia proveniente ex modo, quo talis creatura in Divina Omnipotentia continetur. Exemplum invenitur in ſecunda die, quæ abſolutè poſsibilis, & producibilis eſt, & tamen non poteſt Deus ante primam diem, ſecundam diem producere. Modo autem ſit.

§. II.

Secunda concluſio.

Repugnat potentia abſoluta corpus in extenſione infinitum.

COncl. hæc duplicem continet partem, unam de corpore naturali, & aliam de corpore mathematico à materia ſeparato, & à qualitatibus ſenſibilibus. Et quantum ad 1. partem

tem probant plurimi concl. Quia ad formam determinatam accidentia determinata finita, & limitata ſequuntur: inter quæ accidentia quantitas invenitur. Sed forma cujuſcumque corporis naturalis finita, & limitata eſt. Aliàs tale corpus haberet formam ſubſtantialem infinitam. Et conſequentèr eſſet infinitum ſecundum ſuam eſſentiam: ergò implicat corpus naturale, cujus quantitas, & extenſio infinita ſit.

Hæc tamen ratio nobis probare non poteſt. Quia D. Thom. 1. *part. quæſt. 7. artic. 3. in corp.* aſſerit: *Quod dato, quod corpus eſſet infinitum ſecundum magnitudinem, non tamen eſſet infinitum ſecundum eſſentiam. Quia ſua eſſentia eſſet determinata ad ſpeciem per formam*: ergò ſentit D. Thom. infinitam magnitudinem non arguere corpus eſſe infinitum ſecundum eſſentiam, & formam.

2. reijcitur ratio prædicta. Quia licèt accidentia, quæ ſequuntur ad formam finitam, debeant eſſe limitata, ſicut etiam ipſa forma; non tamen hoc verùm eſt de accidentibus, quæ non ſequuntur ad formam, ſed ſoìùm ab extrinſeco principio proveniunt. Nam talia accidentia cum forma commenſurari non debent: ergò poterit corpus finitum ſecundum formam habere quantitatem infinitam: non quidem à forma dimanantem; ſed potius in ipſo corpore à ſolo Deo productam. Quapropter hac ratione relicta.

Alitèr prob concl. Quia repugnat corpus naturale, quod moveri non poſſit motu aliquo naturali locali. Sed corpus infinitum non poſſet moveri motu aliquo naturali locali: ergò tale corpus repugnat. Prob. min. Tale corpus non poſſet moveri motu recto. Quia in tali motu relinquitur una pars loci, & acquiritur alia. Et illud corpus non poſſet unam partem deſerere, & acquirere aliam. Eo quod eſſet infinitum, & occuparet omnem locum. Rurſus: Illud corpus moveri non poſſet motu circulari. Nam in tali motu una pars tranſit ad locum alterius. Et in corpore illo non poſſet una pars tranſire ad locum alterius. Siquidem quæcumque pars eſſet infinitæ magnitudinis. Et ita inter partem, & partem daretur infinita diſtantia quantum ad terminos utriuſque, quæ diſtantia per motum per tranſibilis non eſt. Sed præter hos motus non eſt aſsignabilis alius motus localis naturalis: ergò illud corpus non poſſet motu aliquo locali naturali moveri.

Addimus. Quod quando lineæ uſque in infinitum pro trahuntur à centro, infinitè diſtant inter ſe ſecundùm ultima ipſarum,

rum. Et cum in corpore infinito lineæ pro trahantur à centro uſque in infinitum, ſicut ipſa corporis magnitudo, infinitè etiem inter ſe diſtabunt. Et ita nunquam poterit una tranſire ad locum alterius.

Reſp. Tali corpori infinito repugnare motum ab extrinſeco ſolùm; non tamen ab intrinſeco repugnare.

Sed contra eſt. Quia illud corpus ab intrinſeco moveri non poſſet; ergò ſolutio nititur falſo principio. Prob. ant. Illud corpus haberet ab intrinſeco impedimentum eſſentialitèr inconjungibile cum motu. Eo quod eſſet ab intrinſeco infinitum. Et ab intrinſeco haberet occupare omnem locum. Et hoc cum motu repugnat; ergò illud corpus non poſſet ab intrinſeco moveri.

Reſp. 2. Cœlum Empyreum non poſſe ab intrinſeco moveri, quia eſt ſedes beatorum, ſed potius illi motum ab intrinſeco repugnare. Et conſequentèr non implicare corpus, cui motus ab intrinſeco repugnet.

Sed contra eſt. Quia licèt poſſit dari corpus, cui motus ab intrinſeco connaturaliter repugnet, ut conſtat in Cœlo Empyreo, non tamen poteſt dari corpus, cui motus ab intrinſeco eſſentialitèr, & ſecundum potentiam obedientialem repugnet. Sed tale eſſet corpus infinitæ magnitudinis: ergò eſſentialitèr repugnat.

Loquendo autem de corpore mathematico probant plurimi concl. Quia repugnat quantitas, quæ non ſit terminata per aliquam figuram. Nam figura eſt proprietas quantitatis: ergò repugnat quantitas, quæ limitata non ſit. Eo quod figura eſt terminus quantitatis. Et conſequentèr quantitas figurata infinita non eſt. Nam infinitum terminum habere non poteſt.

Ad rationem tamen iſtam potentant reſpondere contrarij. Quantitatem de potentia abſoluta poſſe non habere figuram. Quia figura eſt paſsio quantitatis. Et paſsio de potentia abſoluta ab eſſentia ſeparabilis eſt. Et propterea.

Sub alia forma prob. 2. pars concl. Quia implicat quantitatem non exigere aliquam figuram. Siquidem figura eſt proprietas rigoroſa quantitatis. Et non poteſt aliqua eſſentia etiam de potentia abſoluta non exigere proprietates. Sed quantitas, quæ figuram exigit, neceſſario eſt limitata, & finita. Quando quidem figura eſt terminus quantitatis. Et res, quæ terminum habere petit, neceſſario finita eſt: ergò implicat dari quantitatem in extenſione infinitam.

§. III.

§. III.

Argumentis occurritur.

CONtra concl. arg. 1. Corpus habens infinitas partes quantitatis eſt corpus infinitum in actu. Sed continuum eſt corpus habens infinitas partes: ergò eſt infinitum in actu. Prob. min. Quia ſi continuum non haberet infinitas partes, non eſſet diviſibile in illas. Sed continuum eſt diviſibile in infinitas partes. Nam juxta Philo. proverbium, *continuum eſt diviſibile in ſemper diviſibilia*: ergò continuum habet infinitas partes.

Reſp. diſt. min. Infinitas ſyncathegorematicè, & in potentia: conc. min. In actu: neg. min. & conſ. In continuo namque non dantur infinitæ partes in actu, ſed ſolùm in potentia, quatenùs virtute agentis poteſt continuum dividi in plures partes, quarum quælibet eſt in potentia diviſibilis in alias, & aliàs partes uſque in infinitum, & ſine termino: ſicut ex materia 1. poſſunt fieri formæ ſubſtantiales, & ex illa educi uſque in infinitum; quæ tamen formæ de facto ſolùm in potentia in materia continentur.

Sed inſt. Prædictæ partes ſunt actualiter in continuo: ergò ſi ſunt infinitæ, ipſum continuum habebit infinitas partes in actu. Prob. ant. Partes, in quas continuum eſt actualiter diviſibile, ſunt actualiter diſtinctæ, & actualiter in continuo. Sed continuum eſt actualiter diviſibile in partes prædictas: ergò prædictæ partes ſunt actualiter in continuo. Min. cum conſ. tenet. Et maj. ſimiliter conſtat. Quia continuum non poteſt actualiter dividi, niſi in ea, quæ de facto, & actualiter habet.

2. inſt. Continuum habet infinitas partes in potentia: ergò poteſt habere infinitas partes in actu. Quia potentia, quæ fruſtranea non eſt, reduci poteſt ad actum.

Reſp. Ad 1. inſt. neg. ant. & ad prob. neg. maj. Quia continuum eſt actualiter diviſibile in partes ſolùm in potentia diſtinctas, & quas ſolùm continet in potentia. Nam ſicut ipſum poteſt actualiter dividi: ita partes, quæ per diviſionem fiunt, ſunt in potentia in ipſo, quod ſufficit, ut poſſit dividi in illas. Sicut materia poteſt actualiter recipere formam, quam ante receptionem ſolùm continet in potentia. Sed de his latius infrà dicemus de continuo diſputantes.

Ad 2. inſt. neg. conſ. Quia ſicut à potentia ad actum non valet: ita etiam non valet ab infinito in potentia ad infinitum in actu. Undè ex quo dentur in continuo infinitæ partes

in

in potentia, non infertur, quod dentur in actu.

Dices: Omnis potentia quæ non eſt fruſtranea reducibilis eſt ad actum. Reſp. Quod eſt reducibilis juxta modum effectus; non tamen contra talem modum. Cumque modus, & eſſentia continui ſit eſſe diviſibile in partes, quarum quælibet manet ultra diviſibilis. Indè fit, quod non poſſunt omnes partes ſimul eſſe, ſed ſolùm ſucceſsivè, & ſyncathegorematicè poſſunt infinitæ partes poni. Sicut dies eſt diviſibilis in omnes horas ipſius; non tamen in omnes ſimul exiſtentes. Quia omnes horas diei ſimul exiſtere eſt contra naturam, & eſſentiam illius.

2.arg. Linea, quæ defacto reperitur in quantitate, eſt infinita ſecundum longitudinem: ergò datur infinitum ſecundum magnitudinem. Prob.ant. Si daretur linea infinita ſecundum longitudinem, eſſet ejuſdem ſpeciei cum ea, quæ defacto in quantitate reperitur. Siquidem illa linea eſſet ſolùm diviſibilis ſecundum longitudinem, ſicut illa quæ defacto eſt: ergò etiam linea, quæ defacto reperitur, ſecundum longitudinem infinita eſt. Alias non eſſet ejuſdem ſpeciei cum altera. Quia finitum, & infinitum variant eſſentialiter ſpeciem.

Reſp. tamen. Quod ſi daretur linea infinita non poſſet habere figuram, quæ eſt terminus quantitatis. Et ita non eſſet ejuſdem ſpeciei cum linea, quæ defacto reperitur, cujus figura eſt proprietas.

Dices: Illa linea poneretur in prædicamento quantitatis, in quo omnis linea colocatur: ergò eſſet ejuſdem ſpeciei cum ea, quæ defacto reperitur. Quia omnes lineæ de prædicamento quantitatis ſpecificè conveniunt. Eo quod linea eſt ſpecies athoma ſub genere prędicamentali contenta.

Reſp. tamen facilè: diſt.ant. Modo repugnanti: conc. ant. Modo debito: neg ant. & conſ. Quia illa linea colocaretur in prædicamento quantitatis modo repugnanti, & contra naturam lineæ prædicamentalis. Eo quod linea prædicamentalis exigit habere figuram: & illa linea figuram habere non poſſet. Et ideò eſſet ſpecificè diverſa à linea, quæ defacto reperitur.

3. arg. Virtus Dei infinita eſt: ergò poteſt producere corpus magnitudine infinitum.

Reſp. diſt. conſ. Potentia virtutis: conc. conſ. Potentia facti: neg. conſ. Virtus namque Divina quantum eſt ex ſe poteſt producere corpus infinitæ magnitudinis: abſolutè tamen non poteſt. Quia repugnat ex parte facti, vel corporis propter rationes allatas.

Sed dices: Tale corpus eſſet

mobile aliquo motu locali: ergò non repugnat ex parte facti Propter rationes allatas. Prob. antec. Tale corpus eſſet mobile ſecundum aliquam partem. Si namque daretur v.g. canis infinitæ magnitudinis, quamvis non poſſet moveri ſecundum ſe totum; poſſet tamen movere pedem. Eo quod pes infinitus non eſſet: ergò tale corpus eſſet aliquo motu locali mobile.

Reſp. quamcumque partem illius corporis forè infinitam. Aliàs ex omnibus partibus non reſultaret infinitum. Quia finitum additum finito non facit infinitum. Et ita corpus illud non poſſet etiam moveri ſecundum aliquam partem. Modo autem ſit.

§. IV.

Secunda Concluſio.

Implicat à parte rei infinitum ſecundum multitudinem.

COncl. hæc prob. ratione D. Thom. 1. *part. quæſt.* 7. *artic.* 4. Quia implicat à parte rei multitudo non terminata per aliquam ultimam unitatem. Sed multitudo terminata per ultimam unitatem, finita, & limitata eſt. Eo quod in infinito nunquam poteſt ad ultimum perveniri: ergò implicat à parte rei multitudo, quæ infinita ſit. Prob. mâj. Implicat multitudo non contenta ſub aliqua ſpecie. Nam quidquid à parte rei invenitur, continetur ſub aliquo genere. Et conſequenter debet ſub aliqua ſpecie contineri. Sed ſolum ultima unitas dat ſpeciem numero. Nam numerus ſit ternarius, vel quaternarius, par, vel impar per ultimam unitatem: ergò implicat à parte rei multitudo non terminata per ultimam unitatem.

2. prob. concl. Quia quid producitur à parte rei, cadit ſub intentione determinata creantis, & producentis. Nam Deus per intentionem determinatam producit. Sed quod cadit ſub intentione determinata, finitum, & limitatum eſt. Siquidem ex vi talis intentionis coarctatur, & finitur: ergò implicat infinita multitudo.

Addo. Quod talis multitudo ex pluribus numeris finitis fieri non poteſt. Quia finitum additum finito non facit infinitum. Sed non poſſet etiam fieri ex pluribus infinitis: ergò implicatoria eſt.

Rurſus addimus. Multitudinem illam non poſſe à Deo numerari. Aliàs in illa multitudine perveniretur ad ultimum. Et conſequenter infinita non eſſet.

Reſp. Poſsibilem eſſe multitudinem, quam Deus numerare non poſsit. Quia ſi ab æterno mun-

mundum creaſſet, & per ſingulos annos uſque modo produxiſſet unam animam rationalem, modo eſſent infinitæ animæ rationales. Quia incorruptibiles ſunt. Et ita modo perſeverarent, & illas Deus numerare non poſſet.

Sed contra. Quia Deus non poſſet per ſingulos annos ab æterno uſque modo producere unam animam rationalem, ne produceret multitudinem non contentam ſub aliqua ſpecie. Sicut propter eandem rationem non poteſt ſimul omnia poſſibilia producere: ergò ſolutio nulla eſt.

§. V.

Argumenta ſolvuntur.

COntra concl. arg. Quia non implicat multitudo non contenta ſub aliqua ſpecie: ergò poſſibilis eſt. Prob. ant. Omnia præſentia, præterita, & futura ſunt infinita multitudo, non contenta ſub aliqua ſpecie. Et tamen ab æterno phyſicè exiſtunt in æternitate, ſicut 1. *p*, *q*. 14. & 4. communiter noſtri defendunt: ergò poſſibilis eſt multitudo non contenta ſub aliqua ſpecie. Et idem de omnibus cogitationibus Beatorum futuris per totam æternitatem, quæ infinitæ ſunt, & modo in æternitate exiſtunt.

Reſp. Multitudo exiſtens in menſura ſuperiori æternitatis: conc. ant. In propria menſura: neg. ant. Et ſub eadem diſtinctione: neg conſ. Æternitas namque eſt infinita in continendo, & menſurando. Et ideò omnia, quæ menſurantur ſucceſsivè per menſuras inferiores, ſimul etiã, & ſine aliqua ſucceſsione in æternitate continentur, & ab illa menſurantur. Sicut partes temporis, quæ ſibi invicem ſuccedunt, ſimul *ab* æternitate menſurantur. Et ita præſentia, præterita, & futura; quæ ſunt infinita multitudo, ſimul in æternitate exiſtunt; non tamen multitudo illorum ſub aliqua ultima unitate continetur.

Inſtabis. Dabilis eſt in æternitate multitudo, quæ ſit ſub aliquo genere, & non ſub aliqua ſpecie: ergò etiam in tempore noſtro dabilis erit multitudo contenta ſub genere, & non ſub aliqua ſpecie. Et conſequentèr erit dabibilis infinita multitudo. Quia ſi in æternitate non repugnat, non videtur aſsignabilis ratio, cur in tempore repugnet. Ant. verò prob. Quia multitudo illa ex præteritis præſentibus, & futuris in æternitate contenta ſub genere multitudinis continetur. Et non ſub aliqua ſpecie. Siquidem ultimam unitatem non habet: ergò ant. verùm eſt.

Reſp. tamen. Multitudinem illam

illam in æternitate contentam non eſſe ſub ſpecie. Cæterùm etiam ſub genere non eſt. Quia multitudo in æternitate exiſtens genus non habet.

Dices: Multitudo eſt ratio ſuperior ad multitudinem finitam, & infinitam, ut per ſe manifeſtum eſt. Nam de utraque prædicatur; ſed ſuperior non eſt tanquam ſpecies, vel differentia: ergò tanquam ratio generica.

Dices 2. In æternitate eſt dabilis multitudo non contenta ſub aliqua ſpecie, nec ſub aliquo genere: ergò etiam in menſura inferiori poterit dari multitudo iſta.

Reſp. ad 1. repl. Multitudinem eſſe rationem ſuperiorem analogam ad multitudinem finitam, & infinitam; ſicut menſura prædicatum analogum eſt ad menſuram infinitam, & finitam. Et ita multitudini infinitæ nullum eſt aſſignabile genus.

Ad 2. neg. conſ. Quia multitudo exiſtens in propria menſura exiſtit à parte rei extra cauſam infinitam. Et ita debet eſſe ſub aliquo genere, & ſub aliqua differentia propria. Nam res extra cauſam infinitam per proprium genus, & per propriam differentiam conſtituitur. Eo quod extra cauſas conſtituta habet proprium eſſe in ſe ipſa, quod aliud non eſt, quam genus, & differentia.

Secundò arg. Quia in continuo ſunt infinitæ partes: ergò datur infinitum in actu ſecundum multitudinem.

Reſp. ſicut anteà. Illas partes non eſſe infinitas in actu, ſed ſolùm in potentia. Et admiſſo eſſe infinitas in actu.

Reſp. 2. Illas partes non eſſe diverſas, & ſeparatas, ſed unitas, & per eandem exiſtentiam totius exiſtentes. Et ideò faciunt unicum ens, non tamen plura entia, nec multitudinem aliquam, quæ eſt pluriom, & diſcretorum aggregatio.

Sed inſt. Poteſt Deus continuum in omnes partes dividere, & illas ad invicem ſeparare: ergò poteſt facere multitudinem infinitam in actu.

Sed neg. ant. Quia Deus facere non poteſt contra rerum eſſentiam: & eſſentia cujuſcumque partis continui eſt, quod ſit ultra diviſibilis. Et ideò nunquam poteſt Deus totum continuum ſimul, vèl aliquam partem eius in omnes dividere partes.

Sed inſt. Unam partem eſſe unitam cum altera non eſt de eſſentia partis unitæ: ergo quamvis. Deus quamcumque partem ſeparet ab altera parte, non facit contra rerum eſſentiam.

2 Quidquid Deus facit, mediante cauſa ſecunda, poteſt facere, ſe ſolo. Sed Deus quamcumq;

cumque partem continui conſervat mediante unione cum alia: ergò poteſt illam ſine unione conſervare. Et conſequentèr unam ab alia dividere.

Reſp. ad 1. repl. diſt. ant. Cum altera parte determinata: conc. ant. Cum hac, vel illa: neg. ant. & conſ. Quia licèt de eſſentia unius partis non ſit eſſe unitam cum alia determinata, eſt tamen de eſſentia cujuſcumque partis, quod ſit unita cum una, vel alia parte. Aliàs diviſibilis non eſſet.

Ad 2. reſp. Deum poſſe facere ſe ſolo quidquid facit mediante cauſa ſecunda efficiente; non tamen mediante cauſa formali intrinſeca, & conſtitutiva rei: & unio cum aliqua parte vagè eſt prædicatum eſſentiale conſtituti vum cujuſcumque partis diviſibilis, & extenſæ exiſtentis in continuo. Inſtantia ſimilis eſt in rationalitate, qua mediante conſtituitur homo in eſſe rationalis. Et tamen Deus non poteſt ſine rationalitate facere hominem rationalem.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. diſcurſu infertur non poſſe dari à parte rei infinitum ſecundum intenſionem. Quia ſubjectum receptivum accidentis eſt finitum, & limitatum. Sed in ſubjecto limitato non poteſt recipi accidens intenſionis infinitæ. Quia ſubjectum limitat formam phyſicè in ipſo receptam. Eo quod forma recipitur juxta capacitatem ſubjecti finitam, & limitatam: ergò non poteſt dari accidens intenſionis infinitæ.

Reſp. contrarij. Rationem benè probare de accidenti, quod recipitur in ſubjecto; non tamen de accidenti, quod poteſt Deus creare, & conſervare ſine aliquo ſubjecto.

Sed contra eſt. Quia licèt Deus poſſit producere, & conſervare accidens ſine aliquo ſubjecto; non tamen poteſt ipſum producere, & conſervare ſine ordine ad ſubjectum, ut potens in illo recipi, & ex illo educi. Quia talis ordo eſt eſſentialis accidenti. Sed accidens intenſionis infinitæ non poteſt dicere ordinem ad ſubjectum finitum, & limitatum, ut potens in illo recipi. Siquidem accidenti intenſionis infinitæ repugnat eſſentialiter recipi in ſubjecto limitato, ut vidimus: ergò non poteſt Deus facere accidens intenſionis infinitæ.

Sed inſt. Gratia habitualis Chriſti eſt infinita intenſivè. Eo quod Chriſto concedenda eſt perfectiſſima gratia, qualis eſt gratia infinita: ergò non repugnat accidens intenſionis infinitæ.

Reſp.

Reſp. Gratiam Chriſti non eſſe infinitam in genere phyſico: ſed ſolum in genere moris. Quia Chriſto concedenda eſt gratia perfectiſsima conducens ad finem redemptionis, & ad dignitatem redimentis, qualis eſt gratia infinita in genere moris; non tamen gratia intenſionis phyſicè infinitæ, quæ eſſentialiter implicatoria eſt.

Dices 1. Gratia recipitur in potentia obedientiali animæ Chriſti. Sed talis potentia infinita eſt: Quia ſe extendit ad omne illud, quod contradictionem non implicat: ergò poteſt gratia phyſicè infinita recipi in anima Chriſti.

Secundò inſt. Cum naturalitate entitativa ſubjecti compatitur ſupernaturalitatis gratiæ: ergò cum limitatione ſubjecti compatitur gratiam eſſe infinitam. Et conſequenter quamvis ſubjectum limitatum ſit, poterit gratiam infinitam recipere.

Reſp. ad 1. neg. min. Nam potentia obedientialis ſolum eſt infinita ſyncathegorematicè. Quia poteſt accipere formas ſyncathegorematicè infinitas, id eſt, non tot, quin plures, vel quarum quælibet ſit infinita ſyncathegorematicè; non tamen potentia obedientialis eſt actu entitativè infinita. Et ideò non poteſt recipere formam intenſionis actualis infinitæ.

Ad 2. inſt. neg. conſ. Quia inter ſubjectum naturale, & formam ſupernaturalem invenitur proportio. Eo quod ſubjectum naturale ſecundum obedientialem potentiam capax eſt ſupernaturalis formæ, & per ipſam perfectibile: inter ſubjectum verò limitatum, & formam intenſionis infinitæ nulla proportio invenitur. Et ita diſpar eſt ratio. Inſtantia ſimilis eſt in ſubjecto naturali, in quo recipitur forma, quæ ſecundum eſſentiam ſuam ſupernaturalis eſt; & tamen infinita ſecundum eſſentiam non poteſt recipi in ſubjecto limitato, ut adverſarij fatentur. Et hæc de art. inſto, & de 3. Phyſicorum in præſenti text. 14. 18. 23. 34. & alijs concomitantibus ad Phyloſophum applicanda.

LIBER QUARTUS.

POSUIT quidem tempus, non in Sole tabernaculum; ſed in tenebris domicilium: & caligine circumfuſum eo aſcendit, quod caput inter nubila condit. Ut ita illius intelligentiam nulla inveſtigatio reperiret, nulla vigilantia divulgaret. Ariſtoteles tamen in præſenti libro noluit difficultatem tempris ſuo ſilentio obſcurare, & obſcuratam ſilere. Nè ſi talis Doctor explicationem omitteret, alios fallentia obtineret. Cur etiam loci tractatum adiunxit, qui omnia quanta cingit, & omnia corpora tangit, & dùm pedibus mutatur noſtris, ipſis diſcumbit in Aſtris. Ut ergò poſsit extenſionem, & menſuram utriuſque debilitas noſtra percurrere, adſit Thom. quem poſſumus, & debemus invocare, qui luminare maius Phœbus, & in æthere lampas, Eccleſiam defendit talis, & hæreticorum conculcat agmina plantis, qui erroris etiam fugat tenebras, & ſimul verberat umbras. Cumquo ſit.

QUÆSTIO I.

DE LOCO.

ARTICULUS I.

Vtrùm diffinitio Loci bona ſit?

§. I.

Impugnatis aliquorum ſententijs ſtatuitur affirmativa concluſio.

DAri locum in rerum natura, experientia ipſa teſtatur: cum videamus corpora moveri: moveri verò eſt mutare locum de uno ad alterum tranſeundo. Locus autem duplex eſt alius diffinitivus, qualis eſt locus Angeli, qui non continet locatum, ſed potius continetur ab illo. Alius verò eſt locus circunſcriptivus, qui continet, & circunſcribit locatum, quali eſt locus corporis extenſi. Et hic etiam alius eſt communis, qui non immediatè; ſed ſolam mediatè continet locatum, ſicut cella, vèl cubiculum eſt locus communis reſpectu noſtri. Quia continet nos, nos immediatè, ſed mediatè aere ambiente. Alius vero eſt locus proprius, & par-

particularis ; qui immediatè continet locatum ſicut aer, qui corpora noſtra immediatè circundat.

In quo tamen ratio loci conſtituta ſit, diverſimodè opinantur Authores. Aliqui namque conſtituunt locum in quodam ſpatio imaginario, in quo quaſi penetrativè eſt locatum. V. gr. quod locus terræ eſt quodam ſpatium imaginarium, quod inter terram, & aquam intercedit.

Hæc tamen ſententia falſa eſt. Quia quod non eſt : non poteſt continere locatum. Sed ſpatium imaginarium revera non eſt, ſed imaginatur eſſe : ergò non poteſt realitèr continere locatum, nec loci rationem habere.

Secundo impugn. Quia ſpatium imaginarium ſolum habet eſſe imaginarium : ergò ſolum poterit eſſe locus imaginarius: non tamen verus. Nam ſolum eomodo quod eſt, poteſt habere rationem loci.

Tertio impug. Nam corpus, quod eſt in loco, habet quantitatem extenſam in ordine ad locum, ut experientia teſtatur. Et propterea Corpus Chriſti non eſt propriè in Sacramento tanquam in loco. Quia ibi extenſum non eſt in ordine ad locum. Sed corpus non poteſt habere quantitatem extenſam ad ſpatium imaginarium. Quia habere quantitatem extenſam in ordine ad ſpatium, eſt habere quantitatem ſimul extenſam, & conjuncta cum quantitate ſpatij. Et ſpatium imaginarium quantitatem nullam habet : ergò ſpatium imaginarium verè locus non eſt. Quod etiam ſuadetur ex eo. Quod locus eſt aliquid reale : ſpatium verò imaginarium eſt purum nihil, & aliquid reale non eſt.

Alij verò locum conſtituunt in ſpatio verò, & reali immateriali tamen, quod cum corpore penetratur.

Sed hæc ſententia chymerica eſt. Quia conſtituit locum chymericum. Nam inter terram, & aquam nullum datur ſpatium verum, & reale etiam immateriale : ergò ſententia hæc locum chymericum ponit.

Deinde reijcitur. Quia locus continens rem corpoream debet habere quantitatem : cui quantitas corporis coextenſa ſit. Sed ſpatium immateriale quantitatem non habet : ergò non poteſt rem corpoream, tanquam locus continere.

Rurſus. Tale ſpatium non poteſt eſſe ſubſtantia, vèl accidens corporeum. Aliàs illud etiam eſſet in alio loco eiuſdem rationis, & illud in alio uſque in infinitum. Quod tamen dicendum non eſt.

Tandem. Spatium illud penetratur naturalitèr cum loco, ut adverſarij fatentur : ergò ſaltim non poteſt eſſe locus, de quo in

præſenti ſermo eſt. Nam in præſenti tantum loquimur, & inquirimus de loco qui cum corpore naturaliter penetrari non poteſt.

Alij autem dicunt: Locum conſiſtere in ubi quodam intrinſeco producto per motum localem.

Sed hoc etiam falſum eſt. Quia prius eſt corpus eſſe in loco, quam quod illud ubi reſulter. Ubi namque diffinitur circunſcriptione activa loci proveniens: ergò illud ubi nequit eſſe locus. Præterquamquod Locus non eſt in locato, ſed è contra, & illud ubi recipitur in ipſo corpore. Et ex his conſtat falſum eſſe alteram ſententiam conſtituentem locum in materia, vèl formi. Quia quando corpus movetur, mutat verè locum, & materiam, & formam non mutat, ſed potius illas conſervat, ſine quibus moveri non poſſet.

Dices: Locus eſt terminus, qui per motum localem acquiritur. Moveri namque eſt unum locum relinquere, & acquirere alium. Sed ſolum ubi per motum localem acquiritur: ergò habet rationem loci.

Reſp. diſt. mai. Terminus extrinſecus: conc. mai. intrinſecus: neg. min. & diſt. min. Tanquam terminus intrinſecus: neg. min. & conſeq. Quia per motum localem duplex terminus acquiritur, unus quidem intrinſecus, qui eſt ipſum ubi: & alius extrinſecus, à quo corpus continetur, & ſolum iſte ſecundus obtinet rationem loci.

Dices: In illo conſiſtit locus, à quo corpus denominatur locatum. Sed tale denominatur ab ubi: ergò in ubi conſiſtit locus.

Reſp. Denominationem locati aliam eſſe intrinſecam provenientem ab ubi, à quo corpus denominatur ubicatum intrinſecè: aliam eſſe extrinſecam provenientem ab exteriori corpore ambiente, & ſolum habet rationem loci illud, à quo provenit ſecunda denominatio.

His igitur ſtatutis clariſsimè conſtat locum conſiſtere ſolum in ultima ſuperficie corporis continentis locatum. Quia locus eſt illud, quod continet, & ambit corpus ſecundum omnem partem illius. Et ſolùm hoc habet ultima ſuperficies corporis exterioris circundantis, quæ quidem eſt contigua ſuperficie corporis contenti, & illi æqualis, ipſamque tangit ſecundum omnem partem illius. Unè Philoſophus in præſenti cap. 4. diffinivit locum: *Eſſe ultimum corporis ambientis immobile primum.* Quæ coincidit cum diffinitione communitèr aſsignata, videlicèt, *ſuperficies ultima corporis continentis, immobilis prima.*

Pro quo.

§. II.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Diffinitio prædicta bona eſt.

ASſignatam diffinitionem eſſe bonam prob. particulas explicando. *Superficies* namque ponitur loco generis non riguroſi, ſed ſubſtitutivè, eo modo quo in diffinitione cuiuſcumque concreti accidentalis ſubiectum ponitur loco generis; quatenùs ſuperficies eſt ſubiectum rationis formalis conſtituentis locum. Et ſicut ex corpore, & albedine reſultat album: ita ex ſuperficie, & ex ratione formali conſtitutiva loci, reſultat ipſe locus. Particula verò *ultima* indicat ſolum ultimam ſuperficiem corporis continentis habere rationem loci. Quia ſola immediate ambit corpus locatum, & adæquatur cum illo. Particula *immobilis* ponitur loco differentiæ, & excludit ſuperficies fluibiles, & mobiles, quæ non habent rationem loci, ut ſuperficies concava vaſis continentis aquam, & ſuperficies ambientis arborem in flumine fixam. Quia moveri eſt mutare locum, & aqua in vaſe contenta poteſt in vaſe moveri, quin ſuperficies concava vaſis mutetur: quod ſignum eſt ſuperficiem vaſis materialiter ſumptam non eſſe locum formaliter. Et propter rationem oppoſitam ſuperficies ambientes arborem in flumine finam rationem loci non habent. Eo quod ipſæ ſucceſsivè moventur. & arbor non mutat locum. Solum ergò illa ſuperficies, quæ in mobilis eſt ſecundum ordinem poſitionis in univerſo, & talem, vèl talem diſtantiam ad Polos mundi, & Centrum terræ obtinet rationem loci, ex qua quidem diſtantia tanquam ex forma, & ex ipſa ſuperficie ut ex ſubiecto reſultat locus formaliter. Particula verò *prima* denotat ſuperficiem habentem rationem loci eſſe immediatè coniunctam cum corpore locato, & primam quæ ad extra in ipſo corpore continente reperitur.

Dices: Talem ſuperficiam primam eſſe æqualem corpori locato: & ita non habere rationem loci. Quia non continet locatum. Et conſequenter debet eſſe maior. Eo quod res continens debet excedere rem contentam.

Sed contrà. Quia licèt continens ut *quod* debeat eſſe maius re contenta; hoc tamen neceſſarium non eſt in continente ut *quo*. Et ideò corpus continens debet eſſe malus corpore locato; ſuperficies verò ratione cuius continet ipſum adæquatè non debet eſſe maior; ſed potius alteri æqualis & con-

commenſurata : ergò ſolutio nulla eſt.

§. III.

Vnicum argumentum ſolvitur.

ARg. contra diffinitionem prædictam. Quia variantur ſuperficies loco formaliter invariato : ergò locus non poteſt in ſuperficie conſiſtere. Prob. ant. ſuperficies aquæ ambientis arborem in flumine fixam paſsim variantur. *Et* tamen locus arboris non variatur; ſed ſemper arbor in eodem loco manet : ergò variantur ſuperficies, loco formaliter invariato.

Reſp. tamen facile : diſt. ant. Variantur materialiter : conc. ant. Formaliter : neg. ant. & conſ. Quia ſuperficies ambientes arborem in flumine fixam non variantur ſecundum diſt. ad Pollos mundi, & Centrum terræ, ſed potius ſuperficies, quæ de novo venit, ſuccedit in eadem diſtantia. Undè ſuperficies illæ ſolum materialiter variantur; non tamen formaliter in ratione loci. Nam locus non conſiſtit in ſuperficie materialiter accepta, ſed in illa ſecundum determinatam diſtantiam.

Sed inſt. 1. Si locus pro ſubſtracto conſiſteret in ſuperficie, illa materialiter variata non maneret idem numero locus. Quia unitas numerica concreti accidentalis provenit à materia. Et ita variata materia non poteſt idem numero manere. Sed variata ſuperficie manet idem numero locus, ut conſtat in exemplo arboris iam adducto : ergò locus pro ſubſtracto non conſiſtit in ſuperficie.

2. Inſt. Si homo moveretur in navi verſus Occidens ad motum navis, & ipſe proprio motu cum æquali velocitate ſe moveret ad Oriens, ſemper maneret in eadem diſtantia ad Pollos. Nam quantum navis illum retraheret, tantum ipſe per motum proprium accederet. Et tamen mutaret locum. Siquidem verè moveretur : ergò locus non conſiſtit in ſuperficie ſecundum determinatam diſtantiam.

3. Deficiente diſt. ad Polos poteſt ſubſiſtere locus : ergò idem quod priùs. Prob. ant. ſi Deus deſtrueret Polos, ſicut poteſt, deficeret diſtantia ad illos. Quia deficiente termino diſtantis, deficit ipſa diſtantia. Et tamen corpus in illo caſu in eodem loco maneret : ergò deficiente diſtantia ad Polos poteſt ſubſiſtere locus.

Reſp. ad 1. repl. diſt. mai. Illa materialiter variata in ratione ſubſtracti : conc. mai. Materialiter, & in eſſe entis : neg. mai. & ſub eadem diſtinctione mi. neg. conſ. Quia ſuperficies non eſt ſubſtractum, & materia loci niſi

ut

at determinata per ſpecialem diſtantiam, ſub qua conſideratione tribuit loco numericam unitatem. Cumque diſtantia non varietur. Conſequens ſit non variari ſuperficiem ſecundum rationem ſubſtracti, & quatenùs præbet unitatem numericam. Et conſequentèr manere eundem numero locum.

Dices. Etiam diſtantiam variari in caſu prædicto. Quia diſtantia eſt reſpectus tranſcendentalis ad Polos, qui reſpectus identificatur realitèr cum ſuperficie, & alia variata variatur.

Reſp. Diſtantiam variari ſolum in eſſe entis, vèl ſecundum entitatem, non tamen formalitèr. Sic enim ſolum variatur per receſſum, vèl acceſſum ad Polos.

Dices: Reſpectus ille ad Polos variatur, ſicut ipſa ſuperficies, cum qua identificatur realiter: ergò variatur diſtantia ſecundum rationem reſpectus, & conſequentèr diſtantia ipſa variatur formalitèr.

Reſp. Etiam reſpectum variari ſicut ipſa ſuperficies; ſolum tamen variatur in eſſe entis, & de materiali præciſſe. Nàm reſpectus, qui ſuccedit connotat eundem terminum formalitèr. Et ita reſpectus ille idem formalitèr eſt cum reſpectu præcedenti. Propterea que manere debet idem receſſus, vèl acceſſus corporis ad Polos mundi, idem reſpectus, & eadem diſtantia formalitèr, & conſequenter idem locus permanebit.

Ad 2. repl. princ. neg. min. Quia ille homo non mutaret locum, nec localitèr movetur: ſed in eadem diſtantia ſemper maneret ad Polos, & ſe haberet ad modum ſaltantis elevando pedem poſt pedem in eodem loco, qui videtur motus localis, & revera talis non eſt. Quia nullus locus per talem motum mutatur, & acquiritur de novo.

Ad 3. inſtantiam reſp. Quod ſi Deus deſtrueret Polos, non manerent tamen Poli imaginarij, per ordinem ad quos attenderetur diſtantia, & ratio formaliſſima loci.

Dices: Diſt. realis conſtitutiva loci non poteſt pro termino aliquid rationis habere. Sed Poli imaginarij ſunt aliquid rationis: ergò in illo eventu non maneret diſtantia realis conſtitutiva loci.

Reſp. neg. mai. Quia diſtantia eſt reſpectus tranſcendentalis, qui non intrinſecè; ſed ſolum extrinſecè ſpecificatur à termino. Et ità diſtantia realis poteſt habere pro termino aliquid rationis, ſicut ordo realis habitus logicæ habet ens rationis pro termino. Et ſi diceretur, quod in illo eventu non maneret locus in præſenti diffinitus. Nihil inde contra tradditam doctrinam, quæ ſolum de loco, qui de fac-

facto eſt, & per talem diſtantiam conſtituitur, procedit.

§. Ultimus.

EX dictis colligitur 1. omnia corpora corruptibilia, tàm mixta, quàm elementa eſſe in loco, cum hac tamen differentia. Quod mixta poſſunt variare locum, ſicut piſces in aqua; elementa verò locum exigunt determinatum, ſicut terra aquam, à qua aerem, aer ignem, ignis verò concavum lunæ. Et idem de corporibus cœleſtibus mobilibus dicendum eſt, quæ etiam habent locum determinatum. Prima quippè ſphæra cœleſtis eſt in ſecunda tanquam in loco 2. in 3. & 3. in 4. uſque ad ultimam ſphæram; videlicèt Cœlum Empyreum, quod in loco non eſt. Quia poſt tale Cœlum non datur aliud corpus, in quo poſsit eſſe tanquam in loco; eſt tamen in potentia in loco ratione ſuarum partium. Quia de potentia abſoluta poteſt una pars ab altera ſeparari, & in alia tanquam in loco conſtitui.

Sed dices: ergò etiam ratione totius eſt in potentia in loco. Patet conſ. Quia poteſt Deus de potentia abſoluta aliquod creare corpus, in quo Cœlum Empyreum exiſteret tanquam in loco.

Sed neg. conſ. Quia talis potentia eſt valdè remota. Quia tale corpus de facto non eſt, ſicut potentia blictiri ad componendam propoſitionem, eſt valdè remota. Eo quod blictiri de facto ſignificationem non habet.

Dices 2. quod in ſententia Ariſt. ultima ſphæra eſt mobilis: ergò ſaltim ſecundum ſuas partes mutat diſtantiam: ergò ſaltim ſecundum partes erit in loco.

Reſp. Partes in hac ſententia mutare diſtantiam; non tamen illam mutare in aliquo corpore ambiente, & continente ultimam ſphæram, & hoc modo debebat mutare diſtantiam ut eſſet in loco.

2. Infertur ex dictis corpora aliqua habere loca connaturalia, in quibus naturaliter quieſcunt ſicut terra in aqua, lapides in centro. Ad rationem autem loci connaturalis requiritur ſymbolizare, & convenire in aliquibus qualitatibus, ſicut terra ſicca, & frigida eſt in aqua frigida, & humida: & aqua in aere humido, & calido: & aer in igne calido, & ſicco. Ratio verò conſtitutiva loci naturalis formaliter eſt ordo, & diſpoſitio univerſi iuxta corporum naturam. Et ideò terra, quæ inter elementa gravior eſt, omnium etiam infima eſt, & in aqua tanquam in loco. Et ſic de ſingulis aſſerendum. Et hæc de articul. iſto text. 33. 39 41. ad Philoſophum applicanda.

AR-

ARTICULUS II.

Vtrùm duo corpora poſsint eſſe penetrativè in eodem locò?

§. I.

Aliqua ſuponuntur.

COrpora aliqua penetrari, & ſic penetrata in eodem loco exiſtere, conſtitit in eo, quod utrumque corpus ſit extenſum in ordine ad locum, & ab utroque auferatur impenetrabilitas, quæ eſt effectus ſecundarius quantitatis: ità ut unum corpus intra alterum ſit, & utrumque ſimul ab eadem ſuperficie loci contineatur.

Supp. tamen talem penetrationem naturaliter fieri non poſſe. Quia impenetrabilitas eſt effectus ſecundarius quantitatis. Effectus verò ſecundarius quantitatis, & cuiuſcumque formæ connaturaliter cum illa connectitur. Et ita naturaliter ab ea ſeparari non poteſt.

Dices: Quod effectus ſecundarius poteſt naturaliter à forma ſeparari. Quia facere filium adoptivum eſt effectus ſecundarius gratiæ habitualis. Et naturaliter ſine aliquo miraculo ſeparatur ab illa, ut patet in Chriſto, quem gratia non conſtituit filium adoptivum: ergò ratio nititur principio falſo.

Reſp. Dupliceм eſſe effectum ſecundarium: alterum quidem proprium tertio modo convenientem ſoli formæ; non tamen ſemper, & in omni ſubiecto: ſed ſolùm in ſubiecto capaci: & talem effectum poſſe naturaliter à forma ſeparari, ſicut fecere filium adoptivum ſeparatur à gratia, & alij effectus in ſubiecto incapaci ſeparantur à forma. Alium verò eſſe effectum ſecundarium proprium quarto modo convenientem ſoli formæ ſemper, & in omni ſubiecto, & talem eſſe impenetrabilitatem quantitatis, & ita naturaliter ſeparari non poſſe.

2. Inſt. Duplici experientia, 1. in vaſe cineribus pleno, in quo recipitur tanta aqua, vèl parum minus, quam ſi cineres non haberet, quod ſignum eſt aquam cum cineribus penetrari.

2. Experientia eſt inferro candenti, in quo in eodem locò ferri exiſtit etiam ignis, ut ad ſenſum patet.

Sed hæc facilia ſunt. Quia cineres ſunt valdè poroſe, & inter illarum partes mediat aliquid, vèl multum aeris, qui expellitur quando aqua recipitur. Et ideò parum minus recipere poteſt, quam ſi cineres non habere.

Ad 2. experientiam dicitur: inferro cadenti eſſe etiam aliquas partes poroſas, à quibus expellitur aer, & introducitur ignis.

In puncto igitur principali 1. ſent. eſt negativa, cuius princeps Durand. in 4. diſt. 44. quem etiam alij ſequuntur. Alia Ang. Præcep. in eadem diſt. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. Et hæc eſt.

§. II.

Noſtra Concluſio.

De potentia abſoluta poſſunt corpora penetrari.

PRob. concl. noſtra ratione. Ablata impenetrabilitate poſſunt corpora penetrari Sed de potentia abſoluta poteſt impenetrabilitas auferri: ergò poſſunt corpora penetrari. Prob. min. Impenetrabilitas eſt effectus ſecundarius quantitatis: ergò poteſt de abſoluta potentia à quantitate ſeparari. Quia effectus ſecundarius non habet eſſentialem, ſed ſolùm connaturalem connexionem cum ipſa forma. Undè quia extenſio in ordine ad locum eſt effectus ſecundarius quantitatis, in Sacramento Euchariſtiæ ſeparatur à quantitate Chriſti extenſio prædicta. Conſequenterque effectus ſecundarius poteſt à forma ſeparari de potentia abſoluta. Ant. verò prob. ex his, quæ cap. de quantit. dicuntur in Logica. Ubi impenetrabilitas inter effectus ſecundarios quantitatis numeratur. Et rurſus. Quia impenetrabilitas ſequitur ad extenſionem in ordine ad locum. Sed talis extenſio eſt effectus ſecundarius: ergò idem, & potiori iure de impenetrabilitate dicendum.

His connotant facta, quæ in Sacra Scriptura numerantur, in qua dicitur nos habere Pontificem, qui penetravit Cœlos, Ieſum, & ipſe natus eſt tranſeundo per uterum virginis, ſalva corporali integritate. Et intravit Ianuis clauſis ad Diſcipulos in Emaus. Et cum lapide ſepulchri penetratus eſt.

Ad hæc reſp. Durand. Partes Virginis fuiſſe dilatatas, ut exiret Chriſtus, & ad Diſcipulos in Emaus introiſſe per feneſtram.

Sed contra. Quia ſi partes virginis dilatatæ fuerunt, non ſalvatur integritas virginis naturalis, ſicut non ſalvaretur integritas mulierum in ſtatu innocentiæ, quia partes dilatarentur in partu. Undè ſolutio Durandi fr vola eſt ſicut etiam altera, quæ ſubiungitur, non eſt digna impugnatione. Nam ut ait Gregor. Homil. 16. Quid mirùm, ſi clauſis ianuis poſt reſurrectionem ſuam in æternum iam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto virginis utero exivit.

§. III.

Argumentis occurritur.

ARg. 1. Corpus adæquatum cum loco excludit eſſentialiter aliud : ergò ſimul eſſe non poſſunt, etiam de potentia abſoluta Prob. ant. 1. Si duo corpora eſſent in eodem loco ſimul, haberent idem *ubi*. Sed idem ubi nequit eſſe in duplici corpore : ergò corpus adæquatum cum loco eſſentialiter excludit aliud.

Secundo prob. ant. Locus adæquatus corpori eſſentialiter excludit alium locum adæquatum reſpectu eiuſdem. Undè non poteſt idem corpus eſſe ſimul in duplici loco. Et una forma ſubſtantialis eſſentialiter aliam excludit ab eadem materia : ergò corpus adæquatum cum loco, alterum etiam eſſentialiter excludit.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. Idem *ubi* formaliter : conc. mai. Idem materialiter : neg. mai. & min. ſecundum eandem diſtinctionem. Quia idem ubi formaliter, materialiter tamen diverſum benè poteſt eſſe in duplici corpore, ſicut etiam corpora formaliter ſe habent per modum unius in ordine ad locum, & materialiter duo ſunt. Argumentum autem convinceret, ſi non eſſent duo *ubi* materialiter diſtincta.

Ad 2. prob. ant. r. ſp. diſt. ant. Alium per modum alterius, vèl non penetratum cum ipſo : conced. ant. Per modum unius, vèl cum ipſo penetratum : neg. ant. & conſ. ſub eadem diſtinctione. Licèt namque unus locus eſſentialiter excludat alium cum ipſo non penetratum ; non tamen excludit alium locum penetratum cum ipſo, & ſe habentem per modum unius in ordine ad continendum locatum, ſicut ipſa duo corpora penetrata ſe habent per modum unius formaliter ad repelendum unicum locum.

De altero exemplo latiſſima diſparitas eſt. Quia una forma ſubſtantialis non poteſt cum altera penetrari in ordine ad tribuendam eandem ſpeciem. Quia forma ſubſtantialis eſſentialiter habet ſpeciem communicare. Et ita quælibet forma debet ſpeciem præſtare. Undè materia eſſet in duplici ſpecie, quod implicat.

Sed inſt. Etiam impenetrabilitas eſſentialis eſt quantitati : ergò non poterit à quantitate ſeparari. Prob. ant. Effectus negatibus eſſentialis eſt formæ. Sicut obſcuritas fidei : & carentia irrationalitatis in homine. Sed impenetrabilitas eſt effectus negativus, qui conſiſtit in carentia alterius corporis, vèl non eſſe illius in eodem loco : ergò quantitati eſſentialis eſt.

Reſp.

Reſp. neg. ant. Ad prob. dist. mai. Effectus negativus fundatus in poſitivo primario: conc. mai. In poſitivo ſecundario: neg. mai. Et ſecundum eandem diſtinctionem minoris: neg. conſ. Quia effectus negativus, in quo conſiſtit impenetrabilitas fundatur in effectu ſecundario quantitatis, in eo videlicèt, quod ſuperficies unius corporis conſtituat ipſum extra aliud in ordine ad locum. Et ideò negatio, vèl excluſio alterius quantitatis eſſentialis non eſt, licèt negatio fundata in effectu poſitivo primario eſſentialis ût. Sicut in ipſa quantitatè negatio extenſionis in ordine ad ſe: & in ſubſtantia negatio entis in alio: & in homine negatio irrationalitatis: quæ fundatur in rationalitate, quæ tanquam differentia ſpecifica, & primaria ipſum hominem conſtituit.

Secundò arg. Implicat partes temporis, videlicèt præteritum, & futurum inter ſe penetrari. Alias eſſent ſimul præteritum, & futurum. Quod implicat: ergò etiam implicat duo corpora penetrari.

Reſp. neg. conſ. Quia præteritum, & futurum important eſſentialiter ſucceſsionem, & carentiam præſentis. Et ita penetrari non poſſunt. Alias præteritum, & futurum eſſent præſentia. Quod implicat. Corpora verò permanentia poſſunt exiſtere ſimul. Et ideò benè poſſunt penetrari.

Sed inſt. Sicut impenetrabilitas eſt effectus ſecundarius quantitatis in corpore permanenti: ita eſt effectus ſecundarius quantitatis in tempore. Quia effectus ſecundarius rationis communis ſolùm poteſt eſſe ſecundarius reſpectu ſpeciei. Et impenetrabilitas eſt effectus ſecundarius quantitatis in communi, abſtrahentis à quantitate corporis permanentis, & temporis, & aliorum: ergò ſi partes temporis penetrari non poſſunt, nec etiam poterunt duo corpora penetrari.

Reſp. aliqui. Impenetrabilitatem eſſe effectum ſecundarium quantitatis temporis; non tamen poſſe ab illa ſeparari. Eo quod tempus eſt ens eſſentialitèr ſucceſsivum.

Hæc tamen ſolutio reijcitur. Quia ſi impenetrabilitas eſt effectus ſecundarius quantitatis ſucceſsivæ; & tamen ab ea ſeparari non poteſt, non erit aſsignabilis ratio, cur effectus ſecundarius quantitatis permanentis poſsi ab ea ſeparari.

Rurſus. Si effectus ſecundarius quantitatis ſucceſsivæ non poteſt ab ea ſeparari, habebit effectus ſecundarius connexionem eſſentialitèr cum forma, & non ſolùm connaturalem: ergò ratio, qua concluſionem probabimus, nititur principio falſo.

ſo. Undè hac ſolutione relicta.

Alitèr reſp. Impenetrabilitatem non eſſe effectum ſecundarium quantitatis in communi abſtrahentis à quantitate permanente, & à quantitate ſucceſſiva; ſed ſolùm eſſe ſecundarium quantitatis permanentis, reſpectu verò quantitatis ſucceſſivæ eſſe effectum primarium, vèl in primario eſſentialitèr fundatum: in ipſa videlicèt differentia eſſentialis entis ſucceſſivi, quæ eſſentialitèr ſimultatem excludit.

Tertiò arg. Quantitas extenſa in ordine ad locum eſſentialitèr importat impenetrabilitatem cum altera quantitate: ergò non poſſunt duo corpora eſſe extenſa in ordine ad locum, & ſimul eſſe penetrata. Prob. ant. Quantitas extenſa in ordine ad locum eſſentialitèr eſt extra alteram quantitatem totalem: ſicut una pars quantitatis eſſentialitèr eſt extra alteram partem: ergò quantitas extenſa in ordine ad locum importat eſſentialitèr impenetrabilitatem cum altera quantitate.

Reſp. De eſſentia quantitatis totalis eſſe, quod ſit extra aliam in ordine ad ſe; non tamen in ordine ad locum. Et hoc erat neceſſarium, ut cum altera penetrari non poſſet.

Sed inſt. Quantitas extenſa in ordine ad locum eſſentialitèr debet eſſe extra alterùm in ordine ad locum: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Quantitas extenſa in ordine ad locum eſſentialitèr importat ſuperficiem extenſam in ordine ad locum. Sed mediante ſuperficie conſtituitur extra aliam in ordine ad locum. Quia effectus formalis ſuperficiei eſt conſtituere unam quantitatem totalem extra aliam: ergò quantitas extenſa in ordine ad locum eſſentialitèr debet eſſe extra alterùm in ordine ad locum.

Reſpondebis. Quod conſtituere unam quantitatem totalem extra alteram in ordine ad locum non eſt effectus primarius; ſed ſolùm ſecundarius ſuperficiei. Et ideò ab illa ſeparabilis eſt.

Sed inſtabis 1. Quia quantitas extenſa in ordine ad ſe habet pro effectu primario ponere unam partem extra aliam in ordine ad ſe: ergò quantitas extenſa in ordine ad locum habebit pro effectu primario unam quantitatem extra aliam ponere in ordine ad locum.

Secundò inſt. Eo modo corpora ſunt extenſa in ordine ad locum, quo partes ſunt extenſæ in ordine ad ſe. Sed implicat duas partes eſſe extenſas in ordine ad ſe, & unam extra alteram non eſſe in ordine ad ſe: ergò implicat eſſe extenſas in ordine ad locum, & unam extra alteram

ram non eſſe in ordine ad locum, ſed cum altera penetratam.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Quia unam partem eſſe extra alteram in ordine ad ſe eſt id, quod primo in quantitate intelligitur. Et ideò eſt effectus primarius à quantitate inſeparabilis. Eſſe verò unum corpus extra aliud non eſt, quod primò intelligitur in quantitate extenſa in ordine ad locum, ſed prius intelligitur eſſe commenſuratam cum loco, & illi coextenſam, & adæquatam, & cum ipſo phyſicè unitam; poſtea verò impenetrabilitas ſecundario conſequitur.

Ad 2. repl. dicimus: Quod, ut duo corpora ſint extenſa in ordine ad locum, neceſſarium eſt, quod partes cuiuſcumque corporis ſint extenſæ, & una extra aliam in ordine ad locum; non tamen neceſſarium eſt, quod partes unius corporis ſint extra partes alterius; ſed potius ſic extenſæ poterunt eſſe intra partes etiam extenſæ alterius corporis, & cum illis penetrari, ad eundem locum replendum, & occupandum.

Ex dictis infertur 1. Quod etiam partes unius corporis poſſunt penetrari inter ſe, & omnes ſimul cum unica parte proptèr eandem rationem, in quo eventu totum in ordine ad locum non excederet ſuam partem.

Secundo infertur. Impenetrabilitatem ſeparatam à quantitate non eſſe radicalem, & apatitudinalem, ſed ſolùm impenetrabilitatem actualem, vèl actualem expulſionem, quæ eſt effectus ſecundarius ſeparabilis à forma. Et hæc de art. iſto cum præcedentibus ad Philoſophum applicanda.

ARTICULUS III.

Verùm idem corpus poſſit eſſe ſimul in duplici loco?

§. I.

Difficultas apperitur.

SEcundum fidem certum eſt idem corpus poſſe eſſe in uno loco circunſcriptivè, & Sacramentalitèr in alio, ſicut Corpus Chriſti circunſcriptivè exiſtit in Cœlo, & in Hoſtia Sacramentalitèr. Et poſſe ſimul etiam Sacramentalitèr eſſe in pluribus hoſtijs Fide Catholica confitemur. Quapropter difficultas ſolùm de modo circunſcriptivo procedit. An videlicèt idem corpus circunſcriptivè poſſit eſſe in duplici loco ſimul? Et non de lege ordinaria; ſed ſolùm de potentia abſoluta difficultas iſta procedit. In qua parte Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 2. aſſerit: hoc eſſe poſsibile, & ipſi adhærent diſcipuli, quos etiam Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 48. ſect.

ſect. 4 & plures alij ſequuntur. Alij verò affirmant: Talem exiſtentiam corporis in duplici loco implicatoriam eſſe. Ita Ang. Præc. & omnes eius diſcipuli, & plures etiam extra Scholam D. Thom. Cum quibus ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Implicat idem corpus eſſe circunſcriptivè in duplici loco ſimul de potentia abſoluta.

CONcl. iſta eſt ad mentem Auguſt. lib. 10. contra Fauſtum, cap. 11. aſſerentem: poſſe Chriſtum ſimul eſſe in Cruce, & in Sole, & Luna: quem impugnat Auguſt. dicens impoſsibile eſſe, & loquitur de potentia abſoluta: nam de lege ordinaria illud implicare non dubitat hæreticus.

Eandem tradit D. Thom. quolibet. 1. art. 22. ad 1. per ea verba: *Vnum corpus eſſe localitèr in duobus locis implicat contradictionem.* Et quodlib. 3. art. 2. aſſerit: quòd ponere unum corpus localitèr in duplici loco, eſt ponere contradictoria eſſe ſimul.

Rurſus etiam in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. ad 4. ait: *Quod unum corpus eſſe ſimul localitèr in duobus locis, non poteſt fieri per miraculum*: Et rationem reddit infrà. *Sequeretur enim, quod eſſet diſtinctum in ſitu.* In quibus, & ſimilibus verbis concluſio, & rationes noſtræ expreſsè continetur.

Ratione autem prob. modo concl. Quia idem corpus eſſe circunſcriptivè in duplici loco ſimul, involvit contradictionem: ergò à Deo fieri non poteſt etiam de potentia abſoluta. Prob. ant. Quilibet locus in illo eventu eſſet locus adæquatus corporis, ut ſopponit: & non eſſet adæquatus: ergò idem corpus eſſe circunſcriptivè in duplici loco ſimul, involvit contradictionem. Prob. antec. quantum ad ſecundam partem. Locus adæquatus ille eſt, quem corpus non excedit, ſed adquat. Sed in illo eventu corpus excederet quemcumque ex illis locis: ergò nullus illorum eſſet corpori adæquatus. Prob. min. Corpus in illo eventu eſſet extra quemlibet illorum. Quia non ſolùm repleret unum; ſed etiam extra illum ſe extenderet, & etiam repleret alium: ergò corpus in illo eventu quemlibet illorum excederet.

Conſ. à pariate. Natura adæquatè terminata per unam perſonalitatem non poteſt de potentia abſoluta per alteram terminari. Et quantitas adæquatè figurata non poteſt terminari per alteram figuram: ergò corpus exiſtens circunſcriptivè in

uno

uno loco adæquato non poteſt in altero loco conſtitui.

Reſp. contrarij. Quod tale corpus eſſet in uno loco ſecundum potentiam naturalem, & in alio ſimul poneretur ſecundum potentiam obedientialem, quam habet, ut Deus in illo, & de illo faciat, quidquid ipſe voluerit. Et ideò corpus eſſe in duplici loco adæquato non conveniret illi ſecundum idem, ſed potius ſecundum diverſam potentiam. Ac proinde abſque ulla contradictione.

Sed contra eſt. Quia natura adæquatè terminata per unam perſonalitatem non poteſt etiam ſecundum potentiam obedientialem per alteram terminari. Et idem de quantitate adæquatè terminata per unam figuram: ergò corpus adæquatum cum uno loco non poteſt etiam ſecum potentiam obedientialem in alio loco conſtitui.

Secundò impug. Conſtituere corpus in loco eſt effectus quantitatis extenſæ in ordine ad locum in genere cauſæ formalis, ut per ſe manifeſtum eſt. Sed effectus, quem forma præſtat in genere cauſæ formalis, non poteſt ab ea procedere ſecundum potentiam obedientialem: ergò corpus adæquatum cum ſuo loco non poteſt etiam ſecundum obedientialem potentiam in alio loco conſtitui. Prob. [illegible] di ne ad ea, quæ excedunt facultatem naturæ. Sed effectus, quem forma præſtat in genere cauſæ formalis, non poteſt excedere facultatem naturalem illius: ergò nequit ab ea provenire ſecundum potentiam obedientialem, ſed ſolùm ſecundùm virtutem, & potentiam naturalem, & innatam. Prob. min. Effectus formalis formæ eſt ipſa forma ſecundum ſuum eſſe naturale, & proprium communicata ſubiecto: ergò non poteſt excedere facultatem naturalem illius. Undè quia calor ut quatuor non continet naturaliter niſi quatuor gradus caloris, non poteſt etiam de potentia abſoluta conſtituere ſubiectum calidum ut quinque: nec albedo ut duo poteſt facere album ut octo.

Reſp. Poſſe formam ratione potentiæ obedientialis præſtare aliquem effectum in genere cauſæ formalis. Quia anima rationalis eſt in potentia obedientiali ad animandum corpus in die reſurrectionis, & non in potentia naturali. Aliàs reſurrectio naturaliter eſſet poſsibilis. Et tamen animatio corporis provenit ab anima rationali in genere cauſæ formalis. Humanitas etiam conſtituit verbum hominem in genere cauſæ formalis: & tamen talem effectum non præſtat per virtutem ſibi connaturalem. Aliàs incarnatio eſſet [illegible] ordinem [illegible] Sed

Sed contra eſt. Quia licèt anima rationalis ſit in potentia obedientiali ad reunionem cum corpore, non tamen eſt in potentia obedientiali ad animandum corpus, ſed potius talem effectum præſtat ratione potentiæ naturalis. Quia unione præſuppoſita anima naturalitèr informat corpus, & communicat illi eſſe. Sicut etiam præſuppoſita unione humanitatis cum verbo ratione ſuæ potentiæ, & virtutis naturalis habet humanitas ipſum conſtituere hominem in genere cauſæ formalis: ergò nunquam verificatur effectum, quem forma præſtat in genere cauſæ formalis, ab ea procedere ſecundum obedientialem potentiam.

Secundò reſp. alij ad rationem principalem. Poſſe corpus eſſe ſimul in duplici loco ratione diverſæ præſentiæ. Quod contradictionem non implicat. Quia eſſet in uno loco adæquato ſecundum unam præſentiam, & ſecundum alteram in alio.

Hæc tamen ſolutio falſa eſt. Quia implicat effectum radicatum multiplicata radice: & effectum ſecundarium non multiplicato primario. Eo quod effectus ſecundarius eſſentialitèr à primario dependet, & adæquatur cum illo. Sed præſentia localis radicatur in quantitate ſaltim dependentèr à loco, & eſt effectus ſecundarius quantitatis: Ergò in eodem corpore, & eadem quantitate implicatoria eſt duplex præſentia localis, ratione cuius corpus poſsit eſſe in duplici loco ſimul.

Reſp. Non poſſe multiplicari præſentiam localem provenientem à quantitate, & in illa radicatam. Cæterum in caſu præſenti illa ſecunda præſentia non à quantitate, ſed potius ab extrinſeco, à Deo videlicèt proveniret.

Sed contra eſt. Illa ſecunda præſentia eſſet eiuſdem ſpeciei cum prima, & ſolo numero diſtingueretur ab ea. Sed in eodem corpore, & eadem quantitate non poteſt eſſe duplex præſentia localis ſolo numero diſtincta. Quia accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem numero ſubiecto: ergò repugnat illa ſecunda præſentia.

Addimus. Præſentiam non eſſe id, ratione cuius corpus conſtituitur in loco, ſed potius eſt quædam relatio, quæ conſurgit, ex quo corpus ſit in loco: & ita eſſe in loco præcedit ipſam præſentiam: ergò multiplicatio præſentiæ nihil conducit, ut corpus ſit in duplici loco, ſed antecedentèr ad præſentiam debet aliquid aſsignari. Quod non facit data ſolutio.

Secundò prob. concl. Si corpus eſſet in duplici loco, eſſet idem, ut ſupponitur. Et etiam non eſſet idem, ſed diviſum à

ſe

ſe ipſo, quod eſt contra rationem identitatis. Nam de ratione unius eſt eſſe indiviſum in ſe. Sed hoc contradictionem involvit: ergò idem quod antea. Prob. mai. quantum ad ſecundam partem primò. Quia tale corpus habet diverſas poſitiones partium in loco: ergò eſſet diviſum à ſe ipſo. Quia cum unitate reali ſtare non poteſt diverſa poſitio partium. Ant. prob. Tale corpus haberet diverſos ſitus: ergò haberet diverſas poſitiones partium in loco. Quia ſitus nihil aliud eſt, quam poſitio partium in loco.

Secundò prob. eadem pars mai. Tale corpus eſſet ſibi ipſi contiguum: ergò eſſet à ſe ipſo diviſum. Quia contigua non ſunt unum, & idem, ſed potius ſunt plura, quorum ultima ſunt ſimul. Ant. prob. Illa duo loca, in quibus corpus exiſteret, poſſunt eſſe contigua: ergò corpus exiſtens in illis eſſet ſibi ipſi contiguum.

Tertio prob. eadem pars. Tale corpus duplicem quantitatem haberet: ergò non eſſet idem. Quia in eodem corpore non poteſt duplex quantitas numero diverſa reperiri Ant. prob. Tale corpus haberet duplicem extenſionem in ordine ad locum. Siquidem haberet duplex eſſe in loco. Et eſſe in loco habetur per extenſionem localem: ergò haberet etiam duplicem quantitatem. Quia effectus ſecundarius quantitatis, qualis eſt extenſio localis, multiplicari non poteſt non multiplicata forma.

Reſp. contrarij. Formam eſſe principium univerſale reſpectu effectuum provenientium ab ipſa, ſicut potentia eſt univerſale principium reſpectu ſuorum actuum. Et ita de ratione formæ eſt maior univerſalitas, & minor multiplicatio. Conſequenterque poterunt effectus ſecundarij multiplicari, non multiplicata forma.

Sed contra eſt. Quia implicat multiplicari proprietates non multiplicata natura. Undè implicat in eadem anima duplex intellectus numero diſtinctus, & duplex potentia viſiva, vèl generativa in eadem natura, & idem de cæteris proprietatibus. Sed effectus ſecundarius ſe habet veluti proprietas formæ; ergò implicat multiplicari effectum ſecundarium non multiplicata forma.

Sec. impug. data ſolutio. Quia ad ſalvandam univerſalitatem formæ ſufficit formam habere plures effectus primarios, & ſecundarios diverſæ rationis. Sicut ad ſalvandam univerſalitatem naturæ ſufficit radicare proprietates diverſas: ergò ſalvatur univerſalitas formæ quamvis idem formaliter effectus ſecundarius multiplicati non poſſit,

ſic ; non multiplicata forma.

Tertiò impug. Quantitas corporis prædicti eſſet diviſa,& diſcontinuata. Sed quantitas diſcontinuata eadem eſſe non poteſt : ergò corpus illud haberet duplicem quantitatem. Prob. mai. Inter illam quantitatem ut exiſtentem in uno loco, & exiſtentem in alio , intercederent plura corpora per contractum poſitivum cum prædicta quantitate. Sed inter eandem quantitatem realiter non diviſam , & diſcontinuatam non poſſunt alia corpora mediare : ergò quantitas ipſa eſſet diſcontinuata , & ſe ipſa diverſa.

Dices: Quantitatem Chriſti exiſtentem in Cœlo , & in Sacramento eſſe realiter indiviſam. Et tamen inter illam ut exiſtentem in Cœlo , & in Sacramento plura corpora mediare.

Sed contra eſt. Quia corpora mediare , & intercedere propriè fit per phyſicum contractum cum altera quantitate extrema, quo modo inter quantitatem Chriſti exiſtentem in Sacramento corpora mediarè non poſſunt. Eo quod quantitatem exiſtentem in Sacramento nullum corpus tangere poteſt : ergò data ſolutio nititur principio falſo.

Tertiò prob. concl. Corpus, quod poteſt eſſe de potentia abſolutâ in duplici loco poteſt eſſe in infinitis , ſi eſſent. Sed corpus potens replere infinita loca , ſi eſſent , eſt formaliter infinitum in ratione locabilis. Eo quod erit in exhauribile in ratione locabilis , & repletivi locorum. Siquidem nullo loco exhauriretur eius virtus : ergò ſi corpus poſſet eſſe in duplici loco eſſet formaliter infinitum , quod implicat. Min. cum conſeq. tenet; & mai. prob. ex proverbio Philoſophi , quod adducit Cayet. 3. p. quæſt. 15. art. 1. ad 3. quod videlicèt : *Vbi pluralitas differentiam non facit nec illam faceret infinitas , ſi adeſſet* : ergò corpus, quod poſſet eſſe in duplici , vèl in pluribus locis, poſſet etiam in infinitis exiſtere. Sicut ſi aliqua perſona creata poſſet exiſtere in duplici natura , poſſet etiam eadem ratione in infinitis ſubſiſtere.

Reſp. Tale corpus poſſe eſſe in infinitis locis , non quidem propria virtute , ſed ſolum virtute divina , quod non arguit infinitatem.

Sed contra eſt. Eſſe in infinitis locis petit virtutem infinitam , & quantitatem inexhaibilem in ratione locabilis : ergò non poteſt corpus habere virtutem à Deo , ut ſit in locis infinitis: ſicut non poteſt creatura accipere virtutem à Deo ad creandum. Quia creare virtutem infinitam requirit.

Rurſus. Effectus, qui provenit à forma ingenere cauſæ formalis,

lis, non poteſt ab illa procedere virtute divina, ſed debet ab illa provenire ratione propriæ virtutis. Sed conſtituere corpus in loco proveniret à quantitate ingenere cauſæ formalis: ergò non poteſt idem corpus ſecundum eandem quantitatem eſſe in duplici loco per divinam virtutem, & de potentia abſoluta, ſi ſemel hoc evenire non poteſt de lege ordinaria.

Reſp. alij. Corpus eſſe in locis infinitis non arguere infinitatem in corpore. Quia Corpus Chriſti quantum eſt ex ſe poteſt eſſe ſub infinitis ſpeciebus abſque ulla infinitate.

Sed contra eſt. Quia licèt eſſe in infinitis ſpeciebus ratione diverſi principij, & quando ratio formalis eſſendi infinitè multiplicatur, non arguat infinitatem; illam tamen arguit eſſe in infinitis locis per eandem quantitatem, & rationem eiuſdem formæ. Sed Corpus Chriſti poteſt eſſe in infinitis ſpeciebus ratione converſionis diverſæ, & per principium diverſum, quod infinitè multiplicaretur, ſi Corpus Chriſti eſſet ſub ſpeciebus infinitis; Corpus verò eſſet in locis infinitis per eandem quantitatem: ergò licèt primum infinitatem non arguat, ſecundum tamen infinitatem importat.

Omittimus plura alia inconvenientia neceſſario conſequuta qualia ſunt illud corpus habere ſimul motus contrarios, ſurſum videlicèt, & deorſum, rectum, & obliquum, quæ non minus implicant, quam eundem intellectum ſimul aſſentiri, & diſſentiri, & eandem voluntatem amare ſimul, & odio habere. Et inſuper illud corpus in uno loco poſſet eſſe frigidum, & in alio calidum: in uno loco ſedere, & in altero ambulare, quod eſt moveri, & quieſcere ſimul, quæ contradictionem involvunt etiam de potentia abſoluta.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra concl. noſtram poterat in primis argui. Quod duplex corpus poteſt eſſe in eodem loco: ergò idem corpus poterit eſſe in duplici loco propter eandem rationem.

Reſp. Quod ſicut duplex corpus penetratum poteſt eſſe in eodem loco. Quia corpora penetrata ſe habent per modum unius formaliter: ità propter eandem rationem idem corpus poteſt eſſe in duplici loco, dummodo loca penetrentur.

Sec. poterat arg. Quod ſi Corpus Chriſti exiſteret circumſcriptivè in Sacramento Euchariſtiæ, eſſet in duplici loco ſimul,

mul in Cœlo videlicèt, & in Sacramento. Sed miraculum eſt Corpus Chriſti non eſſe circunſcriptivè in Sacramento, & ſolùm ibi eſſe modo indiviſibili: ergò miraculum eſt idem corpus non eſſe circunſcriptivè in duplici loco.

Reſp. diſt. min. Miraculum eſt abſolutè: conc. min. Ex ſuppoſitione quod circunſcriptivè exiſtat in Cœlo: neg. min. & conſ. Licèt namque abſolutè miraculum ſit Corpus Chriſti non exiſtere circunſcriptivè in Sacramento. Quia miraculum eſt quantitatem privari ſua extenſione locali. Ex ſuppoſitione tamen, quod exiſtat in Cœlo circunſcriptivè, non eſt miraculum. Quod eodem modo non exiſtat in alio loco, ſed potius neceſſarium eſt, & oppoſitum eſſentialitèr repugnant.

3. Poterat argui. Corpus Chriſti ſemper eſt in Cœlo circunſcriptivè. Et tamen aliquando circunſcriptivè fuit etiam in terra. Nam aliquando apparuit caro Sanctiſſima Chriſti localitèr extenſa in hoſtia. Et aliquando etiam Apoſtolis Petro, & Paulo corporalitèr apparuit: ergò idem corpus poteſt circunſcriptivè in pluribus locis exiſtere.

Reſp. tamen neg. min. & ad 1. 3. p. quæſt. 76. artic. 8. reſpondet D. Th. veram Chriſti carnem non poſſe in propria ſpecie apparere, niſi deſinat eſſe in Cœlo: carnem verò aliquando apparentem in hoſtia non eſſe veram carnem; ſed ſolum carnem apparentem quantum ad colorem, & alia, quæ divina virtute formantur in medio exiſtenti circa hoſtiam. Chriſtum etiam non in propria perſona apparuiſſe; ſed Angelum loco Chriſti: quod idem dicendum eſt de Sanctis, qui pluribus aliquando apparuiſſe dicuntur in loco diſtantiſsimo ab eo, in quo ipſi habitabant.

2. Poterat dici: Chriſtum aliquando in propria perſona apparuiſſe, tunc tamen in Cœlo non permanere, quod inconveniens non eſt. Quia quamvis Cœlum ſit ſedes propria, & in æternum aſſumpta, poteſt tamen Chriſtus ipſum aliquando tranſeuntèr, & pro morula brevi relinquere.

Dices: quod ſi hoc ita contingeret, perturbaretur lætitia beatorum, quam habent ex viſione corporis Chriſti, cuius præſentia pro morula brevi deficeret.

Reſp. tamen. Chriſtum ex illo loco, in quo apparebat, poſſe lætificare beatos. Non enim diſtantia localis impedire poteſt lætitiam beatorum, qui lumine gloriæ, vèl alio lumine infuſo etiam diſtantiâ intuentur.

4. Arg. Non multiplicata quantitate poteſt multiplicari

extenſio localis : ergò poteſt idem corpus ſecundum eandem quantitatem exiſtere in duplici loco. Prob. ant. 1. Invariata extenſione in ordine ad ſe poteſt variari extenſio localis. Quia quando quantitas rarefit occupat maiorem locum. Eo quod rarefactio eſt extenſio à minori ad maiorem locum, ſicut in cera calefacta videtur. Et tamen extenſio in ordine ad ſe non variatur. Aliàs quantitas realitèr eſſet diſtincta : ergò etiam non multiplicata quantitate poteſt multiplicari extenſio localis.

2. Prob. ant. Non multiplicata extenſione locali poteſt multiplicari præſentia localis, ut conſtat in corpore exiſtente ſucceſſivè in diverſis locis, in quo multiplicatur præſentia in loco, & non multiplicatur extenſio localis : ergò etiam non multiplicata quantitate poterit multiplicari extenſio localis.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad 1. prob. diſt. ant. Variatione accidentali, & modali : conc. ant. Variatione ſubſtantiali : neg. ant. & conſ. Quia quando quantitas rarefit ſolùm variatur extenſio localis accidentalitèr, & modalitèr. Eo quod partes per rarefactionem applicantur ad maiorem locum penes latitudinem; non tamen variatur extenſio localis ſubſtantialitèr, & entitativè. Quia nulla pars de novo ſuperadditur quantitati, & extenſioni præcedenti. Aliàs rarefactio eſſet augmentatio formalitèr.

Dices 1. Variatur extenſio localis accidentalitèr, quin varietur quantitas, & extenſio in ordine ad ſe : ergò poterit etiam extenſio prædicta variati ſubſtantialitèr non variata quantitate.

2. dices : Invariata quantitate poteſt eſſe in illa duplex extenſio localis numericè diſtincta : ergò invariata quantitate poteſt extenſio localis ſubſtantialitèr variari. Prob. ant. In eadem quantitate in variata dantur plures effectus ſpecificè diverſi, videlicèt extenſio in ordine ad ſe, & in ordine ad locum, & impenetrabilitas : ergò poterit etiam eſſe duplex extenſio localis diſtincta ſolùm numericè.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Quia extenſio localis ſubſtantialitèr, & entitativè ſumpta eſt effectus ſecundarius quantitatis, qui ut ſuprà vidimus, variari, & multiplicari non poteſt non multiplicata forma. Variatio verò accidentalis extenſionis eſt effectus proveniens ab extrinſeco alterante, & introducente qualitatem calidam, media qua partes formalitèr rarefiunt. Et ita poteſt extenſio localis accidentalitèr variari, non variata quantitate.

Ad 2. repl. neg. ſecunda conſ. Quia in eodem ſubiecto poſſunt eſſe

esse plura accidentia specificè distincta. Eo quod recipiuntur in illo secundum diversas virtualitates. Non tamen possunt esse plura accidentia, vèl extensiones locales solo numero distinctæ. Quia accidentia solo numero diversa recipiuntur in subiecto secundum eandem virtualitatem. Et consequentèr non essent duo, sed unum.

Rursus etiam. Quia unum principium vèl forma, licèt possit habere plures proprietates specificè distinctas; non tamen plures solo numero diversas: sicut eadem natura non potest radicare duplicem intellectum solo numero distinctum.

Ad 2. verò prob. ant. principalis resp. Quod in illo corpore successivè existente in pluribus locis variatur præsentia localis, non simul, sed successivè, & ad præsentiam localem successivè multiplicandam necessarium non est multiplicari entitativè extensionem localem; sed satis est diverso modo locari, & multiplicari situm, & dispositionem in loco, in qua dispositione diversa relatio etiam præsentiæ ad locum distincta fundatur.

Dices: Præsentia localis potest multiplicari successivè, non multiplicata extensione locali: ergò etiam simul poterit multiplicari.

Sed neg. cons. Quia præsentia localis est accidens receptum in extensione locali quantitatis, & duplex accidens solo numero distinctum potest esse successivè, non tamen simul in eadem quantitate. Quæ doctrina intelligenda est de extensione locali pro recto, & entitate. Nam si loquamur de illa pro connotato, & obliquo, etiam multiplicatur successivè, quando multiplicatur præsentia localis. Nam duplex præsentia localis importat essentialitèr esse in duplici loco successivè. Et consequentèr infert duplicem extensionem localem pro connotato, & obliquo.

5. Arg. Locus etsi adæquatus non excludit essentialitèr alterum adæquatum: ergò potest idem numero corpus esse simul in duplici loco. Prob. ant. 1. Vnum primum principium non excludit essentialitèr aliud. Quia principia entis naturalis in fieri sunt tria, & in facto esse duo: ergò unus locus adæquatus non excludit essentialitèr alterum.

2. Prob. ant. Vnum contrarium in gradu intenso non excludit alterum essentialitèr in sententia asserente: duo contraria in gradibus intensis posse simul esse de potentia absoluta: ergò idem de loco dicendum.

3. Prob. ant. Vna scientia adæquatè comprehensiva non excludit essentialitèr aliam. Quia natura humana Christi adæquatè terminata per subsistentiam

Verbi poteſt ſimul adæquatè terminari per ſubſiſtentiam Patris, & Spiritus Sancti: ergò idem quod prius.

5. Vna cauſa adæquata non excludit eſſentialitèr aliam, ſed poteſt idem numero effectus procedere à duplici cauſa totali ſubordinata: ergò idem de loco.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. Aliud in diverſo genere: conc. ant. in eodem genere: neg. ant. & conſ. Quia principia entis naturalis ſunt in genere diverſo privationis, principij activi, & paſsivi. Omnia verò loca ſunt eiuſdem ordinis in ratione loci circunſcriptivi, & eandem formam locativam reſpiciunt quantitatem videlicèt corporis contenti.

Ad 2. prob. neg. conſ. Quia unum contrarium non diffinitur per negationem alterius, ſed ſolùm importat illam ſecundariò: & effectus ſecundarius poteſt à Deo ſuppleri, vel à forma ſeparari. Locus verò adæquatùs eſſentialitèr importat æqualitatem cum corpore, & negationem exceſſus. Et ita primariò dicit negationem æqualitatis cum altero loco, ipſumque eſſentialitèr excludit.

Ad 3. reſp. Ex duplici ſcientia, quarùm quælibèt comprehendit obiectum, utramque eſſe adæquatam intenſivè; non tamen intenſivè, & extenſivè. Quia in utraque ſcientia eſt eadem virtus ſufficiens ad comprehenſionem obiecti. Quicumque verò locus adæquatus eſt intenſivè, & extenſivè adæquatus. Et ideò alterùm eſſentialitèr excludit. Quę ſolutio amplius ex dicendis conſtabit.

2. Reſp. Illam duplicem ſcientiam eſſe ſolùm materialitèr diſtinctam comparativè ad obiectum in ratione termini comprehenſi, & alia diverſitas ad comprehenſionem materialitèr ſe habet. Et ita utraque ſcientia ſe habet per modum unius, cuius oppoſitum contingit in loco. Quod argumentum ſolvendum eſt à contrarijs. Quia probat de facto idem corpus poſſe eſſe in duplici loco adæquato, ſicut idem obiectum comprehenditur defacto per duplicem ſcientiam.

Ad 4. prob. reſp. In omni ſubſiſtentia divina eſſe eandem virtutem infinitam terminandi, Et ita quælibet eſt ſolùm intenſivè adæquata; non tamen intenſivè, & extenſivè. Eo quod in alia ſubſiſtentia remanet etiam virtus infinita ad terminandum ſecundum propriam, & peculiarem rationem. Sicut quia in omnibus Filijs eſt eadem virtus ad terminandam relationem Patris, nullus illorum eſt terminus adæquatus intenſivè, & extenſivè, ſed eadem relatio Patris ſimul

re-

refertur ad omnes, & quocumque deficiente, eadem relatio perſeverat. Aliam ſolutionem dedimus ſuprà de cauſa totali diſputantes, quam repetere non licet.

Aliam tamen ſolutionem de novo addimus. Triplicem videlicèt ſubſiſtentiam poſſe terminare eandem naturam. Quia ſubſiſtentiæ divinæ in ordine ad terminandum ſubordinatè concurrunt, non quidem ſubordinatione imperfectionis, & dependentiæ, ſed proceſſionis, & originis. Eo quod Filius à Patre: & Spiritus Sanctus ab utroque procedit.

Dices: Filius non terminat naturam humanam ut Patri ſubordinatus: Aliàs etiam Pater incarnaſſet. Sicut quia homo producit hominem tanquam cauſa ſubordinata Deo, etiam Deus concurrit ad hominem producendum: ergò ſolutio nulla eſt.

Reſp. diſt. ant. Patri ut terminanti: conc. ant. Petri ut notionaliter producenti: neg. ant. & conſ. Licèt namque Filius de facto terminans humanitatem non ſubordinetur Patri, ut actualiter, & exercitè terminanti; ſubordinatur tamen illi, ut producenti, & tanquam primo principio originis, & proceſſionis, quæ ſubordinatio ſemper perſeverat. Et ideò ſufficit, ut ſimul concurrere poſſint ad eandem naturam terminandam; ſubordinatio autem hominis ad Deum eſt ſubordinatio dependentiæ, & præmotionis, & ita Deus ſimul cum homine concurrere debet ad effectum producendum.

Ad 3. prob. reſp. Quod inter cauſas totales ſubordinatas, quælibet producit effectum ſub ratione diverſa; v. gr. homo ſub ratione hominis, & Deus ſub ratione entis. Et ideò mirùm non eſt, utramque ſimul concurrere. Locus verò adæquatus ſub omni ratione locabili eſt ultimus terminus, & adæquat locatum. Et propterea corpus locatum non poteſt extra illum locum exiſtere, & in altero collocari. Et argumentum ſolvendum eſt à contrarijs, ſiquidem probat de facto. Nam idem numero effectus à duplici cauſa totali ſubordinata de facto procedit.

Dices: ergò poterit etiam idem corpus à duplici loco adæquato ſubordinato contineri.

Reſp. neg. ſuppoſitum conſequens, videlicèt quod inter loca adæquata poſsit ſubordinatio reperiri.

Sed contra. Quia locus terræ ſcilicèt aqua ſubordinatur aeri: & aer igni. Et ſic de cæteris: ergò verum eſt ſuppoſitum.

Reſp. diſt. ant. Subordinatur materialiter: conc. ant. Formaliter: neg. ant. & conſ. Locus namque formaliter in ratione

loci, & ultimi termini non ſubordinatur alteri. Quia locus eſt ultima ſuperficies immobilis prima, quod non convenit igni reſpectu terræ. Undè locus terræ ſolùm materialitèr ſubordinatur igni,

Dices: Vltimum terminum poſſe alteri ſubordinari formalitèr., & intra eandem lineam. Quia intra lineam ſubſiſtentiæ, abſoluta ſubſiſtentia ordinatur ad relativam: ergò locus formalitèr poteſt alteri ſubordinari in ratione ultimi termini.

Reſp. tamen facilè. Subſiſtentiam abſolutam, & relativam non eſſe in eadem linea, ſed potius in diverſa, una abſoluta, & altera relativa. Et ita poteſt abſoluta ad alteram ordinari.

Tandem arg. fundamento, in quo ſententiæ contrariæ maximè fidit. Quia non repugnat idem numero corpus eſſe circunſcriptivè in uno loco, & Sacramentalitèr, vèl indiviſibilitèr in alio. Vt conſtat in Corpore Chriſti, quod exiſtit in Cœlo circunſcriptivè, & modo indiviſibili ſimul exiſtit in Sacramento: ergò non repugnat idem corpus circunſcriptivè eſſe ſimul in duplici loco.

Reſp. neg. conſ. Et 1. ratio diſcriminis eſt. Quia, ut corpus ſit in duplici loco circunſcriptivè, requiritur, quod eſſe in loco, vèl extenſio localis multiplicetur realitèr non multiplicata quantitate. Et effectum ſecundarium multiplicari non multiplicata forma eſſentialitèr repugnat. Vt tamen corpus ſit in uno loco circunſcriptivè, & in alio Sacramentalitèr, non requiritur duplex extenſio localis: ſed ad primum ſufficit quantitas cum propria extenſione locali: & ad ſecundum ſufficit etiam eadem quantitas, & converſio Sacramentalis, ratione cuius ſubſtantia panis convertitur in ſubſtantiam Corporis Chriſti.

2. Ratio diſcriminis eſt. Quia locus circunſcriptivè adæquatus eſſentialitèr importat æqualitatem cum corpore in linea circunſcriptiva. Et conſequentèr dicit negationem exceſſus. Et ideò corpus non poteſt excedere locum prædicto modo adæquatum, & in altero colocari circunſcriptivè: benè tamen indiviſibilitèr. Quia in hoc genere non erat corpus cum primo loco adæquatum.

Sed Inſt. Adæquatio cum loco circunſcriptivo non tollit, quod idem numero corpus eodem modo ſit in altero loco: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. ant. 1. Adæquatio accidentis cum ſubiecto proprio non tollit, ut ſimul ſit in extraneo ſubiecto: ergò idem de corpore dicendum. Prob. ant. Adæquatio accidentis cum ſubiecto proprio non tollit, quod accidens ſit ſine illo, ſicut conſtat in accidentibus Eucha-

chariſtiæ, quæ ſine proprio ſubiecto inveniuntur : ergò non tollit etiam, quod accidens ſit in extraneo ſubiecto.

2. Prob ant. Adæquatio Corporis Chriſti cum hac numero Hoſtia Sacramentalitèr non tollit, quod ſimul Sacramentalitèr ſit in altera Hoſtia. Quia Corpus Chriſti adæquatè Sacramentalitèr eſt in pluribus Hoſtijs, quæ in Sacrario continentur, & totum in toto, totumque in qualibet parte : ergò adæquatio cum loco circunſcriptivo non tollit, quod Corpus eodem modo in altero loco ſit.

3. Prob. ant. Mirabilius eſt unum Corpus eſſe in uno loco circunſcriptivè, & in alio Sacramentalitèr, quam eſſe in duobus circunſcriptivè. Sed primum non impedit adæquatio : ergò nec ſecundum.

4. Difficilius eſt Corpus eſſe in uno loco circunſcriptivè, & cum modo connaturali, & in alio Sacramentalitèr abſque modo naturali, quam eſſe in duplici loco circunſcriptivè, & cum duplici modo naturali : ergò ſi primum non impedit adæquatio, ſecundum impedire non poteſt.

5. Adæquatio cum loco circunſcriptivo non tollit corpus exiſtere extra talem locum. Quia Corpus Chriſti eſt circunſcriptivè adæquatè in Cœlo, & ſimul eſt extra Cœlum in Sacramento Euchariſtiæ : ergò adæquatio cum loco circunſcriptivè non tollit, quod corpus eodem modo ſit in altero loco.

Reſp. ad repl. neg. duo ant. 1. Et ad prob. neg. conſ. Quià accidens non dependet eſſentialitèr à ſubiecto proprio. Eo quod ſolum conſtituitur accidens per ordinem ad ſubiectum non verò per exiſtentiam in illo. Et ideò poteſt ſine proprio ſubiecto reperiri : ex ſuppoſitione tamen quod habeat proprium ſubiectum, non poteſt eſſe in ſubiecto extraneo. Quia individuatur à ſubiecto proprio. Et ita non poteſt in extraneo conſtitui. Aliàs eſſet idem, & non eſſet idem. Quod implicat. Conſequenterque cum proprio ſubiecto eſſentialitèr adæquatur.

Ad 2. prob. reſp. Corpus Chriſti ſolum adæquari Sacramentalitèr cum hac numero Hoſtia intenſivè, non tamen intenſivè, & extenſivè. Quia Corpus Chriſti ponitur in hoſtia ratione converſionis Sacramentalis. Et in omnibus converſionibus eſt formalitèr eadem virtus converſiva ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti. Qua propter qua cumque converſio, & ſimilitèr quælibet hoſtia eſt tantum intenſivè adæquata reſpectu Corporis Chriſti. Sicut quilibet filius eſt tantum terminus adæquatus intenſivè relationis Patris. Quia in omnibus

bus illis eſt eadem filiatio formaliter, eadem etiam formaliter generario paſsiva. Et conſequenter eadem ratio terminandi.

Addimus Corpus Chriſti eſſe Sacramentaliter in pluribus hoſtijs ratione diverſæ converſionis, quod contradictionem non implicat; corpus verò eſſet in loco per eandem quantitatem, & localem extenſionem. Et ità eſſet idem, & non idem.

Ad 3. prob. neg. conſ. Quia licèt ſit mirabilius; minorem tamen repugnantiam importat. Sicut mirabilius eſt naturam humanam ſubſiſtere per triplicem ſubſiſtentiam Divinam, quam per triplicem ſubſiſtentiam creatam. Et tamen primum poſsibile eſt, ſecundum verò eſſentialiter repugnat.

Ad 4. prob. neg. mai. Quia ad primum requiritur multiplicari effectum ſecundarium non multiplicato primario, quod eſſentialiter implicat: ad ſecundum verò ſatis eſt ſupperaddi converſionem Sacramentalem, ratione cuius corpus modo indiviſibili, & ſine modo connaturali ponatur in hoſtia, virtute divina principaliter operante.

Ad 5. diſt. ant. Extra talem locum Sacramentaliter: conc. ant. Circunſcriptivè: neg. ant. & conſ. Quia adæquatio circunſcriptiva eſſentialiter importat in genere iſto æqualitatem, & negationem exceſſus. Et ita tollit, quod corpus non poſsit eſſe circunſcriptivè extra talem locum; non tamen quod non poſsit eſſe Sacramentaliter. Quia adæquatio circunſcriptiva cum loco non dicit negationem exceſſus in alio genere, videlicèt in genere Sacramentaliter exiſtendi.

Dices: Corpori exiſtenti Sacramentaliter non repugnat prout ibi exiſtere circunſcriptivè. Sed adæquatio cum loco circunſcriptivo non tollit, quod corpus ſit in alio Sacramentaliter: ergò non tollit, quod poſsit eſſe in alio circunſcriptivè. Minor cum conſ. tenet, & prob. mai. Corpori exiſtenti Sacramentaliter cum ſua quantitate non repugnat extenſio localis. Quia cui convenit forma, non poteſt effectus ſecundarius repugnare: ergò corpori Sacramentaliter exiſtenti non repugnat prout ibi exiſtere circunſcriptivè, & coextenſo cum loco.

Reſp. ramen. Quod corpori exiſtenti Sacramentaliter prout ibi repugnat extenſio localis. Nam cui convenit forma ſub aliquo modo ſpeciali, & in aliquo ſubiecto, poteſt effectus ſecundarius repugnare ut conſtat in gratia habituali, cui prout in Chriſto repugnat filium adoptivum conſtituere.

§.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis infertur 1. quod ſi quantitas panis converteretur in quantitatem corporis Chriſti ſimul cum extenſione locali, eſſet Chriſtus in Euchariſtia circunſcriptivè; non tamen eſſet in Cœlo, nec poſſet eſſe in pluribus hoſtis.

2. Infertur quantitatem non poſſe continere corpus in loco ratione potentiæ obedientialis. Eo quod effectus proveniens à forma in genere cauſæ formalis, non poteſt ab illa ratione potentiæ obedientialis provenire, ut in art. diſcurſu probavimus, ſolutiones contrariorum impugnantes.

Dices: Formam ſublunarem de potentia abſoluta poſſe informare materiam Cœleſtem; quod tamen præſtare non poteſt per potentiam naturalem. Aliàs Cœlum poſſet naturaliter amittere ſuam formam. Et conſequenter eſſet naturaliter corruptibile. Sed informatio provenit à forma in genere cauſæ formalis: ergò doctrina nulla eſt.

Reſp. neg. mai. Quia forma actuare non poteſt materiam non contentam intra ſuum ambitum, nec ab illa ſpecificatam, & materia ſublunaris non ſpecificatur à forma Cœleſti.

Secundò reſp. Formam ſublunarem ſemel unitam, & applicatam materiæ Cœleſti illam naturaliter informare, & non ratione potentiæ obedientialis. Quia tamen non poteſt illi naturaliter applicari, propterea Cœlum naturaliter corruptibile non eſt.

Dices: Sicut intellectus naturaliter non poteſt Deum clarè, & intuitivè videre, ita forma ſublunaris non poteſt naturaliter materiam Cœleſtem actuare. Et tamen intellectus ratione potentiæ obedientialis poteſt elevari ad Deum intuitivè videndum: ergò poterit etiam ſublunaris ad materiam Cœleſtem actuandam elevari.

Sed juxta 1. ſolutionem negatur conſ. Quia Deus clarè viſus continetur intra objectum ſpecificativum intellectus. Et ideò poteſt intellectus ad Deum clarè videndum elevari. Materia verò Cœleſtis non ſpecificatur à forma ſublunari, nec intra illius ambitum continetur. Et ideò diſpar eſt ratio.

Secunda ratio diſcriminis eſt: Quia cauſa efficiens elevari poteſt in ordine ad effectum excedentem vires naturales illius. Et ita elevatur intellectus. Cauſa verò formalis ſolùm cauſat ſe ipſam communicando. Et ideò nequit effectum præſtare, quem non

non continet propria virtute, & ratione ſuæ naturalis potentiæ. Et hæc de art. iſto cum præcedentibus ſimul ad Philoſophum applicanda.

QUÆSTIO II.

De Vacuo.

ARTICULUS UNICUS.

Vtrùm corpus poſsit moveri per vacuum?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur concluſio.

IN art. præſenti præmittendum eſt vacuum alterum eſſe negativum, & alterum privativum. Negativum illud eſt, quod non continet corpus, nec illud continere valet. Eo quod eſt purum nihil, ſicut ſpatium imaginarium, quod eſt ſupra omnes Cœlos, & erat antequam mundus fieret, aut formaretur terra, & orbis. Vacuum verò privativum non continet aliquod corpus, illud tamen continere poteſt. Vndè communiter diffinitur: *Locus non repletus corpore.* In qua diffinitione particula illa *locus* ponitur loco generis. Per aliam verò particulam diſtinguitur vacuum privativum à loco, in quo corpus actualiter continetur.

Secundò ſupponendum eſt vacuum privativum non poſſe naturaliter, & de lege ordinaria reperiri. Quia eſt inutile ad bonum univerſi, vèl alterius rei in univerſo exiſtentis. Et conſequenter eſt fruſtraneum, & naturaliter dari non poteſt. Quia Deus, & natura nihil faciunt fruſtra.

Reſpondebis tale vacuum eſſe utile ad motum. Quia ſi vacuum non eſſet, non poſſent corpora moveri, niſi unum penetraretur cum alio, quod naturaliter fieri non poteſt.

Sed contra eſt. Quia ut corpora moveantur, ſatis eſt, quod partes aeris condenſentur: ergò vacuum ad motum neceſſarium non eſt.

Dices: Partes aeris tantum condenſari non poſſe, ut ſimul plura corpora moveantur, & ut pluvia magna; v. gr. de nubibus ad terram deſcenda.

Sed contra eſt. Quia partes aeris rariſsimæ ſunt. Conſequenterque poſſunt ita condenſari, ut plura corpora ſimul, & plurima alia moveantur.

Secundò prob. ſuppoſitio noſtra. Quia vacuum impedit bonum naturæ: ergò eſt contra naturam. Et conſequenter naturaliter dari non poteſt. Prob. ant.

ant. Impedit influxum Cœlorum in hæc inferiora: quod eſt maximum bonum naturæ. Siquidem per talem influxum corpora inferiora reguntur, & conſervantur: ergò impedit naturæ bonum. Prob. ant. Ut influxus Cœlorum ad inferiora deſcendant debent corpora inferiora eſſe coniuncta, vèl contigua cum Cœlis. Eo quod agens naturale non poteſt agere in diſtans, quim prius agat in propinquum. Sed vacuum prædictam contiguitatem impedit. Nam contigua ſunt quorum ultima ſunt ſimul: & ſi mediat vacuum corpora inferiora, & ſuperiora non erunt ſimul coniuncta, & unita: ergò vacuum impedit influxum Cœlorum in hæc corpora inferiora.

Addimus vacuum miraculoſum eſſe. Siquidem immutat totum ordinem naturæ, & diſpoſitionem cauſarum ſecundarum. Et ideò naturaliter dari non poteſt. Et propter eandem rationem non poterit Angelus facere tale vacuum. Quia ſolus Deus, qui naturam condidit poteſt ordinem immutare naturæ. Undè quæſt. 16. de malo, art. 10. affirmat D. Thom. non poſſe Angelos movere terram, vèl elementorum ordinem immutare.

Inſtabis 1. contra ſuppoſitionem iſtam exemplis experientiæ, quorum primum eſt. Quia ſi potatur vas plenum aqua, & per omnem partem circundetur nive, congelabitur aqua, & in medio vaſis remanebit aliquod vacuum, ad quod repelendum non poteſt ingredi aer propter nivem circundantem: ergò datur naturaliter vacuum.

Secundum eſt. Si dentur duæ tabulæ perfectiſsimè planæ, perfectiſsimèque coniunctæ, & una ad æqualitatem ab altera ſepararetur, dabitur pro aliquo inſtanti vacuum in aliquo ſpatio inter tabulas mediante. Quia aer non poteſt tam citò ingredi, ut in eodem inſtanti occupet totum ſpatium, quod inter tabulas mediat: ergò idem quod priùs.

Reſpondebis ad primum. Tale vas rumpendum eſſe per debiliorem partem, nè detur vacuum in natura.

Dices: Poſſe contingere tales partes eſſe æquales in groſſitie, & fortitudine, in quo caſu nulla erit data ſolutio.

Reſp. In hoc eventu. Auctorem naturæ determinate partem illam, quæ prius rumpenda eſt, nè vacuum in rerum natura detur. Et experientia videmus, quod quoties aqua congelatur in vaſe, ſi non adeſt locus aeri, ſtatim rumpitur vas.

Ad 2. exemplum dicimus: In caſu illius non poſſe naturaliter unam tabulam ab altera ſeparari ſecundùm omnem par-

tem

tem, ſed prius ſeparabitur ſecundum aliquam partem, ut paulatim ingrediatur aer.

Secundo inſtabis. Quia Angelus propria virtute potoſt impedirè lapidem, vèl aquam aſcendentem ad vacuum replendum: ergò poterit naturalitèr virtute Angeli dari vacuum. Prob. ant. Quia virtus aquæ, vèl lapidis eſt corporea: & virtus Angeli, eſt ſpiritualis: ergò virtus Angeli efficatior eſt. Et conſequentèr poterit Angelus aquam, vèl lapidem impedire.

Reſp. Virtutem Angeli non eſſe potentem impedire lapidem aſcendentem. Quia quamvis virtus lapidis, vèl aquæ materialis ſit, tendit primo, & per ſe ad univerſale bonum. Et ita ſolum impediri poterit à Deo, qui eſt auctor boni univerſalis, à quo ſolo conſervatur. Inſtantia eſt in influxu, quo generans producit eſſentiam, & paſſiones, qui corporeus, & materialis eſt. Et tamen eſſentia producta non poteſt conſequtio proprietatum ab aliqua creatura impediri.

Dices: Corpora obedire Angelis in ordine ad motum localem, ſicut prima part. quæſt. 110. artic. 5. docet Angelicus Doct. ergò motus lapidis ab Angelo poterit impediri.

Reſp. diſt. ant. Et in ordine ad motum tendentem ad bonum particulare: conc. ant. Si tendat ad bonum univerſale: neg. ant. & conſeq. Quia motus lapidis ad replendum vacuum tendit ad univerſale bonum, videlicèt ad naturam conſervandam. Et ita à creatura impediri non poteſt.

De potentia verò abſoluta poſſe dari vacuum privativum certum etiam debet eſſe. Quia Deus poteſt totum elementum ignis anihilare, & impedire, nè aliquod corpus aſcendat ad vacuum replendum, in quo caſu concavum Lunæ erit locus non repletus aliquo corpore, ac proindè erit vacuum privativè. Et quidem nulla eſt aſſignabilis ratio, cur Deus non potuerit mundum inferiorem producere, & elementa non facere, in quo caſu eſſet vacuum privativum. An verò, & quomodo poſsit corpus per tale vacuum moveri præſens difficultas eſt? Pro qua ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

Corpus poteſt moveri per vacum.

COnclusio eſt D. Th. quod lib. 6. art. 3. & 4. Phyſ. lect. 17. & 3. p. q. 37. art. 4. ad 2. Ubi docet Corpus Chriſti aſcendiſſe ſupra omnes Cœlos, & eſſe extra omnem continentiam illorum. Sed aſcenſus per motum fit: ergò corpus poteſt moveri per vacuum.

Se-

• Secundo prob. ratione. Tale corpus poteſt in vacuo conſervari: ergò poterit in vacuo moveri. Quia ſi ſemel conſervatur, non eſt cur per vacuum moveri non poſsit, & ant. prob. Ideò corpus non poſſet in tali vacuo conſervari. Quia conſervatio Illius dependet ab influentia Cœlorum, quæ non poteſt ad corpus in vacuo deſcendere. Sed talem influentiam poteſt Deus ſe ipſo ſuppliere: ergò poterit corpus in tali vacuo conſervari.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem iſtam arg. 1. Quod mobile ſecundum locum eſt in potentia ad aliquid extrinſecum ſcilicèt locum. Sed corpus in vacuo exiſtens non eſt in potentia ad aliquem locum: ergò localitèr moveri non poteſt.

• Reſpondetur. Maiorem eſſe veram de mobili motu locali regularitèr contingenti; non tamen de mobili motu locali, qui fieret in vacuo ex ſuppoſitione miraculi.

• Secundo poterat argui. Quod corpus in operari, & moveri dependet ab influentia Cœlorum, quam non poſſet in vacuo recipere: ergò.

• Reſp. Corpus non poſſe recipere in vacuo influentiam Cœlorum; poſſe tamen Deum tale corpus ſe ſolo conſervare.

• Tertiò arg. Motus factus in vacuo non eſſet in aliqua ſpecie: ergò implicatorius eſt Prob. ant. Species motus ſunt ſurſum, & deorſum. Sed talis motus non eſſet ſurſum, vèl deorſum. Eo quod ſurſum, vèl deorſum dicuntur penes ordinem ad terminum ſuperiorem, vèl inferiorem. Et talis terminus in vacuo non eſt: ergò motus ille non eſſet in aliqua ſpecie.

• Reſp. Sùrſum, & deorſum eſſe ſpecies motus, qui fit inter corpora univerſi, quorum aliqua ſunt ſuperiora, & alia inferiora; non tamen ſurſum, & deorſum ſunt ſpecies motus abſolutè.

Dices: Non eſt aſsignabilis alia ſpecies præter ſurſum, & deorſum: ergò ſi motus non eſſet in aliqua harum, non eſſet in aliqua ſpecie.

Reſp. Talem motum eſſe in ſpecie motus recti, vèl circularis. Quia via recta, vèl per modum circuli fieret.

Quarto arg. Ubi eſt impoſsibilis terminus motus, etiam motus impoſsibilis eſt. Eo quod motus eſt via ad terminum, & ſpecificatur ab illo. Sed terminus motus in vacuo impoſsibilis eſt: ergò etiam impoſsibilis eſt motus. Prob. min. In vacuo eſt impoſsibile ubi, quod eſt terminus motus localis. Nam ubi eſt circun-

cunſcriptio paſsiva corporis ex circunſcriptione activa loci proveniens. Et in vacuo non eſt locus: ergò terminus motus in vacuo impoſsibilis eſt.

Reſpondent venerandi PP. Carmel. in illo corpore futurum eſſe *ubi*, quod reſultaret ex circunſcriptione activa loci communis. Quia corpus illud exiſtens in vacuo privativo contineretur à loco circundante reale vacuum.

Hæc tamen ſolutio non videtur vera. Quia corpus non continetur formaliter à loco communi, niſi mediante loco particulari formaliter continente. Sicut principium univerſale non influit, niſi mediante principio particulari. Sed corpus exiſtens in vacuo non continetur à loco particulari formaliter: ergò non continetur formaliter à loco communi. Et conſequenter non habebit *ubi* reſultans ex circunſcriptione activa loci communis.

Deinde. Quia iuxta talem ſolutionem non poterit corpus moveri per vacuum negativum. Siquidem corpus, quod eſſet in tali vacuo, non contineretur ab aliquo loco communi. Sed hoc dicendum non eſt. Quia corpus in quocumque vacuo eſſet ab intrinſeco mobile ſuppoſita propria conſervatione. Nec eſt cur hoc illi repugnet: ergò ſolutio nulla eſt, & ideò.

Aliter reſp. Quod in illo corpore eſſet *ubi* non quidem regulariter contingens, ſed ubi peculiare, & præſentia particularis corporis in illo ſpatio.

Dices. Omne *ubi* attenditur per ordinem ad aliquod punctum. Sed in vacuo negativo nullum eſt punctum. Quia ibi nullum eſt corpus. Et punctum ſemper eſt in aliquo corpore: ergò ibi nullum erit *ubi*, & nulla præſentia corporis.

Reſp. Quod ibi non eſſet punctum verum; eſſet tamen punctum imaginarium: & per ordinem ad ipſum haberet corpus proprium ubi, veramque præſentiam. Et inſtantia eſt. Quia ſi Deus deſtrueret Polos mundi, ſolum remanerent Poli imaginarij. Et tamen corpora verè moverentur, & haberent verum *ubi*: ergò punctum imaginarium ſufficit ad *ubi*, & ad præſentiam veram. An verò tale corpus in vacuo moveretur in tempore, vèl in inſtanti? Sufficientem difficultatem habet. Aliqui namque aſſerunt movendum eſſe in inſtanti, & aliter moveri non poſſe. Alij verò dicunt in tempore movendum eſſe. Cum quibus.

***
***

§. VI.

Concluſio ſtatuitur.

SEntentia hæc expreſſa videtur D. Th. in præſenti lect. 12. aſſerentis: *Quod ſubſtracto tempore, quod additur ex impediente, remanet tempus naturalis velocitatis*: ergò ſentit D. Th. Quod corpus in vacuo brevius, vèl tardius moveretur iuxta naturalem velocitatem ipſius, & maiorem, vèl minorem gravitatem.

Ratione autem prob. Quia motus habens partem poſt partem, & cauſas verè ſucceſsionis, eſt verè motus ſucceſsivus. Sed motus corporis per vacuum haberet cauſas verè ſucceſsionis: ergò eſſet ſucceſsivus. Prob. min. Cauſæ ſucceſsionis ſunt reſidentia medij, gravitas corporis, extenſio quantitativa, & limitatio moventis. Sed quamvis prima cauſa deficeret; aliæ tamen remanerent: ergò min. vera eſt.

Conf. Motus; cui ſit aliqua reſiſtentia debet eſſe ſucceſsivus. Sed motui per vacuum fieret aliquando reſiſtentia: ergò. Prob. min. Poſſet aliquando motus eſſe ſurſum, & corpus eſſe grave. Sed motui ſurſum reſiſteret corpus grave per contrariam inclinationem, quæ eſt ad motum deorſum: ergò min. vera eſt.

Dices. Si corpus moveretur à Deo per vacuum, moveretur in inſtanti. Quia divinæ virtuti infinitæ non repugnat movere corpus in unico inſtanti: ergò etiam omne corpus per vacuum in inſtanti movetur.

Reſp. non repugnare Deo ex parte virtutis movere corpus in inſtanti; repugnaret tamen ex parte corporis. Eo quod implicat corpus extenſum ſimul eſſe in pluribus partibus ſpatij imaginarij diſtantibus inter ſe.

Secundo dices. De conceptu motus ſucceſsivi non eſt quod in tempore fiat: ergò licèt motus eſſet ſucceſsivus, non inde infertur, quod in tempore fieret. Prob. ant. Motus, qui erit in corporibus glorioſis poſt diem iudicij, erit ſucceſsivus. Et tamen non erit in tempore. Quia tunc non erit motus primi mobilis, à quo deſumitur tempus: ergò de ratione motus ſucceſsivi non eſt, quod in tempore fiat.

Reſp. tamen. Poſt diem iudicij non eſſe futurum tempus extrinſecum deſumptum à motu primi mobilis; erit tamen tempus intrinſecum, quod conſiſtit in intrinſeca duratione ſucceſsiva; & in hoc tempore eſſet motus.

Secundò prob. concl. Si inter terram, & Lunam eſſet columna defixa, & reliquum ſpatium vacuum, & prope columnam deſcenderet bipedale corpus, illud deſcenderet ſucceſsi-

vè: ergò motus per vacuum ſucceſsivus eſſet. Prob. ant. 1. Quia tale corpus ſecundum primam medietatem prius accederet ad medietatem columnæ, quam ſecundum aliam, & contrarium intelligibile non eſt: ergò ſucceſsivè deſcenderet.

Secundo prob. ant. Tale corpus prius eſſet iuxta aliquas partes columnæ, & poſterius iuxta alias. Quia non poſſet ſimul eſſe iuxta omnes partes, & iuxta primam, & ultimam partem inter quas tanta diſtantia invenitur: ergò tale corpus ſucceſsivè deſcenderet.

Addimus. Corpus minimæ quantitatis, quale eſt corpus bipedale, non poſſe ſimul eſſe iuxta omnes partes corporis magni, & longiſsimæ columnæ.

Secundo addimus. Quod ille motus eo ſucceſsivus non eſſet: quia nullam invenit reſiſtentiam. Quod tamen non obeſt: quia motus Cœli nullam invenit reſiſtentiam. Et tamen ſucceſsivus eſt.

Dices. Motum Cœli eſſe ſucceſsivum propter liberam voluntatem Angeli moventis Cœlum.

Sed contra eſt. Quia Angelus movet Cœlum ſicut ipſum mobile eſt: ergò movet illud ſucceſsivè, quia ſecundum propiam naturam ita moveri petit: ergò Cœlum ipſum exigit ſucceſsivè moveri, quamvis ad proprium motum nullam reſiſtentiam inveniat.

§. V.

Argumentis occurritur.

CONtra concl. iſtam arg. 1: Quia inter motum in vacuo, & motum in plano nulla proportio invenitur, ut aſſerunt D. Th. & Philoſ. in præſenti text. 71. ergò motus in vacuo non ſucceſsivè, ſed in unico inſtanti fit. Sinamque ſucceſsivè fieret, proportionem haberet cum altero motu.

Ad hoc tamen facilè reſp. D. Thom. & Philoſ. procedere ibi contra aliquos aſſerentes ſucceſſionem motus ſolum provenire poſſe ab ſpatio, vèl à reſiſtentia medij, contra quos pro inconvenienti inferunt, quod motus in vacuo eſſet in inſtanti, & nullam proportionem haberet cum motu facto per planum.

Secundo arg. In motu per vacuum nullum conſumitur tempus: ergò ille motus ſucceſsivus non eſſet. Prob. ant. 1. Si in tali motu conſumeretur tempus, poſſet aliquod corpus eſſe ſubtiliſsimum, & moveri in tempore ita brevi, ſicut corpus moveretur in vacuo. Sed hoc dicendum non eſt: ergò in motu facto per vacuum nullum conſumitur tempus.

Secundo prob. ant. In vacuo nul-

nulla eſt reſiſtentia medij: ergò in motu per vacuum nullum conſumitur tempus. Prob. conſ. Vbi eſt minor reſiſtentia ſpatij, minus conſumitur temporis: ergò ſi in vacuo nulla eſt reſiſtentia nullum conſumitur tempus in motu facto per vacuum.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. 1. dicimus nullum eſſe inconveniens corpus quod movetur per planum propter ſui levitatem, & ſubtilitatem, ita velociter moveri, ſicut corpus, quod in vacuo movetur.

Ad 2. prob. ant. neg. utraque conſ. Quia à negatione cauſæ non neceſſariæ non benè arg. ad negationem effectus. Cumque reſiſtentia non ſolum proveniat à reſiſtentia medij; ſed etiam ab alis captibis. Indè fit, quod quamvis reſiſtentia medij deficiat: non ideò motus erit in inſtanti.

Dices. Quia lux Solis nullam invenit reſiſtentiam, diffunditur in inſtanti per totum ſpatium: ergò ſi in vacuo nulla eſt reſiſtentia motus erit in inſtanti.

Reſp. neg. conſ. Quia retardatio lucis ſolum poteſt à qualitate contraria reſiſtente provenire. Cumque lux nullam habeat contrariam qualitatem, inde eſt, quod in inſtanti diffunditur. Retardatio verò motus non ſolum provenit à reſiſtentia, ſed ab alijs ſupra enumeratis, quæ in vacuo perſeverant.

Sed inſt. In vacuo nulla eſt diſtantia poſitiva: ergò motus retardari non poteſt. Prob. ant. Diſtantia poſitiva ſit per corpus habens extenſionem localem. Sed in vacuo talis extenſio non eſt: Ergò nulla eſt poſitiva diſtantia.

Reſp. aliqui. In vacuo non eſſe veram diſtantiam, ſed ſolum diſtantiam fictam; iſtam tamen ſufficientem eſſe, ut motus fiat in tempore.

Hæc tamen ſolutio falſa eſt: Quia motus verè ſucceſſivus verè habet, partem poſt partem. Et conſequenter veram conſumit diſtantiam. Nam ſi veram diſtantiam non conſumeret, verè, & realitèr haberet omnes ſuas partes ſimul: ergò ſi in vacuo verà diſtantia non eſt, motus ipſe verè ſucceſſivè non erit.

2. Reijcitur. Qualis fuerit motus, debet eſſe diſtantia pertranſibilis per motum. Sed motus ſucceſſivus in vacuo eſt verè motus realis, & realitèr ſucceſſivus: ergò debet eſſe vera diſtantia, quæ per motum pertranſibilis ſit. Undè tali ſolutione relicta.

Alitèr reſp. Quod in vacuo non eſt vera diſtantia poſitiva per contactum poſitivum, & poſitivam corporum extenſionem actualitèr exiſtentem; eſt tamen verà diſtantia poſitiva per ordinem ad punctum imaginarium, ut antecedentèr dixi-

mus : quæ diſtantia poteſt pluribus corporibus occupari, & pluribus motibus pertranſiri, & motu verè ſucceſsivo, ut conſtat in corpore exiſtente propè columnam à Cœlo in terram per vacuum deſcendente, cuius longitudo unico inſtanti pertranſiri non poteſt.

Ex dictis infertur quod quando corpus, quod movetur per vaccum, acquirit unum ſpatium, & relinquit alterum facit vacuum negativè, quatenus corpus non manet in tali ſpatio; non tamen facit vacuum privativè. Quia nullum relinquit verùm locum. Et vacuum privativè eſt locus corpore non repletus. Et ſimilitèr quando corpus movetur per planum, ſpatium, quod relinquitur, non manet vacuum. Quia idem locus occupatur ab aere, vèl allo corpore circunſtante. Et hæc de articuli ſto in preſenti text. 71. & 75. & alijs committantibus ad Philoſoph. applicanda.



QUÆSTIO III.

De Tempore.

ARTICULUS UNICUS.

Vtrùm partes temporis ſolum exiſtant ratione inſtantis?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur noſtra concluſio.

DAri tempus experientia docente cognoſcimus. Videmus namque aliquas res corruptibiles minorem, & alias maiorem durationem habere : unum motum eſſe tardum, & alterum velociſsimum eſſe. Motum verò eſſe tardum, vèl velocem eſt conſumere plus vèl minus temporis. Quod quidem licèt etiam accipiatur pro duratione intrinſeca rerum, magis tamen communitèr, & proprie ſumitur pro duratione motus primi mobilis, qui eſt magis uniformis. Et ita per eius durationem omnes alij motus extrinſecè menſurantur.

In primis tamen ſupponendum eſt tempus eſſe aliquid reale. Quia duratio rerum corruptibilium aliquid reale. Mai. prob. Quia res corruptibilis, & motus illarum durant realitèr. Et rurſus ipſæ ſunt entia realia. Et du-

ratio

ratio entis realis debet esse realis: sicut duratio rei infinitæ debet infinita esse: ergò durario rerum corruptibilium debet esse realis.

Conf. Quia omnes species quantitatis sunt aliquid reale: sicut ipsa ratio communis. Sed tempus est species quantitatis: ergò debet esse aliquid reale.

Sed inst. 1. Quia iuxta Arist. in præsenti, si non esset anima non esset tempus: ergò tempus non est aliquid reale. Quia quod in suo esse dependet ab anima, aliquid rationis est.

2. Inst. Quia partes temporis sunt præteritum, & futurum. Sed præteritum, & futurum non sunt aliquid reale. Quia præteritum iam non est, & futurum non dùm existit. Consequenterque non habent esse à parte rei: ergò tempus non est aliquid reale.

Resp. ad 1. inst. Quod si non esset anima, non esset tempus quantum ad simultatem partium. Nam tempus habet partes successivè à parte rei: & solum habet illas simul in anima, vèl ratione animæ simul apprehendentis illas. Et ità si anima non esset, tempus etiam deficeret quantum ad simultatem partium. Et ita intelligendus est D. Th. cum Arist. simul.

2. Resp. Tempus esse numerum numeratum, ut explicabimus infra. Cumque in actuali exercitio numerationis dependeat ab anima ut à causa efficientèr numerante. Indè fit, quod si non esset anima, non esset intellectus, & non esset obiectum intelligibile. Et tamen obiectum intelligibile aliquid reale est. Et si non esset intellectus, non esset numerus. Et tamen numerus est aliquid reale. Et iuxta utramque solutionem potest intelligi D. Th. cum asserit, tempus sine anima esse imperfectè ens. Quia illi deficeret extrinsecum complementum actualis videlicèt, & exercita mensuratio motus, quamvis tempus realitèr, & ab intrinseco habeat esse ipsius motus mensuram.

Ad 2. inst. resp. Quod licèt præteritum iam non sit in se, & futurum nondùm sit in se, & futurum nondùm sit in se ipso; sunt tamen ratione instantis, ratione cuius existunt, quod sufficit, ut partes reales sint. Si Namque reales non essent, non possent etiam per instans reale continuari, & existere. Instantia est in motu cœli; cuius nulla pars actualitèr est in se, sed quælibet existit ratione indivisibilis. Et tamen partes, & ipse motus aliquid reale sunt.

2. Supponendum est tempus consistere non posse in prima sphæra, vèl in alio corpore mobili. Quia tempus est eius essentialitèr successivum. Sed prima sphæra, & omnia corpora mobilia sunt aliquid permanens. Et om-

omnes partes ſimul habeat: ergò non poteſt in illis conſiſtere tempus.

3. Supponendum eſt tempus extrinſecum conſiſtens in duratione motus primi mobilis realiter entitativè diſtingui à quocumque motu corporum inferiorum. Quia tempus extrinſecum eſt idem realiter cum motu primi mobilis ut exiſtente, & durante: vèl idem realiter cum illius duratione. Sed motus primi mobilis, vèl duratio illius realiter entitativè diſtinguntur à motibus inferiorum: ergò tempus extrinſecum realiter à motibus inferiorum diſtinguitur.

Dices. Tempus extrinſecum non identificari realiter cum motu primi mobilis, ſed ſolum recipi in motu prædicto tanquam in proprio ſubjecto. Ex quo non infertur tempus eſſe realiter diſtinctum à motibus inferiorum.

Sed contra eſt. Quia tempus, ut hæc ſolutio concedit, recipitur realiter in motu primi mobilis tanquam in ſubjecto proprio. Sed motus corporum inferiorum non recipitur realiter in motu primi mobilis, ſed potius in corporibus inferioribus, ut per ſe manifeſtum eſt: ergò diſtinguuntur realiter. Quia idem accidens non poteſt eſſe receptum, & non receptum realiter in uno, & eodem ſubjecto.

2. Prob. ſuppoſitio. Poſſunt motus eſſe inæquales in partibus, & æquales in duratione, & tempore extrinſeco: ergò tempus extrinſecum realiter à motibus inferiorum diſtinguitur. Prob. ant. Si mobile aliquod per ſpatium unius horæ percurreret unam leucam, & aliud mobile velocius in eodem ſpatio duas leucas percurreret; motus illi eſſent inæquales in partibus, & extenſione. Eoquod extenſio motus ab extenſione ſpatij deſumitur. Et tamen tempus extrinſecum in utroque motu conſumptum eſſet æquale: ergò poſſunt motus eſſe inæquales in partibus, & æquales in extrinſeco tempore.

4. Supponendum eſt tempus extrinſecum non eſſe realiter entitativè diſtinctum à motu primi mobilis ut exiſtenti, vèl ab exiſtentia illius ut intrinſecè durante. Quia tempus extrinſecum eſt intrinſeca duratio motus primi mobilis. Sed intrinſeca duratio non diſtinguitur realiter ab exiſtentia rei durantis ut continuata, & perſeverante realiter: ergò tempus extrinſecum non diſtinguitur realiter ab exiſtentia motus primi mobilis ut perſeverante realiter. Prob. min. Quia duratio intrinſeca rerum nihil aliud eſt, quam illarum exiſtentia, ut continuata: ergò duratio intrinſeca non diſtinguitur realiter ab exiſtentia rei du-

ran-

tantis ut perſeverante realitèr. Ant. prob. ſeù potius explicatur. Nam ſi Deus rem aliquam produceret ipſamque conſervaret, talis res verè duraret, quocumque alio ſecluſo: ergò duratio intrinſeca rerum nihil aliud eſt, quam illarum exiſtentia ut continuata realitèr.

Aliqui tamen Thomiſtæ aſſerunt: durationem intrinſecam realitèr ſaltim formalitèr eſſe diſtinctum ab ipſa exiſtentia rerum ut continuata, & perſeverante realitèr. Eo quod duratio connotat actionem productivam ut continuatam: quam quidem actionem non connotat exiſtentia. Et rurſus. Quia duratio accidit cuicumque rei creatæ realitèr exiſtenti: ergò intrinſeca duratio realitèr diſtincta eſt ab exiſtentia rerum ut perſeverante realitèt.

Sed contra eſt. Quia exiſtentiam rei continuari, & realitèr perſeverare eſt idem formalitèr atque rem ipſam intrinſecè durare: & nihil aliud per intrinſecam durationem poteſt formalitèr intelligi, niſi rei exiſtentia ut continuata realitèr: ergò duratio intrinſeca non ſolum entitativè, verum etiam realitèr formalitèr diſtincta non eſt ab exiſtentia rei ut perſeverante realitèr.

Ad ea verò, quæ in ſolutione continentur facile reſp. Durationem connotare actionem agentis ut continuatam, quam tamen non connotat exiſtentia, ex quo ſolum infertur diſtinctio rationis inter exiſtentiam, & illius intrinſecam durationem. Unio namque non diſtinguitur etiam realitèr formalitèr à materia, & forma. Et tamen unio connotat actionem agentis, quam non connotat materia.

Ad 2. reſp. Cuicumque rei creatæ exiſtenti convenire accidentalitèr prædicabilitèr intrinſecam durationem; non tamen prædicamentalitèr, ut probavimus. Sicut unio accidentalitèr tantum prædicabilitèr, & non prædicamentalitèr convenit materiæ, & formæ.

Tandem ſupponimus optimam eſſe temporis diffinitionem in præſenti traditam ab Ariſt. quod videlicèt, ſit, *numeros motus ſecundum prius, & poſterius*. Cujus diffinitionis bonitas probatur particulas explicando. Quia duplex eſt numerus. Alius, qui dicitur numerus numerans ſicut duo, vèl tres: alius, qui dicitur numerus numeratus pro re videlicèt, quæ numeratur acceptus. Ut cum dicimus duo homines, equi tres, vèl huiuſmodi alia. In prima particula huius diffinitionis ſcilicèt *numerus* accipitur quidem non pro numero numerante, ſed pro numero numerato. Quia numerus numerans eſt quantitas diſcreta. Sed tempus quantitas continuata eſt: ergò

non eſt numerus numerans, ſed numerus numeratus.

Alia verò particula *motus* comprehendit non ſolum motum, ſed etiam rem ipſam moti, vèl mutationi ſubiectam. Eo quòd tàm res iſta, quàm motus illius per tempus formaliter menſurantur.

Oportet tamen advertendum eſt, quod licèt numerus accipiatur in præſenti pro extrinſeca menſura, quæ eſt motus primi mobilis, cui cum rigore competit ratio menſuræ: Eo quod per ipſum omnes motus inferiorum extrinſecè menſurantur; revera tamen numerus comprehendit intrinſecam durationem, quæ licèt non ità ſtrictè, ſicut extrinſeca duratio, verè tamen habet rationem menſuræ.

Vltima denique particula *ſecundum prius, & poſterius* denotat tempus non eſſe numerum motus ſecundum partes, quas motus habet à mobili, quæ partes ſimul exiſtunt, & una prior altera non eſt: ſed ſolum eſſe numerum motus ſecundum partes, quas motus habet ab ſpatio, quarum una prior eſt, & altera poſterior; non quidem in eſſe, ſed formaliter ut per motum attinguntur. Vndè tempus eſt menſura ſucceſſiva, & habet omnes partes ſucceſſivas.

Sed inſt. contra prædictam diffinitionem. Tempus non ſolum eſt menſura motus, ſed etiam quietis, & ipſius rei mutabilis. Siquidem non ſolum motus, ſed etiam ipſa quies, & res mobilis tempore durant: ergò non benè diffinitur per eſſe numerum motus.

Adhoc tamen reſp. Tempus primo, & per ſe eſſe menſuram motus, ex conſequenti verò eſſe menſuram quietis, & rei corruptibilis: quatenùs quies eſt privatio motus, & per durationem motus cognoſcitur, an maior, vèl minor eſt duratio quietis? res etiam corruptibilis quatenùs in proprium interitum tendit, & mutationi ſubijcitur, à tempore menſuratur. Et ideò tempus ſolùm diffinitur per eſſe menſuram motus.

2. Inſt. Tempus non eſt menſura motus: ergò non eſt numerus motus. Prob. ant. 1. Menſura notior eſt menſurato. Sed tempus notius non eſt ipſo motu. Siquidem tempus ignotiſſimum eſt Motum verò ſenſibus experimur: ergò tempus non eſt menſura motus.

2. Prob. ant. Si eſſet menſura eſſet numerus numerans, ut per ſe patet. Hoc non concedimus: Ergò idem quod anteà.

3. Prob. ant. Per motum cognoſcitur tempus. Nam per motum horologij cognoſcimus, quænam hora ſit: ergò tempus non eſt menſura motus; ſed potiùs è contra motus eſt menſura temporis.

Reſp.

Resp. ad arg. neg. ant. Et ad prob. dist. min. Notius non est in actu signato, & quantum adquid est: conc. min. In actu exercito, & quantum ad an est: neg. min. & cons. Licèt namque temporis quidditas, & essentia difficillime cognosci possit; existentia tamen temporis facile cognoscitur. Nam sensibus experimur temporis præteritionem, & fluxum rerum quæ tempore durant. Quod sufficit, ut per temporis durationem tanquam per propriam mensuram notiorem in exercitio, omnia alia mensurentur.

Dices Quod ad mensurandam necessaria est cognitio quidditativa mensuræ. Sed cognitio quidditativa temporis difficillima est: ergò tempus nequit esse verè mensura.

Resp. Ad mensurandum sufficere cognitionem absolutam, & quantum ad an est, & quidditativam cognitionem non requiri. Agricolæ namque modio triticum mensurant. Et tamen differentiam quidditativam modij totalitèr ignorant.

Ad 2. prob. neg. mai. Quia licèt tempus sit numerus numeratus, semel tamen facta numeratione potest intellectus assumere tempus ad motum mensurandum.

Dices: ergò ad actualem mensurationem motus concurrit tempus ut numerans: ergò non concurrit ut numerus numeratus formalitèr.

Resp. dist. 1. cons. Ut exercitè, & in actu secundo mensurat: conc. cons. In esse rei: neg. cons. Tempus namque secundum se est numerus numeratus. Ut enim duo homines, ità duo anni, vèl mille sunt numerus numeratus: exercitè tamen, & quatenùs in actu secundo mensurat, est numerus numerans, secundum quod intellectus accipit unam partem temporis in ordine ad aliam, & per illas partes sic acceptas mensurat activè motum.

Ad 3. prob. dist. ant. Per motum tanquam per signum: conc. ant. Tanquam per mensuram: neg. ant. & cons. Quia per motum horologij cognoscitur tempus tanquam per signum; non tanquam per mensuram ipsius. Ex quo potiùs infertur motum horologij à tempore mensurari. Quia signum mensuratur à signato.

His ergò prælibatis maxima difficultas est in examinando, qualitèr partes temporis existant. Durand. namque Illustr. Arauxo à Martinez, & Magist. Parra affirmant partes temporis existere ratione sui, & tempus habere aliquam partem præsentem, fluidam quæ transit ad statum præteritionis. Magis autem communitèr negant Thomistæ asserentes, partes temporis non existere ratione sui, sed solum ratione instantis. Cum quibus

§. II.

Noſtra Concluſio.

Partes temporis ſolùm exiſtunt rationi inſtantis indiviſibilis.

COncl. hæc expreſſa videtur in Philoſ. textu 105. & ibidem lect. 18. in Angel. Magiſt. & in 4. phyſic. lect. 23. aſſerente: quod tempus non habet eſſe extra animam, niſi ſecundum ſuum indiviſibile. Et 1. p. quæſt. 46. art. 3. ad 3. & quæſt. 66. artic. 4. ad 5. dicente: *Modo nihil eſt accipere in actu de tempore, niſi nunc.*

Ratione autem prob. concl. Si aliqua pars temporis exiſteret ratione ſui, eſſet etiam ratione ſui præſens. Sed nulla pars temporis poteſt eſſe præſens ratione ſui: ergò nulla poteſt ratione ſui exiſtere. Prob. ant. Partes temporis ſunt præteritum, & futurum; ergò nulla ratione ſui poteſt eſſe præſens. Ant. prob. 1. Quia tempus ſolum habere partes correſpondentes partibus motus. Sed in motu ſolum reperitur pars prior & poſterior, vèl præterita, & futura; non tamen pars aliqua præſens. Alias tempus non ſolum eſſet numerus motus ſecundum prius, & poſterius, ſed etiam ſecundum præſens: ergò partes etiam temporis tantum ſunt præteritum, & futurum.

Conf. Si aliqua pars temporis eſſet præſens ratione ſui, & ratione ſui duraret, inſtantia continuativa, & terminativa illius eſſent præſentia. Quia nullum datur continuum præſens ratione ſui ſine aliquo indiviſibili terminativo, & alio ſaltim continuativo partium. Sed hoc implicatorium eſt. Aliàs darentur duo inſtantia temporis præſentia. Et conſequenter inſtans temporis duraret pro tempore præſenti, & non ſolum pro unico inſtanti: ergò nulla pars temporis ratione ſui poteſt eſſe præſens.

2. Prob. concl. Repugnat eſſentialiter partes entis ſucceſſivi exiſtere ratione ſui. Sed tempus eſt ens ſucceſſivum: ergò implicat, quod partes temporis ratione ſui exiſtant. Prob. maj. Si aliqua pars entis ſucceſſivi exiſteret ratione ſui, partes illius partis exiſterent ſimul. Sed implicat partes entis ſucceſſivi exiſtere ſimul. Quia ens ſucceſſivum habet partes eſſentialiter ſibi ſuccedentes, & ſolum priores, & poſteriores ad differentiam entis permanentis, quod habet ſuas partes ſimul: ergò implicat partes entis ſucceſſivi exiſtere ratione ſui. Prob maj. Quia exiſtente toto exiſtunt illius partes. Eo quod totum nihil aliud eſt præter partes ſimul ſumptas, & unitas. Sed quælibet pars entis ſucceſſivi eſt compoſita ex alijs partibus, & diviſibilis actualiter in plures partes: ergò ſi aliqua pars entis ſucceſſivi exiſteret ratione ſui,

par-

partes illius partis existerent simul.

Resp. contrarij 1. Quod licèt ens successivum non possit habere omnes suas partes simul existentes ratione sui; non tamen illi repugnat habere aliquam partem præsentem, quæ ratione sui existat.

Sed contra est. Quia, si aliqua pars ratione sui existeret, haberet simul omnes partes, ex quibus actualitèr componitur, & in quas est divisibilis: ergò haberet omnes suas partes simul.

2. Impug. ex concessis à contrarijs. Quia namque tempus essentialitèr est successivum, non potest habere omnes suas partes simul. Sed quælibet etiam pars temporis essentialitèr est tempus & totum successivum: ergò suas partes simul habere non potest.

Resp. Mag. Parra. Partes temporis posse etiam esse præsentes ratione sui. Quia motus est aliquid successivum. Et tamen motus habet partes ratione sui præsentes.

Sed contra est. Quia si motus haberet partes ratione sui præsentes, non haberet partes essentialitèr succedentes. Et consequentèr non esset ens successivum ergò solutio nulla est, cui consonat Doct. Ang. opusc. 44. cap. 1. dicens: *Si ergo aliquid successivum existeret, non solum secundum aliquid indivisibile, sed secundum aliquam sui partem, sequitur quod multæ partes alicujus successivi simul essent, quod est contra rationem successivorum.*

2. Resp. alij. Quod licèt detur aliqua pars temporis præsens; illa tamen solùm in potentia continet plures partes; non tamen in actu. Et ideò non sequitur plures partes simul existere.

Contra tamen. Quia extensio actualis petit partes actualitèr repertas in toto. Eo quod extensio actualis exigit unam partem actualitèr extra aliam existere. Nam in hoc consistit extensio. Consequenterque petit plures partes repertas in toto. Sed illa pars, de qua loquimur, habet actualitèr extensionem: ergò continet actualitèr plures partes.

2. Explicatur hoc idem. Totum actuale actualitèr habet partes ad differentiam totius potentialis, quod solùm in potentia continet partes. Sed illa pars est totum actuale: ergò actualitèr continet plures partes.

3. Resp. alij. Illam partem præsentem temporis solùm existere fluide, & transeuntèr; non tamen permanentèr. Et ita non haberet partes simul existentes, sed solùm transeuntes, & sibi invicem succedentes, per quod salvatur ratio entis successivi.

Sed contra 1. Quia quamvis illa pars fluide, & transeuntèr existat, habet tamen plures partes præsentes ratione sui: ergò non erit ens formalitèr successivum,

vum, quod non poteſt habere omnes ſuas partes præſentes ratione ſui.

Secundò reijcitur. Minus durat indiviſibile inſtans, quàm durat illa pars. Et tamen quia indiviſibile habet ſuum eſſe ſimul, eſt ens permanens permanentia indiviſibilis: ergò illa pars erit etiam ens permanens, quamvis fluentèr exiſtat, ſi ſemel ratione ſui exiſtit.

Reſpondebis, Partem prædictam non habere ſimul plures partes aliquotas, ſed ſolùm proportionales. Et ita non eſſe ens permanens, quod debet habere ſimùl plures partes aliquotas.

Sed contra eſt. Illa pars eſt actualitèr tempus. Nam tempus eſt totum homogeneum, in quo partes habent eandem denominationem totius, ſicut quælibet pars aquæ eſt aqua. Et ideò illa pars temporis eſt etiam actualitèr tempus. Sed omne tempus habet aliquas partes aliquotas: ergò illa pars partes aliquotas habet. Prob. min. Omne compoſitum debet habere aliquas partes actualitèr diſtinctas. Eo quod compoſitio eſt diſtinctorum unio & conſequenter actualis compoſitio eſt unio diſtinctorum actualitèr. Sed ſolum partes aliquotæ ſunt actualitèr diſtinctæ; partes verò proportionales ſunt partes in potentia, ac proindè ſolum in potentia diſtinctæ. Sed omne tempus eſt actualitèr totum: ergò omne tempus debet habere aliquas partes aliquotas.

Secundò impug. illa pars actualitèr eſt extenſa. Sed extenſio provenit ſolùm à partibus aliquotis. Nam partes proportionales non ratione ſui, ſed ratione aliquotarum extenſionem, & magnitudinem habent: ergò illa pars habet aliquas partes aliquotas.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONtra concl. arg. 1. Quod res ſucceſsivæ incipiunt in parte temporis, ut communitèr Philoſophi docent: ergò ſi pars temporis ſolùm exiſtit ratione inſtantis, res ipſæ ſucceſsivæ incipient in inſtanti. Cujus oppoſitum debet eſſe verum.

Reſp. neg. conſeq. Quia licèt res ſucceſsiva incipiat in parte temporis exiſtente ratione inſtantis, ipſa tamen inceptio non regulatur per inſtantes, in quo res ſucceſsiva non dùm eſt, ſed regulatur per partem. Eo quod res ſucceſsiva quando incipit, in hoc inſtanti non eſt, immediatè tamen poſteà erit: ad differentiam rei permanentis cujus totum eſſe completur: & habetur in unico inſtanti.

Secundò arg. Exiſtentia proportionari debet cum re exiſtente per illam. Sed indiviſibile inſtan-

tans proportionatum non eſt cum parte diviſibili temporis: ergò pars temporis non poteſt ratione inſtantis exiſtere.

Reſp. diſt. mai. Proportione termini, & ultimi cõplementi: conc. mai. in eſſe entis: neg. mai. Et ſub eadem diſtinctione minoris: neg. conſeq. Quia indiviſibile ex natura ſua habet eſſe principium unius partis, & terminus alterius. Et conſequenter in ratione termini, & complementi habet proportionem cum parte diviſibili temporis, licèt non in eſſe entis. Inſtantia eſt in exiſtentia hominis, quæ entitativè indiviſibilis eſt, & homo diviſibilis, & exiſtentia humanitatis Chriſti infinita eſt, & humanitas ipſa finita. Et tamen proportionatur. Eodem ergò modo inſtans indiviſibile, quod unit utramque partem diviſibilem, virtualitèr, & ut *qno* eſt diviſibile, & in ratione termini cum parte diviſibile proportionem habet.

Tertio arg. Duæ partes non poſſunt exiſtere per eandem exiſtentiam: ergò non poſſunt exiſtere per indiviſibile inſtans, quo mediante una cum altera unitur.

Reſp. diſt. ant. Utraque in facto eſſe: conc. antec. Una in facto eſſe & altera in fieri: nego ant. & cõſ. Quia per inſtans continuativum, quod terminat partem præteritam, & initiat futuram, exiſtit in facto eſſe pars præterita, & futura exiſtit in fieri, quod nullam implicationem involvit. Imò antec. ex terminis eſt falſum. Nam in ente permanenti omnes partes exiſtunt per eandem exiſtentiam.

Quarto arg. Indiviſibile exiſtit ratione partium. Quia indiviſibile eſt modus partium. Et modus in exiſtendo à re modificata dependet; ergò partes non poſſunt exiſtere ratione indiviſibilis inſtantis.

Reſp. indiviſibile eſſe modum partium per modum ultimi complementi. Et ideò conſtituere poſſe ipſas partes exiſtentes. Sicut exiſtentia rei permanentis eſt modus ipſius rei. Et tamen illam exiſtentem reddit. Eo quod modus, qui ſe habet tanquam ultimum complementum, non dependet ab ipſa re tanquam à forma exiſtendi; ſed ſolum ab illa tanquam à ſubiecto dependet.

Quinto arg. Si partes temporis exiſterent per indiviſibile inſtans exiſterent ſimul. Quia indiviſibile ſimul contingit utramque. Sed partes temporis non poſſunt exiſtere ſimul. Sunt namque præteritum, & futurum, quæ non poſſunt ſimul eſſe: ergò non poſſunt exiſtere per indiviſibile inſtans.

Reſp. diſt. maj. Simul ratione inſtantis: conc. maj. Ratione ſui: neg. maj. & ſub eadem diſtinctione minoris: neg. conſeq. Quia inſtans indiviſibile eſt principium unius partis, & terminus alterius, & ita ratione illius ſimul

exiſ-

exiſtunt, una quidem in fieri, & altera in facto eſſe.

Addimus. Quod per tale inſtans ſolum pars præterita exiſtit abſolutè. Eo quod ſolùm illa exiſtit in facto eſſe; ſolumque dicitur abſolutè exiſtere, quod exiſtit in facto eſſe. Pars verò futura ſolùm exiſtit cum addito, id eſt, initativè. Et ita non verificatur abſolutè partes exiſtere ſimul.

Sed inſt. Patres temporis etiam ratione inſtantis non poſſunt exiſtere ſimul: ergò ſolutio nulla eſt Prob. ant. 1. Quia pars præterita exiſtere non poteſt per inſtans, quo unitur cum futura. Eo quod pars præterita jam non eſt, ſed præterivit: & quod non eſt, non poteſt exiſtere: ergò partes temporis ratione talis inſtantis non poſſunt ſimul exiſtere.

2. Prob. ant. Implicat partes temporis ſimul exiſtere, & unam eſſe priorem, alteramque poſteriorem, & priori ſuccedentem. Sed ſi deſtruitur iſta ſucceſio, deſtruitur natura temporis: ergò partes temporis etiam ratione inſtantis non poſſunt exiſtere ſimul.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. etiam ant. Quia pars permanens exiſtit ratione ſui. Et ità ſolùm exiſtit quando eſt in ſe. Pars verò entis ſucceſsivi non exiſtit ratione ſui, ſed ſolùm ratione indiviſibilis terminantis. Et ità completè, & in facto eſſe non exiſtit, uſque quo terminetur per inſtans, quo completur: & tunc licèt ſit præterita in ſeſe eſt tamen præſens in complemento ſuo, & ratione eius exiſtit completè, & in facto eſſe.

Dices: ergò eſt præterita, & præſens, quæ contradictionem involunt.

Reſp. Præteritam eſſe in ſe ipſa, & præſentem ratione indiviſibilis, quæ prædicata contradictoria non ſunt. Eo quod non ſunt de eodem ſecundum idem.

Ad 2. prob. diſt. mai. Priorem, & poſteriorem in ſe ipſa: conc. maj. Ratione indiviſibilis: nego mai. Quia partes illæ in ſe ipſis habent ſucceſsionem, & una eſt prior, alteraque poſterior eſt, per quod ſalvatur ratio entis ſucceſsivi, quamvis utraque ratione indiviſibilis continuantis ſimul exiſtat. Futura quidem initativè, & in fieri: & præterita completè, & in facto eſſe.

§. V.

Argumentum difficile ſolvitur.

TAndem arg. Datur pars temporis præſens: ergò datur pars temporis, quæ ratione ſui exiſtat. Prob. ant. Præteritum eſt, quod aliquando fuit præſens. Sed in tempore datur pars præterita: ergò datur etiam pars temporis præſens.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. maj. Quia, ut aliqua pars temporis modo ſit præterita, ſatis eſt, quod immediatè antea fuerit immediatè futura. Hæc enim eſt natura entis ſucceſſivi, ut nunquam habeat aliquam partem præſentem, ſed ſemper una eſt præterita, & altera futura: parſque futura tranſit in præteritam, quin fiat ratione ſui præſens.

Dices: non poteſt pars futura tranſire ad ſtatum præteritionis, niſi prius fiat præſens: ergò datur aliqua pars temporis præſens ratione ſui.

Reſp. diſt. ant. Præſentialitate indiſtincta ab Immediata futuritione: conc. ant. Præſentia diverſa: neg. ant. & conſeq. Quia ut pars futura tranſeat in præteritam, neceſſum non eſt, quod ſiat aliquando præſens præſentia diſtincta ab immediata futuritione. Sed ſicut inſtans redit partem futuram, præſentem initiativè; ita ſufficit, ut eadem pars ex vi eiuſdem inſtantis tranſeat ad ſtatum futuritionis abſque alia præſentia diſtincta.

Sed inſt. Pars futura non poteſt tranſire ad præteritam, niſi fiat præſens completè, & adæquatè. Sed ratione inſtantis initiantis illam non eſt præſens completè: ergò præſentia, quam habet ratione inſtantis, non ſufficit, ut tranſeat ad ſtatum præteritionis. Prob. maj. Pars futura nequit tranſire in præteritam, niſi completè, & adæquatè extrahatur à ſtatu futuritionis. Sed non poteſt extrahi completè, & adæquatè à ſtatu futuritionis, niſi fiat præſens completè: ergò pars futura nequit tranſire in præteritam, niſi fiat præſens completè, & adæquatè.

Reſp. neg. 1. mai. & 2. min. Quia pars futura extrahitur adæquatè à ſtatu futuritionis, non per hoc, quod fiat completè, & adæquatè præſens; ſed per hoc, quod fiat immediatè præterita, & terminativè præſens, quod habet ratione inſtantis.

Dices. Inter eſſe adæquatè præteritam, & adæquatè futuram mediat eſſe completè, & adæquatè præſentem. Sed non eſt tranſitus de uno ad alterum extremum abſque tranſitu per medium: ergò non poteſt pars futura tranſire ad præteritam complete, niſi fiat adæquatè, & completè præſens.

Reſp. neg. maj. Quia eſſe immediatè præteritam completè, & immediatè futuram, non ſunt extrema inter quæ datur medium præſentiæ diviſibilis, ſed ſunt extrema diviſibilia immediata. Et ideò pars futura tranſit in præteritam completè, & adæquatè per hoc, quod ante fuerit præſens intentivè, & modo ſit terminativè præterita, vèl præterita immediatè. Sicut ſubjectum tranſit de forma ad illius privationem per hoc, quod immea-

mediatè anteà fuerit forma, & modo ſit formæ privativo.

Sed inſtabis. Inter partem præteritam, & futuram neceſſario debet dari aliqua pars diviſibilis, & præſens: ergò inter præteritum, & futurum debet dari medium diviſibile. Prob. ant. Poſt inſtans, quod modo eſt, neceſſario debet ſequi tempus, quod immediatè poſt erit præſens: ergò inter partem præteritam, & futuram neceſſario debet mediare aliqua pars præſens. Prob. ant. Poſt hoc inſtans non ſequitur immediatè aliud inſtans. Quia nèc in tempore, nèc in aliquo cõtinuo dantur duo inſtantia immediata. Alias continuum reſultaret ex indiviſibilibus: ergò poſt inſtans, quod modo eſt, neceſſariò debet ſequi tempus, quod immediatè poſt erit præſens.

Reſp. neg. duo ant. & ad prob. diſt. ant. Immediatè in eſſe rei: conc. ant. Immediatione præſentiæ: neg. ant. & conſeq. Licèt namque in eſſe rei, & in ordine ad eſſe temporis poſt unum inſtans non ſequatur aliud, in ordine tamen ad præſentiam poſt unum inſtans ſequitur immediatè alterum. Eo quod nihil eſt deſignabile de præſenti niſi nunc, & pars quæ modo eſt immediatè futura: in alio nunc ratione cuius dicitur immediatè præterita, exiſtit terminativè præſens, quin aliquando fuerit in ſe ipſa præſens, & ratione ſui de præſenti deſignabilis. Quapropter nulla datur præſentia, niſi ratione inſtantis, quod indiviſibile eſt.

Ex dictis colligitur quod tempus intrinſecum, vel intrinſeca duratio numero multiplicatur. Quia in diverſis ſubiectis diverſa duratio intrinſeca reperitur. Tempus verò extrinſecum acceptum pro duratione motus primi mobilis, non multiplicatur numero ſed una, & eadem intrinſeca duratio primi mobilis omnia alia menſurat extrinſecè.

Secundò ex dictis infertur differentia, quæ verſatur inter ævum. Æternitatem, & tempus. Quia tempus noſtrum habet partes priores, & poſteriores exiſtentes ſucceſsivè. Et ita menſurat res mutabiles, tàm ſecundum eſſe, quàm ſecundùm operationem; & primo, & per ſe eſt menſura ipſius motus.

Hoc tamen tempus diſtinguitur ab Æternitate, quæ non habet partes, ſed eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſsio, ut Boetius diffinit. Et ità eſt menſura rei immutabilis, tàm ſecunda eſſe, quàm ſecundum operationem. Undè ſolus Deus Æternitate menſuratur.

Diſtinguitur etiam tempus ab ævo. Quia ævum eſt aliqualitèr ſucceſsivum, & non ſimul coexiſtit omnibus, quæ menſurat, ſicut æternitas; non tamen habet formalem ſucceſsionem partium, ſicut tempus, ſed eſt men-

mensura media inter æternitatem, & tempus, mensuratque res immutabiles secundum esse, videlicèt Angelos, & mutabiles secundum diversas operationes. Et hæc de artic. isto, & de 4. Physicorum in præsenti text. 101. & concommitantibus ad Philosophum applicanda.

LIBER QUINTUS

ET UNICA QUÆSTIO,

DE MOTU.

ARTICULUS UNICUS.

A quo motus suum unitatem accipiat.

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur.

Prima Conclusio.

QUÆ pertinent ad librum istum, & ad quæst. præsentem facilia sunt, & ex his, quæ in prædicamentis dicuntur, solutionem, & intelligentiam habent. Ut tamen brevitèr de natura motus, & illius unitate aliquid dicamus.

Præmitendum est in primis ad substantiam non posse dari per se motum verè, & propriè successivum. Quia motus successivus debet esse inter terminos positivos. Sed motus terminatus ad substantiam non sit inter terminos positivos. Siquidem substantia fieri non potest ex aliquo positivo præcedente, vèl ex altera substantia Nam substantia per se solum fit ex privatione sui: sicut ignis ex non igne, vèl ex privatione ignis: ergò ad substantiam non potest dari per se motus vere, & propriè successivus. Minor cum conseq. tenet, & prob mai. Quia motus successivus debet esse de contrario in contrarium: & requirit necessario medium successivum pertransibile per motum. Sed inter terminos negativos, vèl inter negativum, & positivum non datur medium pertransibile per motum. Quia termini negativi sunt nihil. Et negativum, & positivum opponuntur contradictorie. Quæ oppositio nullum medium admittit: ergò motus iste debet esse

inter terminos poſitivos.

Dices. Aliquem motum ad ſubſtantiam terminatum per ſe fieri ex aliquo poſitivo, ſicut forma vini. Et conſequentèr talem motum eſſe intèr terminos poſitivos.

Sed contra eſt. Quod forma aceti ſolum præſuppoſitivè, & ex conceptu materiali petit formam vini ex parte termini à quo; formalitèr verò ſolum exigit privationem aceti: ergò nullus motus ad ſubſtantiam fit per ſe inter terminos poſitivos.

Dices. Nutritionem ſubſtantialem eſſe motum ſucceſsivum. Et tamen per ſe ad ſubſtantiam terminari. Quia nutritio producit ſubſtantiam partialem ex vi converſionis alimenti in ſubſtantiam aliti: ergò doctrina tradita nulla eſt.

Reſp. diſt. mai. Succeſsivum per accidens: conc. mai. Per ſe: nego mai. Quia nutritio non eſt per ſe motus ſucceſsivus, & ex ordine ad terminum proprium formaliſsimè ſumptum, ſed ſolùm per accidens. Eo quod ſimul cum nutritione datur augmentatio, quæ producit quantitatem partialem ſucceſsivè: & ratione talis quantitatis etiam ſubſtantia partialis per nutritionem producitur ſucceſsivè, ut ſubiectum quantitatis.

Secundo notandum eſt ad actionem, & paſsionem non dari per ſe motum. Quia actio, & paſsio identificantur cum motu. Et ad ipſum motum non datur per ſe aliùs motus. Aliàs daretur proceſſus in infinitum. Et ſimilitèr etiam ad relationem non datur per ſe motus. Quia relatio à fundamento dimanat, & per illius actionem producitur ſecundario, ſicut paſsiones ſecundario producuntur per actionem productivam eſſentiæ.

Tertio ſupponendum eſt ad ſitum, & habitum, & *quando* non dari per ſe motum. Quia ſitus eſt di poſitio partium corporis in loco. Et ita reſultat ex ubicatione in loco, vèl ex ubi, quod primario terminat motum localem. Habitus etiam reſultat ex actione primario terminata ad illud, quod habetur. *Quando* ſimilitèr reſultat ex durazione, vèl ex coniunctione temporis ad rem. Et ita producitur ſecundario per actionem primario terminatam ad exiſtentiam ut continuatam in eſſe.

Quarto ſupponendum eſt ad quantitatem, qualitatem, & *ubi* dari per ſe motum ſucceſsivum. Quia augmentatio, alteratio, & motus localis ſunt verè motus ſucceſsivi: & primus terminatur ad quantitatem, ſecundus ad qualitatem, & tertius ad *ubi*.

Inſuper etiam quantitas per augmentationem poteſt fieri maior, & qualitas per intenſionem magis radicatur in ſubiec-

to, & ubi importat latitudinem repertam inter locum, & locum extenſum: ergò omnia iſta important latitudinem gradualem ſucceſsivè per tranſibilem. Ac proinde motus ad illa erit verè ſucceſsivus.

Sed inſt. Quantitas, & qualitas ſunt paſsiones ſubſtantiæ: ergò ſecundario producuntur per actionem terminatam ad ſubſtantiam.

Reſp. Quantitatem, & qualitatem in prima ſui productione eſſe paſsiones ſubſtantiæ, & ita ſecundario produci; in ſecunda verò productione non eſſe paſsiones ſubſtantiæ, ſed omnino accidentaliter advenire per motum verum ſucceſsivum, quo quantitas, & qualitas acquiruntur in tempore, & ſucceſsivè.

Dices. Augmentatio non eſt verus motus ſucceſsivus: ergò etiam quantitas poſt primam productionem non acquiritur ſucceſsivè. Prob. ant. In verò motu relinquitur terminus à quo, & acquiritur terminus ad quem. Sed quantitas minor, quæ eſt terminus à quo augmentationis, non relinquitur per augmentationem; ſed potiùs cum ipſa augmentata perſeverat: ergò augmentatio non eſt verus motus ſucceſsivus.

Secundo dices. Motum ſucceſsivum eſſe inter terminos contrarios. Sed quantitas major, & minor non ſunt termini contrarij. Siquidem quantitas major non deſtruit minorem, ſed illam auget: ergò idem quod priùs.

Reſp. ad 1. Quantitatem minorem eſſe terminum à quo augmentationis formaliter, ut minorem, ſub qua ratione non perſeverat. Quia jam non eſt minor, ſed major, licèt entitativè, & materialiter perſeveret.

Ad 2. reſp. Quantitatem majorem, & minorem non eſſe contraria rigoroſè; eſſe tamen contraria modo ſufficienti ad motum ſucceſsivum. Quia ſunt extrema poſitiva incompatibilia formaliter. His ergò prælibatis circa unitatem, & diverſitatem motus ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

Vnitas, & diverſitas formalis motus ſumitur à termino ad quem.

COncl. iſtam docèt Ariſt. in præſenti text. 31. & Angel. Doct. 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. ubi aſſerunt: motum non accipere unitatem, & diverſitatem formalem à termino à quo, ſed potiùs à termino ad quem.

Ratione verò prob. Quod eſt via, & tendentia ad aliquem terminum per ſe primo, ſpecificatur ab illo, & ab eo accipit unitatem, & diverſitatem formalem.

Nam quod eſt via ad aliquem terminum per ſe primo, eſt formaliter propter ipſum. Et conſequenter accipit ab illo ſpeciem. Unde potentiæ, illarum actus, quæ per ſe ordinantur ad obiectum, ab illo accipiunt unitatem, & diverſitatem formalem. Et univerſaliter omnis actio creata accipit unitatem formalem à termino. Eo quod eſt via, & tendentia ad ipſum. Sed motus eſt via, & tendentia ad terminum ad quem, ut per ſe manifeſtum eſt: ergò ab illo accipit unitatem, & diverſitatem formalem.

Addimus. Motum ſpecificari ab eo, à quo proptiam denominationem habet. Nam quæcumque res ab eo accipit denominationem, à quo accipit eſſe, ſicut homo denominatur rationalis ab anima, à qua accipit à termino ad quem. Nam de albatio dicitur talis ab albedine, quam producit, & calefactio à calore: ergò motus à termino habet ſpeciem, unitatem, & diverſitatem formalem.

Contra concl. iſtam inſt. Cum unitate termini ad quem compatitur ſpecifica diverſitas motus: ergò motus non accipit unitatem, & diverſitatem formalem à termino ad quem. Prob. ant. 1. Augmentatio uſque ad quantitatem unius ulnæ, & diminutio à maiori quantitate uſque ad ulnam habent eundem terminum ad quem, unam videlicèt ulnam. Et tamen motus iſti ſpecificè diſtinguuntur: ergò compatitur diverſitas ſpecifica motus cum unitate termini ad quem.

2. Prob. ant. Motus circularis, & rectus ad eundem terminum ad quem ſunt formaliter diverſi: ergò idem quod priùs.

3. Prob. ant. Motus lapidis ad ſphæram ignis: & motus ignis ad eandem partem ſphæræ habent eundem terminum. Et tamen ſunt formaliter diverſi. Quia motus lapidis eſt violentus: & motus ignis eſt naturalis: ergò idem.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. Eundem materialiter: conc. mai. Formaliter: neg. mai. Quia eadem ulna, ut terminat motum augmentationis eſt maior, & ut terminat diminutionem eſt minor. Et conſequenter in ratione termini formaliter diverſa eſt.

Ad 2. prob. reſp. ſimiliter. Terminum ad quem motus recti, & circularis eſſe eundem materialiter, formaliter tamen diverſum. Quia fit per diverſum ſpatium rectum, & obliquum.

Dices: Diverſitatem ſpatij non refundi in terminum ad quem: ergò terminus ille non eſt diverſus formaliter à diverſitate ſpatij. Prob. ant. Motus, qui tendit ad albedinem per fuſcum, & motus, qui tendit per pal-

pallidum habent eundem ſpecificè terminum. Et tamen medium, vèl ſpatium diverſum eſt: ergò verum eſt ant.

Reſp. ramen: Illam diverſitatem ſpatij eſſe purè materialem. Quia pallidum, & fuſcum ſunt medium ad album, quatenus participant rationem nigri. Et ita ſunt medium ſecundum quod conveniunt formalitèr. Ideò diverſitas illa purè materialis eſt, & in terminum non refunditur.

Ad 3. prob. dicimus: Terminum ignis, & lapidis eſſe diverſum formalitèr. Quia eſt contra naturam lapidis, & iuxta naturam ignis.

2. Arg. Mutatio inſtantanea, & ſucceſsiva diſtinguuntur ſpecie. Sed diſtinctio iſta provenit à termino à quo, non à termino adquem: ergò ſpecies, & unitas formalis motus non ſumitur à termino ad quem. Prob. min. Mutationes iſtæ propterea differunt. Quia inſtantanea eſt à termino à quo privativo; ſucceſsiva verò à termino à quo poſsitivo: ergò ſolum differunt per terminum à quo.

Reſp. aliqui neg. mai. Quia mutatio inſtantanea, & ſucceſsiva poſſunt rendere ad eundem terminum. Idem namque calor in prima productione fit ex privatione ſui, & poſtea per intenſionem intenditur; intenſio verò motus ſucceſsivus eſt.

Hæc tamen ſolutio vera non eſt. Quia diverſitas mutationis inſtantaneæ, & ſucceſsivæ eſt penes ordinem ad terminum acquiſitum in tempore, vèl in inſtanti. Sed diverſitas mutationis in ordine ad terminum ad quem eſt diverſitas eſſentialis: ergò mutationes prædictæ eſſentialitèr diſtinguuntur.

2. Reic. Quia mutationes prædictæ habent terminum à quo formaliſsimè diſtinctum, videlicèt poſsitivum, & privativum. Sed diverſitas formalis termini à quo refunditur in terminum ad quem: ergò mutationes prædictæ habent terminum ad quem formalitèr diverſum, & ſolùm materialitèr unum, quod gratis concedimus.

Reſp. Non ſemper diverſitatem termini à quo refundi in terminum ad quem, quia motus ab albo in nigrum, & à fuſco in nigrum habent diverſum terminum à quo formalitèr. Et tamen terminus ad quem non eſt formalitèr diverſus.

Sed contra. Ità ſe habet terminus à quo in motu: ſicut diverſitas principiorum in ſcientia. Sed diverſitas principiorum refunditur in obiectum ſcientiæ: ergò diverſitas termini à quo refunditur in terminum ad quem. De exemplo autem adducto diſpar eſt ratio. Quia album, & fuſcum comparantur ad nigrum, quatenùs conveniunt

in ratione albi formaliter in ratione termini à quo. Et ideò uterque terminus ſolùm habet differentiam materialem. Proindeque mirum non eſt in terminum ad quem non refundi diverſitatem formalem.

Ad arg. ergò aliter reſp. Mutationem inſtantaneam, & ſucceſsivam differe radicaliter per terminum à quo, formaliter verò per terminum ad quem, videlicèt per calorem productum: qui quatenùs fit ex privatione formaliter diverſus eſt à ſe ipſo, quatenùs fit ex contrario, vèl ex aliquo poſsitivo. Modo utem circa numericam unitatem.

§. III.

Statuitur ſecunda concluſio.

Unitas numericè motus ſumitur à ſubjecto mobili, ab unitate temporis, & unitate ſpecifica termini ad quem.

COncl. iſtam probamus. Quid quid requiritur ad continuationem motus, requiritur etiam ad unitatem numericam illius. Nam motus eſt unus unitate entis ſucceſsivi, & continui. Et ità quod requiritur ad eius continuationem, requiritur etiam ad numericam unitatem. Sed omnia prædicta requiruntur ad continuationem motus: ergò etiam ad unitatem numericam. Et conſequenter ab omnibus his habet motus numericam unitatem. Min. quantùm ad 1. partem prob. Quia accidentia, quæ ſunt in diverſis ſubiectis, non poſſunt eſſe continua, ſed ſolùm contigua, ſicut ipſa ſubjecta: ergò unitas ſubiecti mobilis neceſſaria eſt ad continuationem. Et in ſuper. Accidens habet unitatem numericam à ſubjecto. Siquidem individuatur ab illo. Sed motus eſt verum accidens: ergò idem quod prius.

Quantum ad 2. verò partem prob. min. Quia, ſi motus interrumpitur aliqua quiete, iam non eſt idem, ſed diviſus, & diverſus: ergò ad continuationem motus unitas temporis neceſſaria eſt.

Quantum ad 3. partem prob. Nam ad continuationem motus requiritur unitas ſpecifica ipſius. Sed ad unitatem ſpecificam eius requiritur etiam unitas ſpecifica termini ad quem: ergò unitas ſpecifica termini ad quem requiritur ad continuationem motus. Min. cum conſeq. tenet, & mai. prob. Nam quæ ſunt diverſæ ſpecici, non poſſunt eſſe continua. Quia continua ſunt, quorum ultima ſunt unum. Et quæ ſunt diverſæ ſpeciei habent diverſam naturam. Conſequenterque habent ultima diverſa, & non habent ultima unum: ergò ad continuationem motus

tus unitas ſpecifica illius neceſſaria eſt.

Ex his conſtat etiam unitatem numericam termini neceſſariam eſſe ad unitatem numericam motus. Quia unitas ſpecifica termini requiritur ad unitatem numericam motus : ergò etiam unitas numerica. Quia duplex terminus formaliter idem, & ſolo numero diverſus non poteſt in eodem ſubiecto reperiri. Aliàs duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſent in eodem ſubiecto.

Addimus. Nihil aliud prætèr enumerata neceſſarium eſſe ad unitatem numericam motus. Quià ſi aliquid aliud neceſſarium eſſet maximè unitas agentis, & ſpatij : & primum neceſſarium non eſt. Nam eadem actio procedere poteſt à duplici agente partiali, ut conſtat in duobus portantibus lapidem.

2. Verò etiam non requiritur. Quia lapidem moveri per pavimentum, vèl ſpatium lapidibus conſtitutum, vèl tabulis non tollit motum eſſe eundem realiter, & numericè. Et tamen ſpatium tabulis, vèl lapidibus conſtitutum materialiter diverſum eſt : ergò unitas numerica ſpatij non requiritur ad numericam unitatem motus, ſed ſolum unitas ſpatij formalis, quæ in terminum ad quem reſundit formalem unitatem.

Sed inſt. contra concl. iſtam. Quia tempus eſt aliquid extrinſecum reſpectu motuum inferiorum : ergò motus non poteſt individuari per tempus, nec ad unitatem numericam motus unitas temporis neceſſaria erit.

Reſp. facile. Unitatem numericam motus non deſumi à tempore tanquam à principio intrinſeco, ſed tanquam ab extrinſeco ſigno, quatenùs ex diverſitate temporis infertur benè motum non eſſe continuum : & conſequenter eundem numero non eſſe.

2. Arg. Cum diverſitate numerica mobilis ſalvatur unitas numerica motus : ergò unitas numerica mobilis neceſſaria non eſt. Prob. ant. 1. Virga, cuius una medietas eſt viridis, & altera ſicca eodem motu movetur. Et tamen mobile non eſt idem. Quia in parte viridi reperitur forma viventis, & in altera parte forma cadaveris. Et duplex forma ſubſtantialis non poteſt in eodem ſubiecto reperiri : ergò ant. verùm eſt.

2. Prob. ant. Mortuo homine, qui movebatur ad motum navis, continuatur motus illius, & idem numero perſeverat. Et tamen mobile diverſum eſt : ergò idem. Prob. mai. Motus non diſcontinuatur niſi deficiat mobile per ſe. Quia motus per accidens non deficit, niſi deficiat motus per ſe. Sed motus navis non diſcontinuatur, quamvis-

moriatur homo : ergò motus hominis diſcontinuus non eſt.

3. Prob. ant. Quando canis proiectus à turri moritur in medio itineris, non eſt idem numero mobile. Et tamen motus idem numero manet, & continuus perſeverat, uſque quo canis perveniat ad terram : ergò idem.

Reſp. ad arg. neg. ant & r. maiorem. Quia licèt ad ſenſum videatur partem eſſe idem, & ſiccam continuari, & eodem motu moveri, revera tamen ità non eſt. Nam quæ ſunt diverſæ ſpeciei continuari non poſſunt. Et ideò motus illius virgæ non eſt idem numero motus.

Ad 2. prob. dicimus. Motum illius hominis diſcontinuari propter quietem negativam. Quia deficit ſubiectum illius. Et q. amvis ſenſus non percipiat illam quietem, ratio tamen manifeſtat illam. Eo quod variato ſubiecto neceſſarium eſt accidentia variari.

Ad 3. prob. neg. m'n. Nam in illo inſtanti, in quo eſt verum dicere, *nunc* non eſt canis vivens, eſt verum dicere *nunc* non eſt motus. Quia quod non eſt, moveri non poteſt. Et conſequenter deficit idem numero motus, propter defectum ſubiecti.

Dices : Motus ille eſt continuus : ergò idem numero. Prob. ant. Motus eſt continuus, quando immediate ante aliquod inſtans eſt motus, & immediate poſt tale inſtans etiam eſt motus. Sed immediate antè inſtans formæ cadaveris eſt motus, & etiam immediate poſt illud : ergò motus ille continuus eſt.

Reſp. neg. ant & ad prob. diſt. mai. Antè inſtans, in quo eſt mutatum eſſe mobilis : conc. mai. In quo non eſt mutatum eſſe : neg. mai. Quia, ut motus ſit continuus, non ſufficit motum eſſe immediatè antè aliquod inſtans. & immediate poſt : ſed ultrà requiritur, quod in tali inſtanti detur mutatum eſſe mobilis. Quod in præſenti non contingit, quia idem mobile in illo inſtanti non eſt, ſed aliud mobile diverſum, quod in illo inſtanti adhuc non movetur, ſed movebitur tempore immediatè ſequenti.

Dices : Terminus motus eſt mutatum eſſe mobilis. Sed ille motus habet aliquem terminum : ergò aliquod mutatum eſſe.

Reſp. diſt. mai. Motus, qui per ſe finitur : conc. mai. Qui per accidens, & propter defectum ſubiecti. Neg. mai. Licèt namque motus, qui per ſe finitur propter conſequutionem termini habeat pro termino aliquod mutatum eſſe mobilis : non tamen motus, qui finitur per accidens : & quia deficit ſubiectum illius, ut in præſenti contingit.

Di-

Dices: Motus ille debet habere aliquem terminum. Sed non alium quam mutatum eſſe: ergò habet aliquod mutatum eſſe.

Reſ. talem motum non habere terminum poſitivum, quod eſt mutatum eſſe ſubiecti. Quia ſubiectum non eſt; ſed ſolum habere terminum negativum, videlicèt non eſſe motus, quem ſolum terminum habet motus in illo inſtanti, in quo deficit ſubiectum, in quo erat producendus terminus poſitivus.

Sed inſt. Quod non videtur intelligibile, & ad miratione dignum eſt illum motum nullum habere terminum poſitivum: ergò illum debet habere.

2. Inſt. Quia motus eſt fieri termini. Non quidem termini negativi. Quia quod non eſt non poteſt fieri: ergò eſt fieri termini poſitivi. Et conſequentèr motus ille poſitivum terminum habet.

Reſp. ad 1. inſt. Nos iam dediſſe rationem illius intelligentiæ. De admiratione verò non curamus. Quia per admirationem inventa eſt philoſophia.

Ad 2. reſp. Quod ſicut motus eſt fieri termini poſitivi: ità per ſe debet habere terminum poſitivum in facto eſſe, per accidens tamen poteſt non habere terminum poſitivum in facto eſſe propter defectum ſubiecti, in quo eventu eſt fieri termini, & ſolum habet terminum poſitivum in fieri: & ultra non tranſit ad factum complete propter incapacitatem ſubiecti.

Ex dictis infertur. Dari plures motus contrarios, videlicèt ſurſum, & deorſum, calefactionem, & frigefactionem, quæ contrarietas ſumitur etiam à termino ad quem. Quia unumquodque accipit contrarietatem, & oppoſitionem cum alijs, à quo accipit ſpeciem. Unumquodque namque alteri contrariatur ratione ſuæ naturæ.

2. Infertur. Motum contrariari quieti, quæ erat ſub termino à quo. Quia illam eſſentialiter deſtruit, & expellit, non tamen contrariari quieti, quæ eſt ſub termino ad quem. Eo quod iſtam non deſtruit, ſed potius eſt fieri illius.

Dices: Non poteſt intelligi quies in termino ad quem, uſque dùm ceſſet motus: ergò quies illa, & motus non poſſunt compati, ſed ad invicem opponuntur.

Reſp. diſt. conſ. Opponuntur oppoſitione ſimultatis: conc. conſ. Oppoſitione naturæ vera, & propria: neg. conſ. Illa namque quies, & motus non poſſunt eſſe ſimul. Et ita opponuntur oppoſitione ſimultatis, non tamen oppoſitione naturæ. Quia ſe habent tanquam imperfectum, & perfectum; tanquam terminus, & via. Motuſque ex propria na-

tu-

tura non tendit ad deſtruendam talem quietem; ſed ad illam acquirendam. Et hæc de art. iſto, & de 5. phyſic. text. 31. 35. 39. ad Philoſophum applicanda.

LIBER SEXTUS.

ET IN EO QUÆSTIO UNICA de Continuo.

ARTICULUS UNICUS.

Vtrùm continuum ex ſolis indiviſibilibus componatur.

§. I.

Senſus difficultatis apperitur.

PER indiviſibilia intelligimus in præſenti veras, & reales entitates poſitivas carentes partibus, & habentes pro effectu formali continuare, & unire partes quantitatis, vèl tales partes terminare, ex quibus aliqua ſe habent præciſſe ut terminus quantitatis. Quia poſt talia indiviſibilia non manet ultra aliqua pars diviſibilis quantitatis. Alia verò mediant inter partes ipſas, & illis partibus copulantur. In quo ſenſu verum eſt illud Ariſt. aſſerentis: continuum eſſe, *Cuius partes copulantur aliquo termino communi.* Quatenus illud indiviſibile, quod mediat inter partes, eſt principium unius, & terminus alterius, & ita utrique parti commune eſt.

Talia autem indiviſibilia in continuo reperiri manifeſtum eſt. Quia ſi talia indiviſibilia in continuo non eſſent, una pars continui non eſſe extrà alteram partem. Et conſequenter continuum non haberet extenſionem. Siquidem extenſio conſiſtit in eo, quod una pars extra alteram ſit. Sed hoc non eſt aſſerendum: ergò indiviſibilia in continuo reperiuntur. Prob. mai. Conſtituere unam partem extra alteram eſt effectus formalis, & proprius indiviſibilis: ergò ſi indiviſibilia non eſſent, una pars continui non eſſet extra alteram partem. Prob. ant. Illud habet conſtituere unam partem extra alteram, quod facit, nè partes ſe tangant ſecundum ſe to-

totas. Sed indivisibile facit, nè partes se tangant secundùm exterminatem, videlicèt secundùm indivisibile, quod mediat inter utramque, & quo partes uniuntur, & ad invicem se tangunt: ergò constituere unam partem extra alteram est effectus formalis, & proprius indivisibilis.

Ex his iterum prob. assumptum. Si indivisibilia non darentur in continuo, partes continui non essent continuæ, sed solùm contiguæ. Sed hoc asserendum non est: ergò idem quod prius. Prob. mai. Continua sunt, quorum ultima sunt unum ut docet Arist. in præsenti. Sed si indivisibilia non essent, ultima partium non essent unum, & idem ergò partes non essent continuæ. Prob. min. Si indivisibilia non essent, ultima partium essent extremitates divisibiles. Sed extremitas divisibilis unius partis, non est una, & eadem cum extremitate alterius, sed potiùs ab alia distinguitur: ergò si indivisibilia non essent, ultima partium non essent unum, & idem.

Addimus. Quod quando globus perfectè sphæricus movetur super corpus perfectè planum, tangit tale corpus secundum indivisibile tantum. Quia si tangeret ipsum secundùm aliquam partem, iam non esset perfectè sphæricum, sed potius esset planum pro ea parte. Siquidem pro ea parte adæquaretur cum alia parte corporis plani: ergò in continuo indivisibilia dantur.

Resp. Rationibus prædictis solùm probari, quod in continuo dantur indivisibilia continuativa; non tamen terminativa.

Sed contra est. Quia indivisibile continuativum, licèt sit principium unius partis, est tamen terminus alterius: ergò si dantur indivisibilia continuativa, dantur etiam terminativa.

2. Impug. Quia si terminus quantitatis non esset indivisibilis, non daretur ultimum in quantitate, sed potiùs daretur processus in infinitum. Eo quod terminus divisibilis non est ultimus terminus, sed est amplius divisibilis in alias partes. Sed hoc dicendum non est: ergò dantur indivisibilia terminantia quantitatem.

Addimus. Quod, si non darentur indivisibilia terminativa, duæ quantitates non se tangerent secundùm extremitatem indivisibilem, sed potiùs secundùm extremitatem divisibilem ultimam in utraque quantitatè. Consequenterque naturaliter se tangerent secundum se totas. Et ità possent duæ quantitates naturaliter penetrari.

His ergò prælibatis in puncto difficultatis fuit plurium antiquorum sententia continuum componi ex solis indivisibilibus,

quam

quam 1. p. tract. 4. diſp. 43. iterum ſuſcitavit Hetice. & ipſam plurimi Societatis tuentur Authores. Secunda ſententia eſt negativa, quam defendunt plures extra Scholam D. Th. & tenent omnes Thomiſtæ cum Angel. Doct. Cum quibus ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Continuum non componitur ex ſolis indiviſibilibus.

OMiſsis authoritatibus D. Th. cuius mens in præſenti clariſsima eſt ratione efficaci probatur noſtra concluſio. Quia omne continuum debet habere extenſionem. Eo quod omne continuum eſt quantuum. Et omne quantum eſt extenſum, & diviſibile. Sed ex ſolis indiviſibilibus nequit reſultare extenſum: ergò non poteſt continuum ex ſolis indiviſibilibus componi. Prob. min. Indiviſibilia nullam faciunt extenſionem: ergò ex ſolis indiviſibilibus nequit reſultare extenſum. Prob. ant. 1. Quæ ſe tangunt ſecundum ſe tota nullam faciunt extenſionem, ſed potiùs inter ſe penetrantur. Sed indiviſibilia ſe tangunt ſecundùm ſe tota, & non ſecundùm partem. Quia in ipſis non eſt aliqua pars: ergò indiviſibilia nullam faciunt extenſionem.

Secundo prob. ant. Indiviſibilia in ſe ipſis nullam habent extenſionem. Aliàs eſſent diviſibilia, & extenſa: ergò indiviſibilia nullam faciunt extenſionem.

Reſpondent contrarij 1. Indiviſibilia eſſe formaliter indiviſibilia; eſſe tamen diviſibilia virtualiter, & ita ex illis poſſe reſultare extenſum.

Contra tamen eſt. Quia indiviſibile formaliter ſolum eſt virtualiter diviſibile, quatenùs recipitur in parte formaliter diviſibili. Nam aliquam formam eſſe virtualiter talem oritur ex eo, quod recipitur in ſubiecto tali formaliter. Sicut anima rationalis eſt virtualiter corporea: quia eſt receptibilis in materia, quæ formaliter corporea eſt. Sed, ſi continuum componeretur ex indiviſibilibus ſolis, non eſſent in continuo partes diviſibiles, in quibus indiviſibilia etiam virtualiter diviſibilia non eſſent.

Secundo reic. data ſolutio. Quia non poteſt in continuo reperiri extenſio formalis, niſi in partibus continui formalis extenſio reperiatur: ergò, ſi indiviſibilia ſolum virtualiter diviſibilia ſunt, non poteſt ex illis extenſum formaliter reſultare continuum. Prob. ant. In toto homogeneo prædicatum formaliter conveniens toti debet etiam partibus convenire. Sed continuum eſt totum homogeneum;

neum: ergò non poteſt in continuo reperiri extenſio formalis, niſi partes etiam ſint formaliter extenſæ.

Secundo reſpondent alij ad rationem prædictam. Unum videlicèt indiviſibile ex coniunctione ad alterum poſſe habere diviſibilitatem, & extenſionem. Et ideò ex ſolis indiviſibilibus poſſe reſultare.

Sed contra eſt. Quia unum indiviſibile ex coniunctione ad aliud non poteſt participare quod alterum non habet. Eo quod una forma ex coniunctione ad alteram ſolum participare poteſt quod altera habet. Nam participare eſt partem capere illius formæ, quæ participatur. Sed aliud indiviſibile in ſe ipſo extenſionem non habet: ergò unum indiviſibile ex coniunctione ad alterum non poteſt participare extenſionem.

Addimus. Unam ulnam; v. gr. ex coniunctione ad alteram ſolum poſſe acquirere de novo extenſionem alterius ulnæ. Quia ulna ſuperaddita hanc, & non maiorem extenſionem habet. Sed indiviſibile in ſe ipſo extenſionem nullam habet: ergò unum indiviſibile coniunctum alteri nullam poteſt participare extenſionem.

Secundo prob. concl. Indiviſibilia ſola nullo modo poſſunt continuari, & uniri: ergò continuum non poteſt ex ſolis indiviſibilibus reſultare. Prob. ant. Indiviſibilia non poſſunt uniri mediatè, vèl immediatè. Non quidem immediatè. Quia non habent immediatam probationem. Eo quod non ſe habent tanquam actus, & potentia per ſe ad actum ordinata. Nec ſe habent tanquam res, & modus. Nec etiam poſſunt uniri mediatè. Siquidem non poſſunt uniri per aliud indiviſibile: ergò indiviſibilia nullo modo poſſunt continuari, & uniri.

Dices: Nulla eſſe aſſignabilem rationem, quarè ſicut unum indiviſibile poteſt coniungerè, & unirè duplicem partem, non poſſit etiam duo alia indiviſibilia coniungere.

Sed contra eſt. Quia inter ea, quæ ſunt eiuſdem rationis non eſt maior ratio, quare unum ſit medium, & alterum extremum, quam è contra. Sed omnia indiviſibilia ſunt eiuſdem rationis, ut per ſe manifeſtum videtur: ergò unum indiviſibile non poteſt eſſe medium: ut altera indiviſibilia copulentur, & uniantur.

Conf. ratio ſecunda. Quia continuum eſt diviſibile in ſemper diviſibilia iuxta commune proverbium. Sed ſi ex ſolis indiviſibilibus reſultaret, non eſſet diviſibile in ſemper diviſibilia: ſed potius indiviſibilia. Quia unumquodque reſolvitur, & dividitur in ea, ex quibus componitur: ergò continuum non po-

poteſt ex ſolis indiviſibilibus reſultare.

Conf. & explicatur eadem doctrina. Quia ſi in continuo ſola indiviſibilia darentur, mobile velociſſimum, & movile tardum poſſent in eodem tempore pertranſire ſpatium æquale. Eo quod ſi ſpatium haberet decem indiviſibilia; v. gr. mobile velociſſimum in decem inſtantibus pertranſiret illud, & mobile etiam tardum perttranſiret illud in eiſdem inſtantibus. Nam mobile quamvis tardum non poteſt non in quolibet inſtanti temporis pertranſire unum indiviſibile ſpatij. Siquidem indiviſibile, vèl totum attingitur, vèl nihil. Sed hæc abſurda videntur: ergò continuum ex ſolis indiviſibilibus reſultare non poteſt.

§. III.

Solvuntur argumenta contrariorum.

ARg. 1. contra concl. noſtram. Quia continuum poteſt dividi in omnem ſuam partem: ergò ex ſolis indiviſibilibus fit. Nam ſi ex partibus diviſibilibus reſultaret, illæ partes eſſent amplius diviſibiles, & ſic in infinitum. Et ita nunquam poſſet continuum in omnem dividi partem. Ant. prob. 1. Deus cognoſcit omnem partem continui: ergò poteſt continuum in omnem dividi partem.

Secundo prob. ant. Si ſuper vitrum exiſtens in plano, & æquale ex omni parte caderet ad æqualitatem lapis magnus, tale vitrum divideretur in omnem partem. Eo quod non eſt major ratio, ut dividatur in has, quàm alias partes. Siquidem omnes ſunt æquales: ergò poteſt continuum in omnem dividi partem.

Reſp. neg. ant. & ad 1. prob. neg. conſeq. Quia Deus agere non poteſt contra rerum eſſentias. Et cum de eſſentia continui ſit eſſe diviſibile in ſemper diviſibilia uſque in infinitum ſincathegorematicè, quod nunquam poteſt per diviſionem exhauriri. Indè fit Deum non poſſe dividere continuum in omnes partes, quamvis illas omnes cognoſcat, inſtantia eſt in ipſo Deo ſimul cognoſcente omnia poſſibilia. Et tamen non poteſt omnia producere ſimul. Et etiam cognoſcit Deus ſimul omnes horas diei, quas tamen non poteſt ſimul producere.

Ad 2. prob. reſp. Illud vitrum non poſſe dividi in omnem partem propter datam doctrinam, ſed ſolum divideretur per aliquas partes, per quas verò eſſet facienda divino, ſi eſſent æquales ad Auctorem naturæ pertinerent diſponentem omnia benè, & juxta rerum naturas.

Sed inſt. Continuum non habet partes infinitas: ergò poteſt dividi in omnem partem. Nam

ſi

ſi infinitæ non ſunt, poterunt per diviſionem exhauriri. Prob. ant. 1. Si haberet infinitas partes, daretur infinitum in actu ſecundum multitudinem. Quod eſſentialiter implicat: ergò partes infinitas non habet.

Secundo prob. ant. Si haberet infinitas partes, haberet etiam extenſionem infinitam. Quod etiam eſt falſum: ergò idem quod priùs.

Tertio prob. ant. Si ſpatium unius leucæ haberet partes infinitas non eſſet per tranſibile per motum. Quia infinitum per tranſiri non poteſt: ergò idem.

Quarto prob. ant. Si haberet infinitas partes, non eſſet unum continuum altero majus. Quia inter infinitas non datur exceſſus: ergò idem.

Reſp. neg. ant. & ad 1. prob. neg. etiam ant. Quia licèt partes continui ſint infinitæ, non tamen ſunt diviſæ, & ſeparatæ; ſed conjunctæ, & unitæ. Et ita non conſtituunt numerum, nec multitudinem, ſed ſolum unicum ens. Quia multitudo eſt quantitas diſcreta compoſita ex pluribus ſeparatis, & diviſis. Præterquamquod in continuo non dantur infinitæ partes in actu, ſed ſolum infinitæ partes in potentia, quod veriſimum eſt. Et ideò non faciunt infinitam multitudinem in actu.

Ad 2. prob. reſp. Continuum non habere infinitas partes determinatas, & aliquotas; ſed ſolum infinitas partes proportionales deſignabiles per intellectũ. Cumque partes proportionales nullam ſuperaddant extenſionem ad aliquotas, ſed potius cum illis communicent in extenſione, qua ratione *partes communicantes* à Philoſophis appellantur indè fit, Continuum non habere extenſionem infinitam.

Ad tertiam reſpondetur. Partes proportionales eſſe in potentia tantum in continuo, & intra partes aliquotas, & ita non ſuperaddere extenſionem ad illas. Cumque partes aliquotæ finitæ, & determinatæ ſint. Indè eſt ſpatium habere extenſionem limitatam per tranſibilem per motum.

Ad 4. reſp. Unum continuum eſſe majus altero. Quia maioritas, & exceſſus deſumitur à partibus aliquotis, & non à proportionabilibus, vèl à partibus impotentia. Et cum unum continuum habeat plures partes aliquotas, & determinatas, quam aliud, poteſt etiam aliud ſuperare in extenſione, & eſſe altero majus. Non tamen certum eſt exterminis, unum infinitum non eſſe altero majus. Quia ſi daretur infinita multitudo parietum major eſſet multitudo lapidum, Etſi daretur infinita multitudo hominum, maior eſſet multitudo capillorum.

Secundo arg. Inter primum punctum, & ſecundum non mediat

diat aliqua pars: ergò indiviſibilia ſunt immediatè conjuncta in continuo. Et conſequenter ex ſolis indiviſibilibus componitur. Quæ conſeq. in doctrina Ariſt. & inſuper ex terminis bona eſt Prob. ant. Si inter primum, & ſecundum punctum indiviſibile mediaret aliqua pars, mediarent etiam alia indiviſibilia. Siquidem pars non poteſt ſine indiviſibilibus eſſe. Sed inter primum, & ſecundum indiviſibile non poſſunt alia mediare. Aliàs ſecundum indiviſibile non eſſet ſecundum. Siquidem inter ipſum, & primum darentur alia: ergò ant. verum eſt.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. maj. Alia proportionalia: conc. maj. Alia aliquota, & determinata: neg. mai. Et ſub eadem diſtinctione mineris neg. conſ. Inter primum namque indiviſibile, & ſecundum tantum mediat unica pars determinata, & aliquota, quæ non habet alia indiviſibilia aliquota præter primum, & ſecundum aſſignatum, ſed ſolum indiviſibilia proportionalia: ſicut etiam illa pars habet plures partes proportionales. Et ſi de indiviſibilibus proportionabilibus argumentum facias. Reſpondebimus. Quod ſicut in continuo non eſt aſſignabilis prima pars proportionalis, & ſecunda: ita etiam primum, vèl ſecundum indiviſibile proportionale aſſignari non poteſt. Quia ibi ſolum in potentia continetur.

Tertio arg. Si daretur globus ſphæricus perfectè ſolùm haberet indiviſibilia. Sed caſus impoſſibilis non eſt: ergò poteſt continuum ex indiviſibilibus componi. Prob. mai. Si talis globus moveretur per corpus perfectè planum, non tangeret ipſum per partem diviſibilem, ſed ſolùm per indiviſibile punctum. Aliàs non eſſet perfectè ſphæricus ille globus, ſed pro aliqua parte planus: ergò ſolùm indiviſibilia haberet. Nam ſi haberet partes diviſibiles, poſſet per illas tangere planum.

Conf. Spatium per quod moveretur globus ille ſolùm haberet indiviſibilia: ergò ſpatium etiam eſſet compoſitum ex indiviſibilibus ſolis. Prob. ant. Si globus motu continuo per ſpatium planum moveretur, tangeret totum ſpatium. Nam motus continuus nihil relinquit intactum in ſpatio per quod fit. Et tamen globus ſolum indiviſibilia tangeret. Aliàs non eſſet perfectè ſphæricus, ut diximus: ergò ſpatium illud ſolùm indiviſibilia haberet.

Reſp. arg. neg. mai. & ad prob. conceſſo antec. neg. conſeq. Quia licèt globus non tangeret corpus planum niſi per punctum indiviſibile; hoc tamen non proveniret; quia planum non haberet diviſibiles partes, ſed ex figura, & diſpoſitione ſphærica corporis mobilis, quæ perfectè rotunda eſſet.

Ad

Ad confir. resp. Globum sphæricum solum tangere posse indivisibilia plani, & ita non posse per spatium planum moveri motu continuo, sed tantùm motu discreto, & saltando ab uno indivisibili in aliud, & partes intermedias relinquendo.

Dices: ergò motus corporis sphærici nullo modo esset continuus, nèc posset tale corpus aliquem motũ continuum habere.

Resp. concedendo conseq. de motu, qui fit per spatium planum. Quia absolutè loquendo ille globus continuè moveretur per aerem. Eo quod aer omnes partes globi tangeret, & ipsum adæquatè contineret.

Quarto arg. Ex indivisibilibus potest resultare extensum: ergò continuum potest ex solis indivisibilibus componi. Prob. ant. Ex partibus, quarum quælibet non est homo, scilicèt ex materia, & forma potest resultare homo: ergò ex partibus indivisibilibus potest resultare divisibile, & extensum.

Secundo prob. ant. Ex non ente potest fieri ens, sicut ex non igne fit ignis: ergò ex indivisibilibus potest resultare extensum. Quia plus distat ens à non ente, quam divisibile ab indivisibili.

Tertio prob. ant. Ex unitatibus indivisibilibus discretè potest resultare totum discretum: ergò ex indivisibilibus continuè potest resultare totum divisibile continuum.

Quarto prob. ant. Instans temporis est indivisibile. Et tamen additum tempori facit illud longius, & maioris extensionis: ergò ex indivisibilibus potest resultare extensum. Prob. min. Res durans per unam horam usque ad instans terminativum inclusivè, magis durat, quam res durans per totam horam; non tamen durans in ultimo instanti terminativo horæ: ergò instans temporis indivisibile additum tempori facit illud longius, & maioris extensionis.

Resp. neg. ant. Et ad 1. prob. neg. conseq. Quia prædicatum formaliter conveniens toti homogeneo debet etiam partibus convenire. Eo quod in tali toto omnes partes sunt eiusdem rationis, & denominationis. Undè quæcumque pars aquæ denominatur aqua. Et cum continuum sit totum homogeneum. Inde fit, quod non potest extensum denominari, nisi etiam partes denominentur extensæ, & propterea ex indivisibilibus resultare non potest. Homo verò est totum etherogeneum, quod non habet partes ejusdem rationis, & denominationis. Et ideo etherogeneum appellatur. Qua propter ex partibus, quarum nulla est homo, potest homo resultare.

Dices. Stat partem totius homogenei non habere eandem denominationem quam totum: ergò solutio nulla est. Prob. ant.

1. Quia partes componentes ulnam, non sunt ulnæ, sed palmi: ergò stat partem totius homogenei non habere eandem denominationem, quam totum.

Secundo prob. ant. Corpus denominatur extensum secundum profunditatem. Et tamen superficies, & linea, quæ sunt partes corporis non sunt extensa secundum profunditatem: ergò idem quod prius.

Resp. ad utramque probationem. Aliquas esse denominationes proprias totius, ut distinguitur à partibus, quæ denominationes non debent partibus convenire, & aliquas proprias partium, quæ toti convenire non debent. Sicut pars manus denominatur digitus, non tamen manus, pars pedis non dicitur pes. Aliàs verò esse denominationes partibus, & toti communes, quæ in toto homogeneo debent etiã partibus convenire: sicut pars aquæ dicitur aqua. Et talis est denominatio divisibilis. Et extensi, quæ non est propria totius ut distinguitur à partibus, sicut nèc denominatio quanti. Et ideò denominationes prædictæ debent partibus convenire, vel toti convenire non poterunt.

Ad 2. prob. ant. principalis resp. Quod ex non ente potest fieri ens, tanquam ex termino à quo non tamen tanquam ex parte. Et ita hoc argumentum non probat, quod ex indivisibilibus tanquam ex partibus possit resultare divisibile, & extensum.

Ad 3. prob. neg. conseq. Quia totum discretum est quantum, & extensum: non quidem extensione magnitudinis, sed quantitate, & extensione pluralitatis: cumque plures unitates distinctæ faciant pluralitatem, benè potest ex illis resultare totum discretum: non tamen totum continuum, quod est quantum extensione magnitudinis. Et ideò ex indivisibilibus resultare non potest. Quia indivisibilia talem extensionem non habent.

Ad 4. prob. resp. Rem durantem per unicam horam usque ad instans terminativum inclusivè magis durare altera re, non durante in ultimo instanti horæ. Quia durario abstrahit à divisibili & indivisibili: non tamen propterea tempus esse magis longum, & extensum. Quia instans supperaditum extensionem non habet. Et ideò tempori illam communicare non potest.

Sed inst. Indivisibilia temporis possunt communicare extensionem: ergò solutio nulla est. Prob. ant. Durario temporis est divisibilis, & extensa. Sed durario ista resultat ex solis indivisibilibus temporis: ergò indivisibilia temporis possunt communicare extensionem. Probatur min. Durario temporis resul-

ſultat ex durationibus partium. Sed durationes partium ſunt ſola indiviſibilia temporis. Quia nulla pars durat niſi per unicum inſtans: ergò duratio prædicta reſultat ex ſolis indiviſibilibus temporis.

Reſp. neg. ant. Et ad probationem, quæ difficilis eſt, diſting. maj. Extenſa pro ſubſtracto: conc. mai. Pro formali durationis: neg. maj. & diſt. min. Pro formali durationis: conc. min. Pro ſubſtracto: neg. min. & conſ. Quia in duratione temporis poteſt conſiderari ratio, vèl forma durandi, & res ipſa, quæ durat. Ratio autem, & forma durandi eſt indiviſibile inſtans, quod nullam extenſionem communicat. Res verò durans eſt ipſa pars temporis, quæ extenſa, & diviſibilis eſt, & hæc ex partibus diviſibilibus componitur, non verò ex indiviſibilibus inſtantibus ſolùm. Undè quando dicimus durationem temporis eſſe extenſam non loquitur de forma durandi pro formali, ſed de tempore ipſo durante, quod quidem extenſum, & diviſibile eſt, & compoſitum ex partibus diviſibilibus præteritis, & futuris.

Tandem arg. Si in continuo darentur partes diviſibiles, indiviſibilia tangerent partes. Sed indiviſibile non poteſt tangere partem: ergò in continuo non datur pars diviſibilis; ſed omnia indiviſibilia ſunt. Probatur minor. Inter contingens, & contingens, & contractum debet eſſe proportio. Sed inter diviſibile, & indiviſibile proportio non eſt: ergò indiviſibile non poteſt tangere partem.

Reſp. 1, diſt. min. Per adæquationem cum parte. Conced. min. Per modum modi unientis, vèl terminantis: neg. min. & conſeq. Quia indiviſibile non habet extenſionem. Et ita non poteſt tangere partem, nèc adæquatè, nèc in adæquatè per adæquationem, & coextenſionem cum ipſa; poteſt tamen tangere illam per modum modi unientis, vèl terminantis, ad quod non requiritur alia proportio, quam habere entitatem ad hoc inſtitutam, & determinatam à natura. Sicut unica exiſtentia indiviſibilia, & non habens partes actuat ſimul per modum modi, & termini materiam, & formam: & idem indiviſibilis modus unionis conjungit materiam, & formam.

Secundo reſp. ſolutione communi. Quod licèt indiviſibile non poſsit tangere partem diviſibilem adæquatè, poteſt tamen illam inadæquatè tangere, ad quod non requiritur extenſio.

Dices. Indiviſibile non poteſt tangere partem diviſibilem adæquatè: ergò nèc inadæquatè poterit tangere illam. Prob. conſeq. Idò primum eſt verum: quia illa pars eſt diviſibilis. Sed quolibet etiam inadæquatum

partis eſt indiviſibile: ergò non poterit etiam inadæquatè tangere illam.

Reſp. neg. conſeq. & ad prob. hiſt. cauſalem ly *quia* dicente cauſam requiſitam; conc. Cauſalem majoris. Dicente cauſam adæquatam: nego cauſalem majoris. Et conceſſâ min. neg. conſ. Ut namque indiviſibile non poſſit tangere partem adæquatè, requiritur partem eſſe diviſibilem; non tamen hoc eſt cauſa adæquata, ſed inſuper quia ſi adæquatè tangeret partem non eſſet principium, vel terminus partis, ſed potiùs adæquaretur cum illius extenſione, quod indiviſibili repugnat. Tangere verò illam partem inadæquatè eſt illam tangere per modum principij, vel termini, quod indiviſibili convenire poteſt. Quia hoc non eſt tangere partem inadæquatè ex parte rei, ſed ſolum inadæquatè ex parte modi, partem illam initiando, uniendo, vel terminando.

Ex dictis in art. diſcurſu infertur, quod ſi vaculus 2. medietatem contineatur ab aqua, & 2. aliam medietatem contineatur ab aere, ex parte corporis continentis utramque medietatem non correſpondet duplex ſuperficies immediate, ſed unica tantum. Quia ſuperficies aeris, & aquæ ſe habent per modum unius ad vaculum continendum.

2. Ex dictis infertur: quod licèt indiviſibile 2. ſe totum tangat partem: non ideò penetratur cum illa. Quia non tangit ipſam 2. ſe totam, videlicèt per coextenſionem ad ipſam partem, & illius quantitatem. Et hæc de art. iſto, & de 6. phyſicorum in præſenti text. 1. & fere per totum librum ad Philoſophum applicanda.

******

LIBER SEPTIMUS

ET UNICA QUÆSTIO de Ordine moventium.

ARTICULUS UNICUS.

Vtrùm gravia, & levia, & moventur à ſe, vèl à generante?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur.

AD articuli intelligentiam 1. ſuppponendum eſt aliquid poſſe movere ſe ipſum ad ſui motum per accidens, ſicut remiget movens navim, ſe ipſum etiam movet ad motum navis. Loquendo verò de motu per ſe, qui ratione ſui convenit mobili, oppoſitum affirmamus.

2. Notandum eſt omne, quod movetur ab alio moveri, quod Ariſt. docuit per totum librum iſtum, & in lib. 8. text. 27. Ex quo intulit omne, quod movetur, habere aliquod principium. Conſequentèrque debere dari primum motorem, qui immotus omnia movet.

Inſuper etiam inductione prob. Qua viventia ab alio moventur, ſicut ab alio producuntur: non viventia verò ut gravia, & levia moventur à generante. Et etiam in ipſis viventibus pars movens, videlicèt cor realitèr diſtinctum eſt à partibus, quæ moventur: ergò quidquid movetur ab alio realitèr à ſe diſtincto movetur.

Ratio autem prob. Quia unum quodque agit in quantùm eſt in actu: & movetur quatenùs eſt in potentia. Siquidem motus eſt actus entis in potentia ſecundum quod in potentia. Sed idem ſecundum idem, & reſpectu eiuſdem non poteſt eſſe in potentia, & in actu: ergò omne, quod movetur, ab alio movetur. Prob. min. Eſſe in actu dicit poſſeſſionem formæ, & eſſe in potentia importat carentiam formæ. Sed impoſsibile eſt idem ſecundum idem habere formam, & ſimul forma carere; ergò impoſsibile eſt eſſe ſimul in potentia, & in actu.

Reſp. eſſe in actu formali, & in potentia formali unum, & idem comparativè ad eandem formam implicationem involvere; non tamen eſſe in actu virtuali, & in potentia formali. Sicut

cat intellectus eſt in potentia formali ad intellectionem ipſam, & virtualiter continet illam. Siquidem poteſt illam efficienter producere.

Sed contra eſt. Quia, ſi vera eſſet iſta ſolutio, abſque ulla neceſſitate in viventibus diſtingueretur pars per ſe movens à parte per ſe mota. Siquidem idem ſecundum idem abſque diſtinctione reali poteſt efficere, & recipere motum. Eo quod poteſt carere illo formaliter, & ipſum virtualiter continere. Sed hoc aſſerendum non eſt: ergò nulla eſt datæ ſolutionis doctrina.

2. Reijc. ſolutio data. Nam motus, de quo loquitur Ariſt. in præſenti, eſt actus imperfecti exiſtentis formaliter in potentia ad ipſam formam. Sed quod eſt in actu virtuali talem imperfectionem non habet. Undè intellectio non eſt motus, qui ſit actus imperfecti, ſed potius eſt actus perfecti, & contra actum imperfecti dividitur: ergò data ſolutio ad propoſitum non eſt.

Dices. Non eſſe aſſignabilem rationem, quarè Ariſt. loquatur ſolùm de motu, qui eſt actus imperfecti.

Sed contra. Quia huius interè alias duplex aſſignabilis eſt ratio. Quarum prima eſt. Quia Phyloſ. Contra quos Ariſt. diſputabat, docebant omne movens eſſe mobile motu phyſico. Et ideò Ariſt. ſolùm incumbebat oſtendere deveniendum eſſe neceſſario ad aliquam cauſam moventem, quę non ſit mobilis motu phyſico, ſed potiùs inmota phyſicè omnia moveat.

2. Ratio eſt. Quia ſolus phyſicus motus per ſe pertinet ad conſiderationem phyloſophiæ, & propterea immobilitatem phyſicam in primo motore oſtendere, illamque ex motu probare ad Phyloſophum pertinebat.

Sed inſt. contra ſuppoſitionem prædictam. Quia eſſentia ſe ipſa cauſat, & recipit paſsiones. Sed quatenus cauſat, movet: & quatenùs recipit, movetur: ergò idem poteſt à ſe ipſo moveri.

2. Inſt. Intellectus eſt in potentia ad intellectionem, & Sol ad illuminandum. Et tamen ſe ipſa movent, & efficienter intellectionem, & illuminationem producunt: ergò illud idem, quod eſt in potentia, poteſt movere ſe ipſum.

3. Intellectus abſque reali diſtinctione efficit intellectionem, & ſimul recipit illam: ergò idem poteſt ſe ipſum movere ad formam, & ſe ipſo eſſe motum, & formam recipere.

Ad hæc tamen facile Thomiſtæ reſp. Ad primum quidem. Eſſentiam non ſe movere ad producendas paſsiones, ſed ſolum efficienter moveri à generante, per cuius actionem primario producitur eſſentia, & ſecundariò proprietates producuntur. Et ità eſſen-

eſſentiam non eſſe vere, & propriè principium effectivum proprietatum, ſed ſolum principium dimanativum.

Ad 2. inſtantiam reſp. Thomiſtæ. Intellectum, & ſolem ad intelligendum, & illuminandum eſſe in potentia formali, & in actu virtuali, quia ſunt verè cauſæ efficientes, virtualitèr operationes continentes. Et ità poſſunt ſe movere effectivè, & elicitivè ad operationes prædictas, non tamen applicativè: ſed in hoc genere ſemper moventur ab alio tanquam agentia ſecunda. Et ita nihil eſt, quod ſe ipſum poſsit ſultim applicativè movere. Quod ſatis eſt ad probandum deveniendum eſſe ad primum motorem, immotum omnia moventem.

Ad 3. inſtantiam reſp. intellectum mediantè ſpecie efficere intellectionem, & nude ſumptum recipere illam. Cumque ſpecies realitèr ab intellectu diſtinguatur. Conſequens ſit intellectum ut moventem realitèr diſtingui à ſe ipſo, quatenus moto, vèl nudè conſiderato.

Dices. Voluntas ratione ſui efficit, & recipit volitionem: ergò idem ſecundum idem poteſt movere, & moveri.

Sed neg. ant. Quia voluntas nudè ſumpta recipit volitionem, illam tamen efficit, ut determinata per intentionem finis, ſecundum quam rationem realitèr à ſe ipſa nude ſumpta diſtinguitur.

Sed contra eſt: ergò voluntas comparativè ad intentionem finis ratione ſui efficit, & ratione ſui recipit. Et conſequentèr ſecundum idem movetur, & movet.

Reſp. Voluntatem ad intentionem finis ſe ipſam movere, ut determinatam ab obiecto, & applicatam à Deo, ſecundum quam rationem realitèr à ſe ipſa ut recipiente, vèl à ſe ipſa nudè ſumpta diſtinguitur.

Hæc tamen doctrina in præſenti neceſſaria non eſt. Quia Ariſt. in præſenti, cum docèt idem ſecundum idem ſe ipſum movere non poſſe, non ſolum excludit potentiam ad ſe movendum applicativè, ſed etiam elicitivè. Siquidem ex tali doctrina infert gravia, & levia à ſe ipſis moveri non poſſe. Eo quod in illis non datur pars per ſe movens diſtincta à parte per ſe mota. In gravibus autem, & levibus potentiam ad ſe movendum tàm applicativè, quàm elicitivè negavit. Non tamen Ariſt. loquutus eſt de motu non ſtricto, qualis eſt actio intellectus, & voluntatis, ſed de motu ſtrictè tali phyſico, & riguroſo. Et ideò impugnationes in operatione intellectus, & voluntatis conſtitutæ non procedunt contra doctrinam illius.

His ergò ſuppoſitis, circà gravia, & levia certum debet eſſe,

ſe, quod ſi non impediantur ab extrinſeco ſtatim moventur in proprium locum, & centrum, & cauſa, quæ removet impedimentum motus, dicitur cauſa per accidens. An verò à ſe ipſis tanquam à cauſa per ſe propria, & ſpeciali moveantur? Præſens difficultas eſt. Affirmant Scotus, & plurimi extrà Scholam D. Thom. Negat. Ang. Doct. quem diſcipuli ſequuntur, cuius authoritates adducunt. Venerandi Patres Carmel. Et plurimi ex noſtris, quas, quia claræ ſunt, non oportet in præſenti examinare. Et cum prædictis.

§. II.

Statuitur noſtra concluſio.

Gravia, & levia non à ſe, ſed à generante moventur.

CONcl. iſtam probamus. Quia quod eſt proprium viventium quatenus à non viventibus diſtinguuntur, non poteſt non viventibus convenire. Sed movere ſe ipſa eſt proprium viventium, quatenus diſtinguuntur à non viventibus: ergò non viventibus convenire non poteſt. Prob. min. ex Ariſt. lib. 3. cap. 4. text. 29. de Gravibus, & levibus æc loquente: *Eſt autem impoſſibile, quod moveantur à ſe ipſis. Eſt enim hoc officium vitæ, & animatorum proprium.* Et Ang. Doct. 1. contra gent. cap. 27. aſſerit: quod illa ſola per ſe moventur, quæ movent ſe ipſa compoſita ex motore, & moto, ſicut animata: ergò proprium eſt viventium ſe ipſa movere.

Fandem minorem experientiâ quotidiana convincit. Nam tandiù vita animalis durat, quandiù animal ſe ipſum movet, & animal motuum non niſi ab alio movetur. Et ſimiliter planta ſicca non niſi ab extrinſeco levante, vèl proijciente movetur. Quod ſignum eſt ſola viventia poſſe ſe ipſa movere.

Reſp. contrarij 1. tàm viventia, quàm non viventia proximè ſe ipſa movere; deficere tamen in eo, quod non viventia remote ab alio moventur.

Sed contra eſt. Quia ideò non viventia remote ab alio, videlicèt à generante moventur: quia ab illo accipiunt potentias loco motivas. Sed etiam viventis accipiunt à producente potentias operativas: ergò etiam viventia remotè moventur ab alio. Et conſequentèr in hoc nulla differentia eſt.

2. Reijc. ſolutio data ad hominem contra Scotū. Quia ideò in ſententia Scoti viventia non moventur ab alio remotè. Quia habent in ſe principium intrinſecum motus. Sed iuxta ſolutionem datam non viventia habent in ſe principium intrinſecum motus: ergò nèc remo-

remotè movetur ab alio.

3. Impug. Quia nihil ſecundum eandem partem poteſt eſſe movens, & motum in potentia, & in actu. Et conſequenter in omnibus, quæ ſe movent proximè diſtinguenda realitèr eſt pars movens à parte mota. Sed in non viventibus non poteſt diſtingui pars movens à parte mota. Eo quod omnes partes ſunt eiuſdem rationis. Et ità non eſt ratio, quarè una pars, potiùs quam altera movens, vèl mota ſit: ergò non viventia non poſſunt proximè movere ſe ipſa.

Reſp. Quod non viventia non ſe movent mediantè cognitione, ſicut viventia. Et in hoc ſtat differentia intèr viventia, & non viventia, quantum ad ſe movere, vèl non movere ſe ipſa.

Contra tamen. Quia ſe movere abſque aliqua cognitione: etiã viventibus convenit. Nam plantæ viventia ſunt. Et tamen, abſque cognitione moventur. Siquidem intellectu carent, & ſenſibus, tàm internis, quàm externis. Et motus augmentationis, & nutritionis eſt vitalis in homine, & ad ipſum abſque ulla cognitione ſe movet: ergò in hoc nulla diſtinctio invenitur.

2. Prob. conc. Motus gravium, & levium provenit à generante conferente naturam: ergò gravia, & levia non à ſe, ſed à generante moventur. Prob. ant. Ab illo provenit paſsio tanquam à propria, & particulari cauſa, à quo provenit natura. Nam paſsiones producuntur tanquam termini ſecundarij per eandem actionem, qua natura producitur. Undè certum habuit proverbium Phyloſ. *qui dat formam, dat conſequentiam ad formam.* Sed motus gravium, & levium eſt illorum paſsio: ergò provenit à generante dante naturam Prob. min. Quia eſſe in centro eſt proprietas gravium, & levium, quæ naturalitèr inclinantur ad centrum, & in ipſo naturalitèr conſervantur: ergò etiam motus ipſe, quo moventur in centrum eſt proprietas connaturalitèr debita. Quia quando terminus motus eſt proprietas connaturalitèr debita ſubiecto, etiam fieri, & acquiſitio termini eſt proprietas debita naturalitèr.

Addimus. Quod quando una proprietas mediantè alia dimanat, vèl acquiritur mediantè alia ſi ſecunda naturalitèr debetur, etiam 1. debetur naturalitèr. Sed centrum acquiritur medio motu, quando grave extra centrum exiſtit: ergò ſi centrum eſt debitum naturalitèr, motus etiam naturalitèr debetur.

Conſ. Quia conſtituere lapidem in centro, eſt effectus generantis propriùs, & particularis: ergò etiam motus ipſe quo lapis acquirit centrum. Nam ad idem agens, ad quod pertinet ponere finem, pertinet etiam ponere

nere medium, quo finis ipſe conſequitur. Ant. prob. Ad generans pertinent conſtituere lapidem, ipſumque complere cum perfectione ſibi connaturaliter debita pro inſtanti generationis. Sed centrum debetur lapidi pro inſtanti generacionis. Siquidem pro illo inſtanti debetur lapidi quies naturalis, quam non habet niſi in centro: ergò lapidem conſtituere in centro, eſt effectus generantis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARg. 1, contra concl. noſtram ex Ang. Doct. quæſt. 5. de verit. art. 5. dicente: *Attendendum eſt, quod motus Cœli non hoc modo eſt naturalis Cœleſti corpori, ſicut motus elementaris eſt ſibi naturalis, habet enim huiuſmodi motus in mobili principium non ſolum materiale, & receptivum, ſed etiam formale, & activum*: ergò ſentit D. Th. gravia, & levia habere in ſe principium intrinſecum motus, & conſequenter movere ſe ipſa.

Reſp. tamen. Gravia, & levia habere principium intrinſecum motus formale, & activum dimanationis. Quia verè motus illorum ab eorum forma dimanat ad differentiam Cœli, in quo ſolum eſt principium paſſivum: & hoc tantum D. Th. intendere; non verò quod gravia, & levia habeant principium productivum motus per actionem diverſam ab actione generantis, quod neceſſarium erat, ut ſe ipſa moverent.

2. Arg. Ex quo motus gravium, & levium ſit juxta inclinationem naturalem ipſorum, non infertur, quod tribuatur generanti: ergò non à generante moventur. Prob. ant. Augmentatio in planta eſt juxta inclinationem naturalem ipſius. Siquidem eſt motus naturalis conformis naturali inclinationi ſubiecti, & conſequenter juxta illam. Et tamen augmentatio plantæ non tribuitur generanti: ergò ex quo motus gravium, & levium ſit juxta naturalem inclinationem illorum, non infertur, quod tribuatur generanti.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. maj juxta naturalem inclinationem per conformitatem ad principia naturalia: conc. maj. Per modum proprietatis: nego maj. & conceſſa min. neg. conſ. Quia ſolum illud quod eſt juxta inclinationem naturalem per modum proprietatis debitæ pro primo generationis inſtanti tribuitur generanti, & talis eſt motus gravium, & levium. Augmentatio verò plantæ, licèt ſit juxta inclinationem naturalem, non tamen per modum proprietatis debitæ in primo generationis inſtanti, & pertinentis ad com-

ple-

plementum rei genitæ pro inſtanti generationis. Et propterea neceſſarium non eſt, quod tribuatur generanti.

Dices: operatio prima Angeli debetur in 1. productionis inſtanti. Et tamen non tribuitur ſoli Deo, ſed etiam tribuitur Angelo, qui per illam primam operationem meretur: ergò non omne, quod debetur rebus in 1. productionis inſtanti, tribuitur generanti.

Reſp. diſt. mai. Debetur tanquam 1. libertatis exercitum, conc. mai. Aliter: neg. mai. Quia 1. operatio debetur Angelo in 1. inſtanti tanquam 1. exercitium libertatis, quod creaturæ perfectæ in 1. inſtanti debetur. Et cum exercitium libertatis debeat eſſe à propria voluntate. Indè fit talem operationem non ſolùm à Deo, ſed etiam ab Angeli voluntate provenire.

3. Arg. Gravia, & levia cauſam talem motum, non inſtrumentaliter: ergò principaliter. Quia inter cauſam principalem, & inſtrumentalem non eſt aſſignabile medium.

Reſp. Dari medium inter utramque, ſcilicèt cauſare talem motū per modum principij dimanationis, quod tamen ſatis non eſt, ut motus gravi tribuatur tanquam verè cauſæ efficienti.

4. Arg. Quando grave movetur, non exiſtit ſæpè numero generans: ergò talis motus à generante provenire non poteſt. Quia quod non eſt, non poteſt effectum producere.

Reſp. Quod in illo eventu licèt generans non ſit formaliter in ſe ipſo, perſeverat tamen virtualiter in ipſo gravi tanquam in effectu proprio. Quod ſatis eſt ut motus generanti tribuatur. Sicut quando poſt ſemen deciſſum moritur Pater, & naſcitur filius, ipſe filius genitus Patri tribuitur. Quia licèt in ſe ipſo non ſit, in ſemine tamen virtualiter perſeverat. Et propter eandem rationem quando deſtructa cauſa productiva fundamenti reſultat relatio, cauſæ producenti fundamentum attribuitur relatio. Eo quod talis cauſa virtualiter in fundamento perſeverat. Et eadem inſtantia eſt in accidentibus Euchariſtiæ, quæ in virtute ſubſtantiæ operantur, quæ ibi formaliter non eſt.

Sed inſt. Motus gravis tribuitur generanti, ut virtualiter exiſtenti. Sed generans virtualiter exiſtens, nihil aliud eſt quam ipſum grave, in quo generans virtualiter continetur: ergò motus ille tribuitur ipſi gravi.

Reſp. Quod motus ille non tribuitur generanti reduplicativè ut virtualiter exiſtenti, ſic enim non diſtinguitur à gravi. Sed tribuitur generanti ſecundum ſe licet ad hoc neceſſarium ſit, quod in gravi virtualiter exiſtat. Vndè poterat diſtingui mai.

Generanti ex parte rationis *quæ*: conc. maj. Ex parte rationis *ſub qua*: neg. maj. Quia virtualis exiſtentia eſt medium, ut generans poſsit producere, res tamen, quæ producit, eſt generans, quod in gravi virtualiter manet.

5. Arg. Gravitas, & levitas ſunt quid intrinſecum gravi, & levi. Sed gravitas, & levitas ſunt principia intrinſeca motus: ergò gravia, & levia habent principium intrinſecum motus. Et conſequenter ſe ipſa movent.

Reſp. Gravitatem, & levitatem eſſe principia dimanationis. Quia ab illis verè motus dimanat; non tamen ſunt principia abſolutè efficienter productiva.

Sed inſt. Motus gravium, & levium eſt ab illis verè effectivè: ergò habent in ſe principium intrinſecum verè efficienter productivum. Prob. ant. Motus gravium, & levium eſt ab illis elicitivè: ergò effectivè. Quia elicere eſt vere efficere motum.

Reſp. Motum gravium, & levium non procedere ab illis elicitivè, ſed ſolùm dimanativè tanquam verà illorum paſsio.

Sed inſt. Quia motus gravium, & levium non eſt illorum proprietas: ergò tota doctrina nititur principio falſo. Prob. ant. 1. Proprietas ſtatim, & in eodem inſtanti productionis ſequitur ad naturam, ſi non adſit impedimentum. Sed motus gravium, & levium non poteſt in tali inſtanti ad naturam conſequi. Siquidem motus non poteſt incipere in inſtanti: ergò proprietas non eſt.

2. Prob. ant. Proprietas prædicatur accidentaliter inſeparabiliter de natura, ſemperque convenit illi. Sed motus gravium, & levium non ſemper convenit illis. Siquidem grave extrà centrum reperitur ſine motu: ergò idem quod priùs.

3. Prob. ant. Proprietas non poteſt naturaliter impediri, ſed ſolùm de potentia abſoluta. Quia naturaliter cum eſſentia connectitur. Sed motus iſte naturaliter impediri poteſt apponendo tabulam, vèl aliud impedimentum: ergò.

Quarto prob. Una paſsio non poteſt cum altera opponi; & illam eſſentialiter excludere. Sed quies in centro eſt paſsio gravis, & motum eſſentialiter excludit, cum quo ſimul eſſe non poteſt: ergò motus paſsio non eſt.

Quinto prob. Carentia proprietatis eſt violentia ſubjecto. Sed carentia motus, quando lapis exiſtit in centro, non eſt lapidi violenta: ergò motus non eſt paſsio.

Reſp. ad repl. neg. ant. & ad 1. prob. dicimus: Proprietatem ſucceſsivam, qualis eſt motus, non debere ſequi ad rem in eodem inſtanti productionis, ſed in tempore immediatè ſequenti. Quia res ſucceſsiva ſolùm in tempore incipere poteſt.

Ad

Ad 2. prob. diſt. mai. Proprietas abſoluta, quæ non dependet ab extrinſeco: concedo mai. Proprietas reſpectiva, quæ ab extrinſeco dependet: nego mai. Et conceſſa minori, neg. conſeq. Loquendo de proprietate reſpectiva. Quia licèt proprietas abſoluta inſeparabiliter conveniat, proprietas tamen reſpectiva, quæ dependet ab extrinſeco, non ſemper convenire debet: & huius generis eſt motus gravium, & levium, qui connotat ablationem impedimenti, ut de facto conveniat: impedimento verò non ablato de facto non convenit motus. Inſtantia eſt in ſuppoſitione, quæ eſt proprietas termini. Et tamen non ſemper termino convenit. Quia reſpectiva eſt, & dependet ab eo, quod terminus intra propoſitionem exiſtat.

Dices: Quod prædicatur accidentaliter ſeparabiliter eſt accidens quintum prædicabile: ergò ſi motus iſte prædicatur accidentaliter ſeparabiliter, erit accidens quintum prædicabile, non tamen vera paſſio.

Reſp. diſt. ant. Separabiliter, tàm in ſe, quàm in ſui exigentia conc. ant. in ſe præcisè: nego ant. & conſeq. Quia licèt ille motus aliquando ſeparetur à gravibus, & levibus, ſemper tamen exigunt illum. Et ita non eſt accidens quintum prædicabile, quod non ſolum in ſe ipſo poteſt à natura ſeparari, ſed etiam non exigitur ab illa ſecundum prædicata ſpecifica ipſius, & propria.

Ad 3. prob. principalis antec. reſp. Proprietatem reſpectivam dependentem ab extrinſeco poſſe naturaliter impediri, & talem eſſe motum prædictum.

Ad 4. prob. reſp. diſt. mai. Si paſſio conveniat ſubiecto abſolutè, & independenter à ſtatu determinato: conc. mai. Sin autem: neg. mai. Quia duplex eſt paſſio, una quidem, quæ convenit ſubiecto abſolutè, & independenter à determinato ſtatu, ſicut riſibilitas convenit homini: & paſſio iſta non poteſt aliam proprietatem excludere. Alia verò eſt proprietas, quæ ſolum habet convenire pro determinato ſtatu, ſicut motus, de quo loquimur, qui ſolum poteſt extra centrum convenire. Et ideò poteſt excludere aliam paſſionem. Eo quod natura pro diverſo ſtatu diverſas, & oppoſitas paſſiones habere poteſt. Sicut gratia in via radicat fidem, & in patria radicat viſionem beatam, fidem eſſentialiter excludentem.

Ad 5. prob. reſp. Carentiam proprietatis eſſe violentam pro illo ſtatu, pro quo debet convenire proprietas. Cumque motus non debeat lapidi convenire, quando lapis eſt in centro. Inde fit carentiam motus pro illo tempore nullatenus eſſe violentam.

Dices:

Dices. Proprietatem naturaliter diminare ab eſſentia: ergò pro omni ſtatu, & ſemper debet illi convenire. Proindeque illius carentia ſemper debet eſſe violenta.

Reſp. proprietatem reſpectivam dependentem ab aliqua condicione, vèl ab aliquo ſtatu dimanare quidem naturaliter ab eſſentia, non tamen extra ſtatum illum, ſed ſolum in illo ſtatu. Et ideò motus à lapide extra centrum exiſtente naturaliter conſequitur, & dimanat, ſi ab aliquo extrinſeco non impediatur. Inſtantia eſt in Unione Beata, quæ ſolùm in ſtatu patriæ naturaliter dimanat à gratia.

Sexto arg. Maior. velocitas motus naturalis in centrum non provenit à generante: ergò nèc ipſe motus. Quia utriuſque eadem ratio eſt. Prob. ant. Si maior velocitas motus proveniret à generante, velocior eſſet motus in principio quam in fine. Quia agens fortius agit in propinquum, quàm indiſtans. Et grave magis coniungitur generanti in principio, quam in fine. Sed motus non in principio, ſed in fine velocior eſt, juxta proverbium illud: *Motus in fine velocior*: ergò maior velocitas motus naturalis non provenit à generante.

Reſp. neg. ant. Et ad prob. neg. mai. Quia licèt agens movens per impulſum impreſſum paſſo fortius agat in propinquum. Eo quod per diſtantiam debilitatur, & diminuitur virtus agentis. Agens verò, quod movet propter productionem naturæ, & eorum, quæ ſequuntur ad naturam, poteſt fortius agere in diſtans: & tale eſt generans gravia, & levia. Quod quidem communicat illius naturam, & proprietates, quarum una eſt motus naturalis in centrum. Et cum centrum ſit terminus attractivus, & naturaliter conſervativus lapidis. Indè eſt, quod lapis velocius movetur, quanto magis appropinquat ad centrum. Quia tanto magis virtus lapidis, & illius gravitas confortatur. Quam doctrinam 1. de Cœlo lect. 17. traddit Angel. Doct.

Dices: ergò lapis non à generante, ſed ab ipſo centro movetur.

Reſp. Quod attractivè movetur à centro tanquam à termino trahente ad ſe lapidem ipſum; effectivè verò à ſolo generante movetur.

Dices. Maior velocitas provenit ex eo quod quanto magis coniungitur centro, tanto magis attrahitur ab illo: ergò illa major velocitas non provenit effectivè à generante, quod poſtquam naturam dedit, nihil aliud facere videtur.

Sed neg. conſeq. Quia illa maior velocitas dimanat à natura lapidis, quando appropinquat ad centrum, & quanto magis, appro-

appropinquat, maior dimanat velocitas propter affinitatem, & propenſionem ad centrum. Et cum generans talem dederit naturam, & cum tali propenſione. Inde eſt illam maiorem velocitatem prevenire efficienter à generante, tanquam à producente naturam, & ea, quæ naturaliter ad naturam conſequuntur.

§. IV.

Vltimum argumentum ſolvitur.

TAndem arg. Motus cordis eſt propria paſsio viventis, & ipſius cordis, illique debetur in primo productionis inſtanti. Et tamen non tribuitur generanti, ſed cordi, & ipſi viventi: ergò quamvis motus gravium, & levium ſit proprietas illorum, non inde infertur, quod tribuatur generanti. Maior cum conſeq. tenet, & min. prob. Quia cor, & ipſum vivens ſe movet ad talem motum: ergò motus ille non tribuitur generanti, ſed cordi. Prob. ant. De ratione motus vitalis eſt eſſe à principio intrinſeco ſe movente. Quia vivere eſt ſe movere. Sed motus cordis vitalis eſt: ergò cor ſe movet ad talem motum.

Reſpondent aliqui talem motum tribui generanti applicativè, cordi autem elicitivè. Quia cor elicitivè ſe movet ad talem motum.

Sed contra eſt. Quia in omni ſe movente debet diſtingui pars movens à parte mota, nè idem ſecundum idem ſit movens, & motum. Sed in corde non poteſt diſtingui pars movens à parte mota. Siquidem eſt totum homogeneum, & habet partes eiuſdem rationis: ergò non poteſt cor ſe ipſum ad talem motum movere.

Secundo reijc. Quia talis motus eſt propria paſsio viventis, & cordis. Et tamen à corde provenit elicitivè juxta ſolutionem datam: ergò poterit motus gravium & levium ab ipſis elicitivè procedere, quamvis illorum paſsio ſit.

Secundo reſpondent alij illum motum dimanare à corde per naturalem reſultantiam, quod non tollit illius vitalitatem. Quia licèt actus vitæ animalis debeant eſſe à principio intrinſeco ſe movente, non tamen actus, qui merè vitalis eſt, qualis eſt motus cordis.

Sed contra eſt. Quia diſtinctivum actus vitalis à non vitali debet neceſſario convenire cuicumque actui vitali. Sed motus cordis, quamvis non ſit vitalis vita animalis, verè tamen vitalis eſt: ergò debet eſſe à corde ſe movente ad talem motum. Undè ſolutio iſta niſi melius explicetur, vel reducatur ad aliam, quam dabimus infra, vera eſſe non poteſt, & contra D. Th. 1. 2. q. 17. art. 9. procedit.

Ter-

Tertio resp. ad arg. neg. min. & ad prob. neg. antec. & ad huius prob. dist. mai. Motus vitalis ut *quod*: conc. mai. Vitalis ut *quo*: neg. mai. & dist. min. Vitalis ut *quo*: conc. min. ut *quod*. neg. min. & claritatis gratia, dist. consequens. Si movet ut *quo*: conc. conseq. Vt *quod*: neg. conseq. Quia motus cordis solùm est vitalis ut *quo*, quatenùs per illum constituitur vivens potens se movere ad alias operationes vitales. Et prima operatio, quæ solùm est vitalis ut *quo* constituendo subiectum potens ad alias operationes vitæ exercendas, non debet tribui ut *quod*, & absolutè viventi, sed illius generanti.

Dices. Quod vivere est se movere. Sed cor vivit per illam operationem: ergò illa operatio, vèl motus debet procedere ab intrinseco viventis, & cordis, & non tribui generanti.

Resp. dist. mai. Se movere juxta qualitatem vitæ: conc. mai. Contra vitæ qualitatem: nego mai. Et dist. min. Vivit ut *quod*: neg. min. Vt quo: conc. min. Et dist. conseq. Ab intrinseco ut *quo*: conc. conse. Vt *quod*: nego conseq. Quia sicut unumquodque vivit, ità se movet, & habet operationem, vèl motum à se ipso; cor autem per illum primum motum solum vivit ut *quo*, quatenùs per ipsum constituitur potens se movere, & exercere operationes vitales, non tamen per illam operationem vivit ut *quod*, & perfectè. Et ideò illa operatio non debet ut *quod* procedere ab ipso corde, sed ab eius generante.

Quarto ad arg. alia via resp. & mihi non Improbanda. Videlicèt motum cordis in primo instanti deberi, non quidem per modum proprietatis rigurosæ, sed per modum proprietatis latè sumptæ id est per modum primi exercitij vitalis, quo vivens constituitur potens se movere ad alias operationes vitales. Et cum de ratione exercitij vitalis sit procedere ab intrinseco viventis. Indè fit talem motum elicitivè efficientèr provenire ab ipso corde, & illi attribui, & solum applicativè provenit à generante. Sicut in Angelo prima operatio vitalis, & libera in primo instanti debetur. Et tamen non est passio rigurosa, sed elicitivè provenit ab ipso Angelo, & à Deo dumtaxat applicativè. Quia debetur per modum exercitij liberi, & vitalis, quod debet ab intrinseco provenire. Angel. Autem Præcept. & Thomistæ asserentes passiones, & proprietates esse tribuendas generanti tanquam unicæ causæ efficienti, de passione rigurosa loquentur, & quæ verè, & propriè potest ab essentia dimanare. Quam solutionem omnium venia, inter omnes probabiliorem existimo.

Pla-

Placet tamen alia via argumento reſpondere. Motum videlicèt cordis non eſſe vitalem per modum actus ſecundi, ſed ſolum eſſe vitalem vitalitate principij, & per modum proprietatis conſequentis formam vitalem. Et ad vitalitatem prædictam, ſatis eſt, quod ille motus, à forma vitali dimanet, & vivens mediante illo ſe moveat ad alias operationes vitales. Et propterea motus iſte non tribuitur viventi, ſed illius generanti.

Sed inſtabis. Motus ille vitalis eſt per modum motus, quo ipſum cor movetur in actu ſecundo: ergò non ſolum eſt vitalis per modum actus primi, & vitalitate proprietatis, ſed etiam per modum actus ſecundi. Quia per principium vitale, & per veram proprietatem nunquam poteſt vivens in actu ſecundo moveri.

Reſp. diſt. ant. Movetur à ſe ipſo: neg. ant. Movetur à generante: cono. ant. & neg. conſeq. Ut namque motus ille vitalis ſit per modum actus ſecundi, neceſſarium erat, quod per illum motum cor moveretur à ſe ipſo. Quod tamen eſt falſum. Quia per illum motum ſolum efficiènter à generante movetur.

Sed inſt. Vivens per alia principia non movetur in actu ſecundo, benè tamen per motum prædictum: ergò talis motus vitalis eſt per modum actus ſecundi.

Sed neg. conſeq. Quia ex quo per alia principia non moveatur in actu ſecundo, benè tamen per illum motum, ſolum infertur ſubſtractum, quod denominatur vitale, eſſe diverſum; non tamen diverſum eſſe modum vitalitatis: nèc vitalitatem motus cordis eſſe talem formaliter per modum actus ſecundi. Ad hoc enim requirebatur, quod à principio intrinſeco ſe movente, procederet, quod motus cordis non habet, ſed ſicut alia principia dimanat à natura viventis per modum actus primi: ita motus iſte per modum actus ſecundi ab eadem natura dimanat.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. diſcurſu infertur 1. quod ſi grave, quod multum diſtat à centro velocius movetur in medio motus, quam alterum grave, quod parum diſtat à centro moveatur in quacumque parte motus, hoc ideò eſt. Quia illèt motus velocior fiat ex propinquitate ad centrum cæteris paribus, in parva tamen diſtantia non eſt tantum temporis, ut pondus, & inclinatio augeatur, & motus velocior fiat.

Secundo ex dictis infertur, quod quando aqua reducitur ad priſtinam frigiditatem, illa

reductio dimanativè provenit à natura aquæ, quæ talem exigit proprietatem, efficientèr verò provenit à generante.

Tertio colligitur lapidem projectum violenter moveri per impulſum, & virtutem proijcientis. Quia lapis per gravitatem, & naturam propriam reſiſtit illi motui. Et ideò ut moveatur, neceſſaria eſt virtus lapidi impreſſa ab impellente, per quam violenter moveatur: ad quem quidem motum maximè juvat aer concitatus. Et propterea quamvis virtus proijcientis fortior ſit in principio: quia tamen in medio motus iam aer eſt valde concitatus. Ideò motus in medio velocior eſt, fortiuſque percutit paſſum propter aeris vehementem concitationem. Undè piſa plumbea fortius percutit in medio, quàm in principio violentèr emiſſa.

Quatuor colligitur agens, & patiens debere ſimul eſſe, vèl immediatione virtutis, vèl in mediatione ſuppoſiti. Quia agens ut agat, debet ſubijcere ſibi paſſum. Alias non eſſet maior ratio, quarè in hoc paſſum, quam in alterum ageret. Sed non poteſt ſibi ſubijcere paſſum, niſi illud tangat contactu immediato ſuppoſiti, vèl immediatione virtutis: ergò talis ſi multas inter agens, & patiens neceſſaria eſt. Et ideò in agentibus, quæ agunt per virtutem diffuſam, per ſe prius illa virtus recipitur aliquo modo in ſubjecto immediato, & per ipſam tranſit ad ſubjectum mediatum, & diſtans. Undè agens eſt immediatè coniunctum primo paſſo immediatione ſuppoſiti, alijs verò, quæ ſequuntur, & diſtant, ſolum eſt coujunctum immediatione virtutis.

Hoc idem confirmatur. Quia, ſi agens poſſet agere prius in diſtans, quam in paſſum propinquum, non haberet in agendo ſpheram determinatam, ſed in quacumque diſtantia agere poſſet. Ex quo etiam provenit, quod cum virtus agentis materialitèr multiplicetur in paſsis recipientibus diverſis, diminuitur in illis, & tandem poſt aliqua ſubjecta, quę pertranſit, finitur, & non poteſt ultra aliquem producere effectum, ut pertinentia teſtatur.

Dices: Ignis calefacit aquam lebetis, non tamen fundum illius. Quia ſi manus apponatur in fundo, quando aqua fervere incipit, fundum frigidum invenitur. Similitèr magnes attrahit ferrum, & non aerem immediatum. Et piſcis nomine Torpedo immobilitat manum piſcatoris per qualitatem impreſſam, non tamen arundinem. Et oculi faſcinantium damnum inferunt pueris, non tamen alijs immediatè coniunctis: ergò agentia iſta priùs in diſtans, quam in propinquum operantur.

Reſp.

Reſp. ad experientiam primam. Ignem priùs calefacere fundum lebetis, quàm aquam. Quia tamen calefacit profundioribus partibus aquæ aſcendunt ipſæ ſurſum, & ſuperiores partes infra deſcendunt, & infrigidant fundum. Ideò quando incipit aqua fervere, ipſum fundum frigidum invenitur.

Ad alias experientias reſp. Omnia illa agentia priùs agere in propinquum, quam in diſtans: non tamen eundem effectum cauſare in paſſo propinquo. Quia propinquum capax non eſt eiuſdem effectus in pravè diſponentis; cuius tamen paſſum diſtans capax eſt. Sicut Solis virtus, quæ per aerem ad inferiora deſcendit, non producit in aere metalla propter eius in capacitatem, quæ tamen in terra producit.

Quinto colligitur mobile quieſcere in puncto reflexionis. De motu quidem cordis id docet Ang. Doct. opuſcul. 35. Et ratio ſuadet. Quia laborioſum valdè eſſet tanto tempore vitæ, cor animalis non relevari per morulas aliquas, quibus motus interrumpatur, & paululum quieſcat. Et ita in reflexione talis motus per dilationem, & conſtrictionem in puncto reflexionis in aliqualiter licèt breviſſimè quiaſcit.

De alijs verò motibus certum etiam debet eſſe. Quia motus directus, & reflexus habent terminos contrarios, videlicet ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextrum, & ſiniſtrum. Motus verò habens terminos ſpecie diſtinctos non poteſt eſſe continuus. Et ideò neceſſum eſt, quod mobile in medio reflexionis inter utrumque motum aliquantulum quieſcat. Cuius etiam ſignum eſt. Quia motus iſti reflexi ſe invicem impediunt, & terminus, qui eſt ad quem reſpectu unius, ſe habet ut à quo reſpectu alterius. Nam ubi motus directus finitur, incipit motus reflexus. Qua propter dum lapis cadens in terra ſurſum reſilit, vèl pila à pariete in parietem reflectitur, vèl à terra in aerem, in illo intermedio reflexionis finitur primus motus, & mobile quieſcit, & incipit motus ſecundus.

Sexto colligitur impulſum aliquando deficere ex reſiſtentia corporis contrarij interpoſitis aliquando verò ex defectu cauſæ conſervantis; quatenus videlicèt aliquando per interpoſitionem corporis mollis finitur influxus, ſicut quando lapis in lana recipitur: & aliquando quia cauſa conſervativa deficit, ut cum impulſus recipitur in ſubiecto non ſatis apto ad impulſum conſervandum.

Vazquez tamen 1. 2. diſp. 81. docèt impulſum non deficere ex defectu conſervantis, ſed

propter contrariam formam, per quam formaliter expellitur.

Si tamen contra ipſum arguas. Impulſum, quo lapis proijcitur deorſum, non invenire formam contrariam in lapide. Eo quod impulſus ille non eſt contrarius gravitati lapidis, quæ potius ad motum deorſum inclinatur.

Reſpondet. Terram eſſe quaſi in bilance ponderibus libratam ſuis. Et ideò impulſum illum à terra corrumpi, quam quidem tangit, & movet motu quodam trepidationis.

In oppoſitum tamen Scriptura loqui videtur. Pſalmo 103. in quo Deo dicitur: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Præterquamquod ſenſuum experientia oppoſitum ſuadet. Et revera lapidem movere terram eſt contra ordinem univerſi. Et inſuper. Si ex adverſo latere duo lapides proijciantur, finitur impulſus, antequam lapides per motum proprium vertantur in terram, & ipſam movere poſsint & tandem Vazquez irriſit quidam Poeta ſequentibus verbis, *ſtare negans terram, nobis miracula narras. Hæc dùm ſcribebas, in rate ſorsàm eras.* Et hæc de artic. ſito octavo. Phyſic. text. 31. & lib. 5. text. 20. & in præſenti per totum ferè librum ad Phyloſophum applicanda.

LIBER OCTAVUS

ET IN EO QUÆSTIO PRIMA

DE INCEPTIONE MUNDI.

ARTICULUS UNICUS.

Virùm mundus potuerit eſſe ab æterno.

§. 1.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur, prima concluſio.

MUndum ab æterno extitiſſe Ariſt. docet affirmat Angelicus Præcept. 2. contra gentes cap. 18. alibi tamen aſſerit: Ariſt. non illud abſolutè docuiſſe, ſed tantum aliqua tradidiſſe, quæ ad id facere videntur, contra antiquos Phyloſophos diſputando. Cuiuſcumque tamen ſententia illa ſit.

Subſtinenda non eſt. Quia Geneſ. 1. dicitur: *In principio creavit Deus Cælum, & terram.* In quibus verbis ly principium de prin-

principio, vèl initio temporis à Patribus explicatur, & Ioan. 17. dicitur etiam: *Clarifica me Pater apud temet ipsum claritate, quam habui antequam mundus fieret.* Quæ verba licèt explicari possint de prioritate naturæ, qua verbum esset antè mundum adhùc existentem ab æterno, communiter tamen de rigurosa prioritate, & in *quo*, & per præcedentiam infinitam in æternitate à Patribus intelliguntur. Quod etiam diffinitum fuit in Lateranensi Concilio sub Innocent. III. ibi namque in capite firmitèr de summa Trinitate habetur: *Deum omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque condidisse creaturam de nihilo corporalem videlicèt, & spiritualem scilicet, & nos in symbolo profitemur.*

Ratio etiam, & congruentia suadet. Quia melius cognoscitur dependentia creaturarum à Deo, illas in tempore producendo, quam si illas faceret ab æterno. Quia si in tempore fiunt, evidens est illas dependere à Deo, & non esse à se, sed ab ipso: quod non esset ita clarum, si illas ab æterno produxisset. Et insuper clarissimè cognoscitur Deum libere producere creaturas. Nam si essent ab æterno posset aliquis dubitare: An Deus creaturas libere, vèl ex necessitate naturæ produxisset: ergè Deus non produxit creaturas ab æterno, sed in tempore fecit. Ut ita producendo creaturas propriam libertatem, & illarum dependentiam congruentius explicaret.

Dices: De ratione Summi Boni est summè se communicare sed communicatio ab æterno maior est, quam communicatio in tempore: ergò creaturas ab æterno produxit.

Resp. De ratione Summi Boni esse summè se communicare juxta ordinem Divinæ sapientiæ, non tamen absolutè. Ordò verò Diuinæ sapientiæ postulat, quod Deus in tempore communicetur creaturis, ut ita melius explicetur Divina libertas, & dependentia creaturarum à Deo.

Dices 2. Materia existit ab æterno. Sed materia nequit existere sine forma: ergò existit ab æterno creatura corporalis. Prob. mai. Omne, quod incipit esse prius habuit potentiam ad essendum. Sed talis potentia non potuit esse nisi in illius materia: ergò materia semper existit ab æterno.

Resp. Omne quod incipit esse habere prius potentiam ad essendum, non tamen physicam, & receptivam, quæ est illius materia, se metaphysicam, vèl logicam consistentem in non repugnantia quam res habet ut producatur, & fiat, quæ necessario debet præcedere factum. Quia prius est aliquid esse possibile, quam quod producatur, & fiat.

3. Inſt. Deus ab æterno erat cauſa ſufficiens ad producendum mundum. Sed poſita cauſa ſufficienti ſtatim effectus producitur: ergò mundum ab æterno produxit.

Reſp. Poſita cauſa ſufficienti neceſſaria ſtatim effectum conſequi. Sicut potentia viſiva debitè applicata ſtatim videt objectum: & ignis debitè applicatus, ſtatim calefacit paſſum. Deus tamen non eſt cauſa neceſſario operans, ſed libere. Et ita quando vult producit effectum, & non volvit mundum ab æterno producere, ut ant. diximus.

Sed inſt. Actio qua Deus mundum produxit, quamvis liberat ſit, erat tamen ab æterno: ergò mundum ab æterno produxit. Quia actio non poteſt ſine effectu reperiri.

Reſp. Actionem Divinam fuiſſe ab æterno entitativè; non tamen quantum ad connotatum, & liberam terminationem ad creaturas producendas in propria menſura.

Dices. Actio Divinæ voluntatis entitativè ſumpta non poteſt eſſe ſine effectu. Eo quod actio ſumpta entitativè eſt fieri effectus. Et fieri non poteſt ſine effectu dari. Sed actio Divina entitativè erat ab æterno: ergò mundum ab æterno produxit.

Reſp. Actionem Divinam entitativè conſideratam non eſſe fieri effectus, ſed ſolum conſideratam ſecundum terminationem ad effectum, & ut virtualiter tranſeuntem, ſecundum quam conſiderationem ab æterno non erat.

Sed inſt. Actio illa ut terminata ad effectum erat ab æterno: ergò ſolutio nulla eſt. Prob. ant. Si ut terminata ad effectum non eſſet ab æterno, aliquid Deus inciperet in tempore velle, quod non voluit ab æterno. Sed hoc dicendum non eſt: ergò actio illa ut ad effectum terminata erat ab æterno.

Reſp. Actionem Divinam ſecundum formalitatem, & denominationem volitionis eſſe ab æterno terminatam ad creaturas, quas Deus ab æterno decrevit: illam verò actionem ſecundum denominationem ſecundariam uſus applicantis ad executionem effectus. Non eſſe ab æterno. Et ita mundum ab æterno non produxiſſe. Eo quod effectus ſolùm ſequitur in executione ad actionem Divinæ voluntatis ut applicantis executivè ad productionem effectus.

Dices. Illa denominatio uſus in actione Divinæ voluntatis eſt aliqua volitio, ſicut omnis formalitas intellectionis eſt intellectio: ergò ſi ſecundum hanc formalitatem non æterna, ſed temporalis eſt, aliquid Deus incipit in tempore velle.

Reſp. diſt. ant. Volitio ſecun-

cundum formalitatem volitionis: nego antec. Secundum formalitatem ſecundariam uſus: conc. antec. & neg. conſ. Quia non omnis formalitas volitionis eſt volitio ſecundum formalitatem volitionis. Sicut intellectio ſecundum formalitatem productionis, & dictionis non eſt intellectio ſecundum formalitatem intellectionis. Et ideò in volitione Divina diſtinguitur formalitas, & expreſsio volitionis, quæ primaria eſt, & formalitas uſus applicantis ad executionem operis, quæ ſecundaria eſt. Et hæc ſecunda formalitas temporalis eſt, & in tempore applicat ad effectum producendum; 1. verò formalitas erat ab æterno terminata ad creaturas, propterea que nunquam Deus incipit aliquid in tempore velle, ſed ſolum incipit executionem in tempore, & ità exequitur, ſicut ab æterno decrevit. His ergò prælibatis reſtat modo difficultas. An ſit aliqua creatura, cui exiſtentia ab æterno repugnet? Sivè inter res ſucceſsivas, ſivè inter res permanentes. Et pro rebus permanentibus ſit.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***

§. II.

Prima Concluſio.

Res perſtanentes potuerunt eſſe ab æterno.

COncl. iſta prob. Creaturam eſſe ab æterno non repugnat ex parte virtutis Dei, quæ ab æterno infinita eſt. Nèc ex parte creaturæ. Quia ratio entis creati compatitur cum exiſtentia ab æterno: ergò non repugnat creaturam permanentem eſſe ab æterno, ſed potiùs potuerunt res permanentes ab æterno exiſtere de potentia Dei abſoluta. Ant. quantum ad 2 partem prob. Quia ad rationem effectus creati ſufficit, quod ſit poſterior naturâ, vel origine dependentiæ à creatore. Sed poſterioritas naturæ compatibilis eſt cum exiſtentia ab æterno. Siquidem res quæ ſolum natura poſterior eſt ipſo Deo, eſt ſimul ſimultate inſtantis in quo, & tempore ſimul cum Deo: ergò ratio entis creati compatitur cum exiſtentia ab æterno.

Conf. Si creatura eſſet ab æterno ſolum menſuraretur æternitate participata. Sed non implicat creaturam menſurari æternitate participata, ſicut conſtat in viſione beatifica, quæ tali æternitate menſuratur: ergò non implicat creaturam ab æterno exiſ-

exiſtere. Prob. min. Æternitas, quæ poteſt habere finem, & ab extrinſeco deſtrui æternitas participata, eſt limitata, & finita. Sed æternitas, qua creatura ab æterno exiſtens de facto menſuraretur, poſſet habere finem, & à Deo deſtrui, vèl ab ipſo anihilari: ergò ſi creatura exiſteret ab æterno, menſuraretur ſolùm participata æternitate.

Conf. 2. Non implicat creaturam eſſe infinitam in durando à parte poſt, ſed potius aliquæ creaturæ, quales ſunt Angeli connaturalitèr petunt durationem iſtam: ergò non implicat creaturam permanentem eſſe infinitam à parte ante. Quia utriuſque eadem ratio videtur.

Dices. Si Angelus, v. gr. eſſet ab æterno, eſſet verùm dicere Deum Angelum creare, ut ſupponitur, & etiam Angelum non creare, quæ ſunt prædicata contradictoria. Sed implicat duo contradictoria eſſe ſimul vera: ergò implicat. Angelum, vel aliam creaturam permanentem eſſe ab æterno. Prob. mai. quantum ad 2. partem. Hæc propoſitio, Deus modo non creat Angelum, eſt verà propoſitio. Quia Deus in tempore, & modo non creat Angelum, ſed illud ab æterno creavit. Sed propoſitio prædicta nunquam incepit eſſe vera: ergò ſemper verum fuit. Deum Angelum non creare. Prob. min. Semper fuit verùm dicere, Deus non creat Angelum: ergò prædicta propoſitio nunquam incipit eſſe verà. Prob. ant. Non eſt dabile nunc, in quo ſit verum dicere. Deus non creat Angelum. Quia ſi ab æterno creaſſet, eſſet Angelus ante talè nunc, & anteà, uſque in infinitum: ergò ſemper fuit verùm dicere, quod Deus non creat Angelum.

Reſp. 1. neg. mai. primam, & ſecundam. Quia propoſitio negativa, & illius propoſitio de in eſſe ſemper eſt falſa. Eo quod Deus ab æterno creavit, & ſemper creat, ſicut Verbum Divinum ſemper generatur, & Pater ſemper generat ipſum. Nam quo ab æterno producitur, ſemper producitur, ſicut 1. p. quæſt. 42. art. 2. ad 4. docèt Angel. Doct.

2. Reſp neg. ultimam conſeq. Quia ut hæc propoſitio, Deus non creat Angelum, ſit falſa non requiritur, quod in aliquo inſtanti determinato falſificetur, ſed ſatis eſt, quod Deus in aliquo inſtanti æternitatis intelligatur creare Angelum. Et ideò poſſumus diſtinguere ultimum ant. Non eſt dabile nunc determinatum, & in *quo*: conc. ant. Nunc intelligibile, & à *quo*: neg. ant. & conſeq. Si namque Deus creaſſet Angelum ab æterno, eſſet dabile nunc naturæ, in quo non dùm Deus intelligeretur producere Angelum: & etiam eſſet dabile aliud nunc intelli-

nelligibile naturæ poſterius poſterioritate à quo, pro quo eſſet verùm dicere, Deus intelligitur creans, pro quo eſſet falſum dicere, Deus non intelligitur creans Angelum, quæ omnia contradictoria non ſunt.

Alitèr reſp. diſt. illam min. Nunquam incepit eſſe verà inceptione temporis: conc. min. Inceptione cauſalitatis: neg. min. & conſ. Quia licèt non ſit aſſignabile nunc temporis, in quo prædicta propoſitio inceperit eſſe vera; eſt tamen aſſignabile nunc cauſalitatis, illa videlicèt poſterioritas naturæ ad Deum, & primam cauſam, pro quo Deus Angelum produxit, quamque Deus deſignare poteſt.

Dices: ergò aliquando etiam fuit verum, Deus non creat Angelum. Et conſequenter fuit verum Deum creare, & non creare Angelum.

Reſp. diſt. conſ. Non creat comparative ad tempus, & negatione privativa: neg. ant. Comparativè ad ordinem cauſalitatis, vèl proprietatem naturæ: conc. antec. Quia quamvis nunquam fuerit verum, nunc temporis non creat Angelum; fuit tamen verùm nunc naturæ, & cauſalitatis, & negatione ſumpta præciſivè, & negativè non creat.

2. Poterat arg. Quod creatum eſt, tranſit de non eſſe ad eſſe. Sed quod eſt ab æterno, non tranſit de non eſſe ad eſſe. Quia quod eſt ab æterno, ſemper fuit: ergò quod eſt ab æterno, non poteſt eſſe creatum.

Reſp. diſt. mai. De non eſſe ad eſſe per excluſionem ſubiecti ex quo fiat, & negationem eſſendi in aliquo inſtanti naturæ: conc. mai. Per excluſionem eſſendi in aliquo inſtanti temporis: nego mai. & ſub eadem diſtinctione min. neg. conſeq. Quia, ut aliquid creetur, neceſſarium non eſt, quod priùs habeat non eſſe in aliquo inſtanti temporis, ſed ſatis eſt quod priùs intelligatur non eſſe in aliquo inſtanti naturæ, propriori videlicèt ſuæ cauſæ. Quæ autem poterant hic etiam opponi, in ultimo §. breviſsimè diluentur. Et ideò ſic.

§. III.

Secunda Concluſio.

Res ſucceſſivæ non poterunt eſſe ab æterno.

SEntentiam oppoſitam communiter defendunt Thomiſtæ, aſſerentes eſſe expreſſam D. Thom. de quorum fundamento dicemus: unus tamen vèl alter pro noſtra ſententia eſt, ſufficiat verò R. Mag. S. Thoma, qui pro pluribus computari poteſt.

Ipſam docere videtur Aug. Præcept. pluriàus in locis ſpecialitèr quæſt. 3. de potent. art. 14. &

art.

art. 17. in quibus locis ex modo quæ præcedit, & argumentis reſpondet, cognoſcitur clarè ipſum ſentire, motum non poſſe eſſe ab æterno. Idipſum docet 1. p. quæſt. 46. art. 2. in quo reperit doctrinam traditam opuſc. 17. ante medium, quæ talis eſt. *Non repugnare, ſi ponatur cauſa producens effectum ſuum ſubitò, quod non præcedat durationè ſuum cauſatum; repugnare autem in cauſis producentibus effectum ſuum per motum. Quia oportet quod principium motus, præcedat finem eius.* In quibus verbis expreſſè aſſerit: motum debere præcedere ſuum cauſarum, & effectum pro aliqua duratione. Et conſequentèr mutatum eſſe mobilis, quod eſt effectus motus, non poſſe non durationè ſupponere motum. Proindeque tale mutatum eſſe non poſſe eſſe ab æterno; ſed motus non poteſt dari ab æterno ſine aliquo mutato eſſe in mobili producto: ergò motus non poteſt eſſe ab æterno, & talem eſſe mentem Angel. Præcet. cuicumque legenti opuſculum, manifeſtè conſtabit.

Reſp. D. Thom. Non loqui de quocumque effectu producto per motum; ſed ſolùm loqui de effectu diverſo à mutato eſſe, quo motus ipſe completur, & non dicitur effectus motus, ſed potiùs complementum illius.

Sed contra eſt. Quia ratio æqualitèr convincit, motum deberè præcedere durationè quemcumque effectum, etiam ipſum mutatum eſſe: ergò de quocumque effectu, etiam de mutato eſſe inteligendus eſt D. Th. Prob. ant. Ideò motus debet durationè præcedere effectum diverſum à mutato eſſe. Quia quæcumque etiam minima pars motus tempore durat, & talis effectus producitur in inſtanti. Sed etiam pars motus, quæ præcedit mutatum eſſe, tempore durat: & ipſum mutatum eſſe producitur in inſtanti: ergò ratio æqualitèr convincit motum debere durationè præcedere, & quemcumque effectum, & ipſum mutatum eſſe.

Reſp. 2. Cauſam per motum agèntem debere præcedere durationè omnem effectum, etiam ipſum mutatum eſſe. Ex quo ſolùm ſequitur prædictum mutatum eſſe non poſſe eſſe ab æterno, non tamen ab æterno non poſſe exiſtere motum.

Sed contra eſt. Quia ſi motus exiſteret ab æterno, non tamen aliquod mutatum eſſe, iam ipſe motus durationè temporis infinita præcederet mutatum eſſe. Nam æternum durationè infinita præcedit illud, quod æternum non eſt. Sed implicat motum durationè infinita præcedere mutatum eſſe: ergò implicat motum eſſe ab æterno, non tamen mutatum eſſe. Prob. min. Si motus

tus duratione infinita præcederet quodcumque mutatum eſſe, per totam illam durationem non daretur niſi unica pars motus. Aliàs daretur etiam aliquod mutatum eſſe, quod neceſſario mediat inter duas partes motus. Sed implicat per infinitam durationem ſolùm exiſtere unicam partem motus. Aliundè per durationem illam infinitam non daretur ſucceſsio partium. Et conſequentèr deſtrueretur eſſentia entis ſucceſsivi: ergò implicat motum duratione infinita præcederè mutatum eſſe.

Sed inſt. 1. quod D. Thom. quæſt. 3. de Potent. art. 17. in ſolutione ad 17. reſpondet dicendum: *Quod illa ratio non probat, quod motus ſemper fuerit, ſed quod motus circularis poſſit eſſe ſemper*: ergò ſentit D. Th. motum exiſtère poſſe ab æterno.

2. Inſt. quia D. Th. in eadem quæſt. art. 14. ad 9. reſp. *Quod Ævum, & tempus ab æternitate differunt non ſolum ratione principij durationis, ſed etiam ratione ſucceſſionis. Tempus enim in ſe ſucceſſivum eſt.* Quibus verbis ſatisfacit argumento intendenti probare creaturam non poſſe eſſe æternam. Quia creatura menſuratur tempore, vèl ævo. Et ævum, & tempus ab æternitate differunt: ergò ſentit etiam D. Th. quod quamvis motus, & tempus eſſent ab æterno, adhuc eſſent ſucceſsiva. Conſequentèrque non eſt contrà rationem entis ſucceſsivi, quod exiſtat ab æterno.

Verùm tamen ad inſtantiam 1. facilis eſt ſolutio. Quia D. Th. non reſpondet ſolutione approbante, vèl aſſerente, ſed tantùm ſolutione committente. Nec D. Th. aliquando id affirmavit; ſed ſemper, vèl committendo, vèl ex aliorum ſolutione reſpondet, ut conſtabit legenti contextum: & maximè in 1. p. quæſt. 46. art. 2. ubi ſatis clarè ſe explicat D. Th. Si tamen quandoque aſſerit D. Th. motum circularem potuiſſe eſſe ab æterno, ſolùm loquitur ex ſuppoſitione, quod motus potuerit eſſe ab æterno, qua ſuppoſitione facta, nullus aptior eſt, quam motus circularis, ut exiſtat ab æterno.

Dices, D. Th. objicere rationes contra Ariſt. procedentes ad probandum mundum non eſſe ab æterno, & affirmat Rationes prædictas efficienter intentum non ſuadere. Quia non repugnat mundum forè ab æterno. Conſequentèrque D. Th. in eodem ſenſu concedit mundum poſſibilem ab æterno, quo ipſum Ariſt. conceſsit. Sed Ariſt. conceſsit mundum ab æterno quantum ad res ſucceſsivas: ergò etiam illas poſſe ab æterno exiſtere concedit D. Th.

Reſp. tamen facile. D. Th. tantùm ſentire mundum poſſe eſſe ab æterno quantum ad res per-

permanentes; & pro ea parte ſolvere rationes contra Ariſt. procedentes; non tamen ſentit D. Th. mundum potuiſſe eſſe ab æterno quantum ad res ſucceſsivas, ſed potiùs in hoc ab Ariſt. recedit, & ſic D. Th. ſentire conſtat ex loco citat. 1. p. & opuſc. 27. ad finem ipſius.

Ad 2. inſt. reſp. Tempus, & Ævum, etiam ſi forent ab æterno, habitura eſſe ſucceſsionem formalem, vèl virtualem, in quo ab æternitate differrent; non tamen tempus, & ævum haberent propriam, & ſibi debitam ſucceſsionem pro illo ſigno, quo carerent principio durationis, ſicut contingeret, ſi exiſterent ab æterno. Quia illa pars, in qua motus produceretur à Deo, & acquireret ſuum eſſe, non poſſet ſucceſsionem habere, ut probavimus, & ſtatim infrà dicemus. Et ideò ex hac parte repugnat, motum, & aliàs res ſucceſsivas exiſtere formaliter ab æterno.

His ergò præmonitis circa doctrinam SS. Præcept. quæ pro utraque parte ſufficientem probabilitatem oſtendit. Ratione efficaci prob. noſtra concl. Quia nulla pars motus ab æterno potuit exiſtere: ergò motus non potuit eſſe ab æterno. Prob. ant. Non potuit eſſe ab æterno illa pars motus, quam Deus antè omnes aliàs produxit: ergò nulla. Quia illa præcedit omnes aliàs. Et conſequentèr, ſi illa ab æterno non foret, nulla eſſe ab æterno. Prob. ant. Si prædicta pars eſſet ab æterno, tempore infinito duraret. Sed implicat talem partem tempore infinito durare. Alias toto illo tempore non daretur ſucceſsio partium, quarum una eſſet poſt alteram. Quod eſt contra naturam, & eſſentiam entis ſucceſsivi: ergò prædicta pars, quam Deus antè alias produxit, non potuit eſſe ab æterno. Min. cum conſtet, & prob. mai. Si pars prædicta tempore finito duraret altera pars, quæ immediatè ad iſtam conſequitur, eſſet etiam ab æterno. Sed implicat partem immediatè ſequutam eſſe ab æterno. Siquidem talis pars tempore diſtat à Deo. Quando quidem ſupponit aliam partem tempore præcedenti durantem. Et quod Deus tempore ſupponit non poteſt eſſe ab æterno: ergò ſi illa pars, quam Deus antè alias produxit eſſet ab æterno, non quidem tempore finito, ſed potius tempore infinito duraret.

Ad rationem iſtam ſub hac forma conſtitutam duplici via poſſunt reſpondere contratij 1. quidem neg. dari partem, quam Deus ante alias produxerit. Eo quod in motu exiſtente ab æterno non poteſt dari aliqua prima pars, ſed potius ante quamcumque partem determinatam, debet alia, & alia uſque in infinitum præcedere.

Secundo reſpondere poſſunt par-

partem illam, quam Deus ante omnes alias produxit, ſolo tempore finito durare. Ex quo non ſequitur partem immediatè ſequentem æternam fore. Eo quod ſupponit alteram partem prius tempore exiſtentem.

Utraque tamen ſolutio inefficax eſt. Prima quidem. Quia quamvis in motu exiſtente ab æterno non ſit deſignabilis aliqua pars, quæ ſit prima determinatè, revera tamen dari debet aliqua pars, quam Deus ante alias produxerit: ergò ſolutio nulla eſt. Probant. Deus producens ab æterno motum, non omnes illius partes ſimul producit. Aliàs deſtrueret naturam, & eſſentiam motus exigentem ſucceſſionem partium: ergò revera dari debet aliqua pars, licèt vagè quam Deus ante alias produxerit.

Explicatur eadem impugnatio. Quia partes motus eo modo, quo exiſtunt, fiunt, & producuntur à Deo. Sed in rerum natura aliqua pars debet præcedere omnes alias. Aliàs ſimul omnes exiſterent: ergò debet dari aliqua pars, quam Deus ante alias produxerit.

Reſpondebis. Aliquam partem exiſtere ante alias diviſivè, non tamen ante alias collectivè.

Sed contra. Quia tota collectio non ſimul exiſtit. Aliàs non eſſet ens ſucceſſivum: ergò collectio partium prius exiſtit in aliqua parte. Conſequenterque debet dari aliqua pars, quam Deus revera ante omnes alias produxerit.

Secunda verò ſolutio principalis impugnatur. Quia quod æternum non eſt, diſtat infinitè in duratione ab eo, quod eſt æternum. Nam duratio temporalis & æterna diſtant adinvicem infinitè. Sed ſi pars, quam Deus ante omnes alias produxit, durat tempore finito, altera pars, quæ immediatè ad ipſam conſequitur, non diſtabit à præcedenti infinitè, ſed ſolum duratione finita, illa videlicèt, in qua pars præcedens durat, quæ finita eſt, ut conceditur: ergò paris iſta, quæ immediatè conſequitur, erit ab æterno, ſi altera ab æterno eſt. Aliàs infinitè diſtarent. Conſequenterque pars præcedens non poſſet ſolo tempore finito durare.

Sed iſt. contra rationem iſtam. Non repugnat motus infinitus, à parte poſt, in quo reverà non ſit dabilis aliqua pars, quæ ſupponat omnes alias, & poſt illam altera non ſit uſque in infinitum: ergò non repugnabit dari motum infinitum à parte ante, in quo non ſit dabilis aliqua pars, quæ præcedat omnes alias.

Reſp. tamen neg. conſeq. Quia motus infinitus à parte poſt nunquam ammittit eſſe, & deſtruere tur, ſed ſemper perſeverabit. Et

ita

ita non habebit aliquam partem, quæ debeat omnes alias ſupponere, ſed poſt unum erit altera uſque in infinitum: quin unquam perveniatur ad aliquam ſupponentem omnes alias. Cæterum à parte ante licèt motus nunquam verè, & in rigore incipiat, verè tamen accipit eſſe, vereque producitur. Cumque non poſsit accipere eſſe in omnibus partibus ſimul, debet ſuum eſſe accipere in aliqua parte, quæ omnes alias præcedit.

Secundo prob. concl. Quia quidquid ſupponit aliud prioritate inſtantis in quo, non poteſt æternum eſſe. Undè ſi ante Deum eſſet aliquid aliud prioritate in quo, Deus non eſſet æternus. Sed quicumque motus ſupponit mobile prioritate inſtantis in quo: ergò nullus motus ab æterno exiſtere poteſt. Prob. min. Pro inſtanti in quo mobile producitur à Deo, nondum eſt motus: ergò quicumque motus prioritate inſtantis in quo, debet ſupponere mobile. Prob. antec. Motus non poteſt à Deo produci, & fieri in aliquo inſtanti, ſed ſuum eſſe adquirit in tempore: ergò pro illo inſtanti, in quo mobile producitur à Deo nondum eſt motus.

Reſpondebis. Non eſſe dabile inſtans determinatum, in quo mobile producatur à Deo, ſed ante quodcumque inſtans eſſe motum, & ante motum inſtans uſque in infinitum ſyncathegorematice ſine aliquo principio. Quia quod æternum eſt, nunquam incepit.

Sed contra Licèt non ſit dabile inſtans determinatum, & deſignabile, ante quod non ſit alterum inſtans, revera tamen debet dari inſtans, in quo mobile producatur à Deo. Aliàs mobile non erit à Deo creatum. Sed pro tali inſtanti nondum eſt motus, qui non poteſt acquirere eſſe in inſtanti, ſed in tempore: ergò revera datur inſtans, in quo motus non eſt, ſed ſuum mobile pro tali inſtanti ſupponat.

Explicatur impugnatio. Cœlum ſi revera eſſet ab æterno productum, eſſet productum in aliquo nunc, & in tali inſtanti non eſſet motus circularis illius: ergò motus ille ſupponeret proprium mobile pro aliquo inſtanti in quo. Et conſequentèr motus non eſſet æternus. Ant. conſtare videtur. Quia res permanens, vèl non fit, vèl in aliquo inſtanti fit. Et motus ipſius rei permanentis, vèl nunquam eſt, vèl in illo inſtanti, in quo producitur mobile, nondum eſt ipſe motus, ſed erit tempore immediatè ſequenti: ergò Cœlum, ſi revera eſſet ab æterno factum, eſſet in aliquo inſtanti productum, & in quo nondùm eſſet motus circularis illius.

Iterum explicatur. Motus non poteſt fieri in illo inſtanti, in

quo

quo producitur Cœlum. Aliàs motus habebit eſſe in inſtanti. Rurſus. Non poteſt motus produci ante tale inſtans. Alias eſſet motus ante mobile : ergò ſolum poteſt motus produci tempore immediatè ſequenti ad inſtans, in quo producitur Cœlum. Conſequentèrque debet ſupponere Cœlum pro aliquo inſtanti in uno.

Reſpondebis. Illud inſtans, in quo producitur Cœlum eſſe nunc æternitatis, quod æquivalet inſtanti noſtri temporis, & etiam ipſi tempori, & in ipſo ut æquivalenti inſtanti producitur Cœlum, in illo verò ut æquivalenti tempori producitur motus.

Sed contra eſt. Quia ſecundum iſtam ſolutionem motus ſupponit Cœlum productum in illo inſtanti ut æquivalenti inſtanti temporis noſtri : ergò ſupponit Cœlum prius prioritate inſtantis in quo. Et conſequentèr motus non erit æternus.

Secundò impugnatur. Si illud nunc æternitatis æquivalet tempori noſtro, non æquivalet tempori exiſtenti, vel poſsibili pro illo nunc, ſed ſolum poſsibili pro duratione ſequenti : ergò ſi motus incipit in illo inſtanti ut æquivalenti tempori, incipit ſolum in duratione ſequenti. Prob. ant. Illud nunc æternitatis ſolum poteſt æquivalere tempori non repugnanti. Sed tempus exiſtens, vèl poſsibile pro illo inſtanti in quo creatur Cœlum, chymericum eſt, & eſſentialitèr repugnat. Eo quod tempus nullam poteſt habere partem illo inſtanti in quo. Alias haberet partem exiſtentem pro aliquo ſolum inſtanti, & pro illo præſentem : ergò ſi nunc prædictum æternitatis æquivalet tempori exiſtenti, vèl poſsibili pro illo nunc, ſed ſolum pro duratione ſequenti.

Sed contra rationem iſtam inſt. 1. Quia motus circularis eo quod circularis eſt, caret principio : ergò non repugnat illi, quod exiſtat ab æterno.

Reſp. tamen facile. Motum circularem carere principio ex parte magnitudinis, in qua fit. Eo quod incipit in tota magnitudine ſimul, & non in aliqua parte ; habere tamen motum circularem principium durationis, & ſine illo eſſe non poſſe. Quæ neceſſario debet adquirere eſſe, & produci in aliqua parte, quæ præcedat omnes alias. Eo quod non poteſt omnes partes ſimul habere, & cum omnibus ſimul produci.

Secundo inſt. Quia potuit Deus ab æterno producere ignem ſtupæ applicatum, qui ſtatim combureret illam, & ignem novum generaret. Sed generatio non eſt ſine alteratione, quæ eſt motus ſucceſsivus : ergò potuit motus verè, & propriè ſucceſsivus eſſe ab æterno.

Reſp.

Reſp. etiam facile. Ignem illum, quam primum poſſet comburere ſtupam, & alium ignem generare; non tamen poſſet ignis ille niſi poſt infinitam durationem alterare ſtupam, & alterum generare ignem. Eo quod alteratio propter dicta non poteſt eſſe ab æterno.

Tertio inſt. Quia homo de potentia abſoluta potuit ab æterno exiſtere. Sed hoc ipſo etiam motus cordis exiſteret ab æterno. Siquidem homo non poteſt ſine motu cordis vivere: ergò motus aliquis ſucceſsivus potuit eſſe ab æterno.

Reſp. Hominem modo connaturali viventem, & mediante motu cordis non potuiſſe habere exiſtentiam ab æterno, ſed ſolùm miraculosè conſervatum à Deo ſine aliquo motu cordis. Et etiam poterat dici: mundum quoad alia res permanentes potuiſſe eſſe ab æterno; non verò quantum ad hominem, qua ſolutione D. Thom. opuſc. 17. ad finem, ad argumentum ſimile reſpondet.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur 1. res corruptibiles connaturaliter loquendo non poſſe eſſe ab æterno. Quia attenta propria natura non exigunt durationem infinitam, & ſi eſſent ab æterno in infinitum durarent. Eo quod in quocumque inſtanti determinato deſinerent, iam fuiſſet infinita duratio præterita. Poſſunt tamen prædictæ res ab æterno exiſtere modo non connaturali, & de potentia abſoluta.

Secundo infertur. Etiam ratione ſpeciali non potuiſſe hominem ab æterno connaturaliter exiſtere. Quia ſpecies humana connaturaliter exigit per generationem propagari. Quod quidem eſſe non poterat, ſi ab æterno extitiſſet. Nam quacumque duratione aſsignata infinitæ generationes præciſiſſent, & daretur infinita multitudo animatum. Eo quod anima rationalis incorruptibilis eſt. Implicat autem dari infinitum in actu ſecundum multitudinem. Potuit tamen Deus viginti, vèl mille homines ab æterno creare, & poſteà producere omnes alios, non tamen permitteret homines ab æterno propagari, ne allatum inconveniens ſequeretur.

Tandem infertur. Quod ſi augmentatio foret ab æterno (quod poſsibile eſſe negavimus) eo quod motus ſucceſsivus eſt, quacumque parte quantitatis augmentata etiam alia deſtrueretur, nè quantitas evaderet magnitudinis infinitæ. Et hoc idem de qualitate affirmamus, quod non poteſt etiam in infinitum intenſi-

tendi. Et hæc de art. iſto in præſenti c. 1. & 27. & 8. ad Philoſophum applicanda.

QVÆSTIO II.

De Inceptione, & deſitione rerum.

ARTICVLVS I.

Qualitèr incipiant res?

§. I.

Senſus difficultatis explicatur.

DVplici modo poſſunt res creatæ incipere, vèl deſinere eſſe: intrinſecè videlicèt, & extrinſecè Incipere quidem *intrinſecè* eſt incipere *per primum ſui eſſe*: quando videlicèt ſignato aliquo inſtanti eſt verum dicere nunc res eſt, & immediatè anteà non erat. Qui modus incipiendi dicitur intrinſecus: eo quod res in illo inſtanti verè incipit eſſe. Modus verò *intrinſecus deſinendi eſt per ultimum ſui eſſe*: quando ſcilicèt ſignato aliquo inſtanti eſt verum dicere: *nunc eſt, & immediatè poſteà non erit.* Et hic modus dicitur intrinſecus deſinendi. Quia verè in illo inſtanti res amittit proprium eſſe.

Modus autem *extrinſecus incipiendi* eſt per *ultimum non eſſe rei*: quando videlicèt ſignato aliquo inſtanti eſt verum dicere, *nunc res non eſt. & immediatè poſt hoc erit.* Qui modus dicitur extrinſecus incipiendi. Quia revera in tali inſtanti res non habet eſſe, ſed illud habebit tempore ſequenti.

Modus *extrinſecus deſinendi* eſt *per primum non eſſe rei*: quando utique ſignato aliquo inſtanti eſt verum dicere nunc res non eſt, ſed immediatè anteà fuit. Et modus iſte extrinſecus appellatur. Eò quod res in illo inſtanti non ammittit eſſe, ſed immediatè anteà illud amiſit. Et prædicta inceptio, & deſitio explicatur per ordinem ad inſtans, & per ipſum regulatur. Eo quod licèt inceptio, & deſitio prædicta fiat in tempore. Quia tamen quacumque parte temporis aſsignata, eſt verum dicere, quod res in alia priori incipit. Nam quælibet pars eſt diviſibilis in alias. Propterea inceptio, & deſitio illa regulatur per inſtans, quod immediatè præceſsit, vèl ſequitur immediatè. Modo autem pro reſolutione articuli ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

Res ſucceſsiva in tempore incipit, & in tempore deſinit.

CONcl. iſta quantum ad 1. partem prob. Quia ſi res ſucceſsiva inciperet in inſtanti haberet ſuas partes ſimul.

mul. Nam res ſucceſsiva eſt, quando ſunt illius partes. Eo quod totum nequit eſſe ſine partibus: & ſi inciperet in inſtanti, in eodem verè eſſet. Et conſequentèr in illo haberet ſuas partes. Ac proindè omnes partes ſimul haberet. Sed res ſucceſsiva non poteſt ſimul habere omnes partes. Siquidem res ſucceſsiva ſecundùm propriam naturam exigit habere unam partem poſt aliam: ergò non incipit in inſtanti, ſed in tempore incipere debet.

Secundam partem probamus. Quia ſi res ſucceſsiva in inſtanti deſineret, in illo inſtanti etiam eſſet. Et conſequentèr ſimul, & in illo inſtanti omnes partes haberet.

Contra concl. iſtam inſt. 1. Quia tempus eſt res ſucceſsiva. Et tamen non incipit in tempore. Quia antè tempus non erat tempus: ergò aliqua res ſucceſſiva non incipit in tempore.

Reſp. diſting. min. in tempore formalitèr: conc. min. In tempore æquivalentèr: nego min. & conſeq. Quia licèt tempus non incipiat in tempore formalitèr. Eo quod ante tempus non datur tempus incipit tamen in quodam nunc æternitatis, quod proptèr ſui eminentiam æquivalet pluribus partibus temporis. Et ideò incipit in tempore æquivalentèr.

Dices 1. Tempus non poteſt incipere in quodam nunc æternitatis. Quia ſolum poteſt incipere in aliquo diviſibili. Et nunc æternitatis indiviſibile eſt: ergò nulla eſt data ſolutio.

Dices 2. Quælibet res incipit in propria menſura. Sed nunc æternitatis non eſt propria menſura temporis. Nam æternitas ſolum eſt menſura Dei: ergò nequit tempus in prædicto nunc incipere.

Reſp. ad 1. Quod illud nunc æternitatis formalitèr indiviſibile eſt; æquivalentèr tamen eſt diviſibile. Quia æquivalet tempori noſtro, & hoc ſufficit, ut in illo tempus incipiat.

Ad 2. reſp. Æternitatem non eſſe propriam menſuram temporis, ſed ipſum tempus eſt ratio formalis menſurandi ſe, & alia, ſicut lux eſt ratio formalis ad ſe ipſam, & alia videnda: neceſſarium tamen non eſt, quod res incipiat in menſura propria, ſed ſatis eſt, quod incipiat in menſura ſuperiori ut æquivalenti propriæ menſuræ. Nam evum Angeli non incipit in altero ævo, ſed in aliquo nunc æternitatis, quod æquivalet ipſi.

Secundo inſt. contra concl: Quia ſi Deus crearet lapidem in aere, in eodem inſtanti creationis lapidis moveretur in centrum. Eo quod motus lapidis eſt paſsio illius, quæ ponitur in eodem inſtanti in quo ponitur eſſentia: ergò motus ille inciperet in inſtanti. Reſp.

Resp. Passionem successivam non incipere in instanti, in quo incipit essentia. Quia non potest habere omnes partes suas simul, & propterea sufficit talem passionem poni in tempore immediatè sequenti. Undè si canis descendens de turri in medio itineris moreretur, forma cadaveris poneretur in instanti, sed motus inciperet tempore immediatè sequenti.

Tertiò instabis: Si motus inciperet in tempore, esset infinitus à parte ante. Quia data quacumque parte temporis in alia, & alia priori incepisset. Hoc non est dicendum: ergò motus non in tempore incipit.

Resp. tamen. Quod licèt non sit assignabilis pars, in qua primo incipit motus est tamen assignabile instans, in quo motus non dùm erat, quod sufficit, ut motus non sit à parte ante infinitus.

Quarto instabis, in illo instanti, in quo mobile primo ponitur in termino ad quem, adhùc est motus. Siquidem in illo instanti est ultimum mutatum esse mobile, & motus existit per suum indivisibile, quod est mutatum esse. Et tamen motus immediatè postea non est: ergò desinit in instanti.

Resp. tamen. In illo ultimo instanti esse motum terminativè, & in suo indivisibili, & complemento; non tamen esse in se ipso, sed fuisse tempore immediatè antecedenti. Consequenterque motus ille tempore antecedenti desivit.

§. III.

Secunda Conclusio.

Forma substantialis corruptibilis incipit in instanti, & in tempore desinit.

PRimam partem probamus. Quia forma substantialis introducitur in materia, devicta omni resistentia contrarij: ergò introducitur in instanti. Quia formam non fieri in instanti provenit ex resistentia contrarij. Et propterea lux, quæ non habet contrarium in uno instanti per totum spatium diffunditur. Ant. prob. Per alterationem disponitur materia ad receptionem novæ formæ, & expelluntur dispositiones contrariæ: ergò forma, quæ per generationem introducitur, invenit iam devictam omnem resistentiam contrarij.

Secunda pars conclusionis prob. In illo instanti, in quo introducitur nova forma, altera forma, quæ erat, jam non est, sed potius jam desinit. Sed non desinit in instanti immediatè antecedenti. Eo quod non dantur in tempore duo instantia immediata. Nec desivit in alio instanti mediato. Quia inter duo illa

instantia mediat necessario tempus. Et consequenter toto illo tempore mediante esset materia sine aliqua forma. Quod essentialitèr implicat: ergò forma, quæ præcessit, solùm desivit tempore immediatè antecedenti ad instans, in quo nova forma introducitur.

Addimus. Quod si forma producibilis desinit per anihilationem, desinit in instanti. Quia licet anihilatio possit fieri in tempore, Deo suspendente concursum paulatim quantum ad singulas partes substantiæ, connaturalitèr tamen in unico instanti fit, & in hoc eventu forma adveniens per accidens introducitur in tempore.

Insuper addimus. Formam substantialem posse in tempore incipere quantum ad informandam partialem substantiam sicut in nutritione contingit, ubi substantia partialis ratione quantitatis successivè producitur, & forma, quæ desinit, in instanti separatur propter rationem oppositam ad rationem conclusionis.

Etsi dicas. Quod ultima dispositio ad formam semper ponitur in instanti. Quia est ultimus terminus ad quem alterationis. Et terminus ad quem motus ponitur in unico instanti, in quo verificatur ultimum mutatum esse mobilis: ergò etiam ipsa forma introducitur in instanti. Quia forma, & dispositio in eodem instanti ponuntur.

Resp. ultimam dispositionem, sicut, & ipsam formam poni in tempore, quando per nutritionem superadditur substantia partialis, in qua forma successivè introducitur: & eodem modo ponitur dispositio ante ultimum mutatum esse, quod semper ponitur in instanti, ad differentiam termini producti per motum, qui quandoque ponitur successivè.

Sed instabis contra secundam partem conclusionis. Quia quidquid in tempore desinit, proportionatur cum tempore divisibili. Quod contingere non potest, si illud, quod desinit, indivisibile est. Sed forma substantialis est indivisibilis: ergò non potest in tempore desinere.

Resp. formam substantialem, de qua argumentum procedit, habere partes distinctas prioritè ad quantitatem, & ratione illarum esse divisibilem, & posse divisibilitèr informare.

Dices: ergò saltim argumentum est efficax, si procedat de anima rationali, quæ totalitèr indivisibilis est.

Resp. neg. conseq. Quia licèt anima rationalis formalitèr, & in se indivisibilis sit, virtualitèr tamen, & in ordine ad informandam materiam divisibilis est, & plures habet gradus, quos successivè communicare potest, & ratio-

tione illorum poteſt in tempore uniri, vèl ſeparari.

Ex dictis infertur Angelum in inſtanti incipere, non autem in tempore. Quia non habet partes correſpondentes partibus temporis, nec diverſitatem graduum, quos communicet ſucceſsivè. Et ita totus ſimul incipere debet.

Infertur 2. Formas cœlorum abſolutè loquendo potuiſſe incipere in tempore. Quia corporeæ ſunt, & habent partes diſtinctas; connaturaliter tamen exigere in inſtanti produci. Eo quod introducitur in materia abſque ulla reſiſtentia formæ contrariæ, & ſimiliter exigunt per anihilationem deſinere.

Infertur inſuper quamcumque qualitatem in gradu determinato produci in inſtanti, & etiam in inſtanti deſinere. Quia forma in gradu determinato producitur quando mobile pervenit ad terminum ad quem, & habet mutatum eſſe. Et mutatum eſſe mobilis in unico inſtanti ponitur. Et hęc de art. iſto cum præcedentibus ad Phil. applicanda.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***

ARTICULUS II.

De termino magnitudinis, & parvitatis.

§. I.

Aliqua ſupponuntur.

AD inteligentiam articuli aliqua ſuponenda ſunt, quorum 1. eſt. Quod intra latitudinem entis naturalis datur *maximum, & minimum corpus.* Maximum quidem, ſicut Cœlum ſupremum, quod ſuo ambitu cætera comprehendit. *Minimum* verò corpus non percipitur à nobis, revera tamen in rerum natura datur, ut in ſpecie equi datur equus minimus poſsitivè, ille videlicèt, qui ab omnibus excedituꝛ, & minimus negativè, qui nullum alium excedit. Et etiam datur maximus poſsitivè, qui ſuperat omnes, & maximus negativè, qui à nullo ſuperatur.

2. Supponendum eſt viventia, & non viventia per ordinem ad potentiam Dei abſolutam non habere terminum intrinſecum magnitudinis, vèl parvitatis. Nam Deus poteſt facere hominem in magnitudine montis, & etiam in parvitate athomi: in qua licèt non poſsit exercere omnes operationes connaturales, poteſt tamen

operationes eſſentiales habere, ſicut intelligere, & velle.

Hoc ſuppoſito difficultas eſt. An viventia, & non viventia habeant terminum intrinſecum magnitudinis, & parvitatis, extrà quem naturaliter conſervari non poſsint? Pro quo ſciendum eſt duplicem eſſe terminum magnitudinis, & parvitatis, intrinſecum videlicèt, & extrinſecum. Terminus *intrinſecus magnitudinis* dicitur *maximum quod ſic*: & eſt illa quantitas, ad quam res pervenire poteſt, & ſub illa naturaliter conſervari, non tamen ſub alia maiori. Terminus autem *intrinſecus parvitatis* dicitur *minimum quod ſic*: & eſt illa quantitas, in qua res naturaliter conſervari poteſt, non tamen ſub alia minori. *Terminus verò extrinſecus magnitudinis dicitur maximum quod non*: & eſt quantitas illa, ſub qua res conſervari non poteſt, benè tamen ſub quacumque alia minori. *Et terminus extrinſecus parvitatis dicitur minimum quod non*: & eſt quantitas ſub qua res conſervari non poteſt, benè tamen ſub aliqua quacumque maiori. Quibus ſuppoſitis ſit,

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***

§. III.

Prima Concluſio.

Viventia habent terminum intrinſecum magnitudinis, & parvitatis.

PRO concluſione iſta expreſſa eſt mens Divi Thomæ, & ita pro ea indaganda laborare non oportet. Ratione tamen concluſionem probamus quantum ad primam partem. Quia omne vivens habet partes organicas. Sed iſtæ exigunt determinatam quantitatem ſecundum magnitudinem ſuam: ergò vivens debet habere quantitatem determinatam. Maior. cum conſeq. tenet. Et prob. minor. Partes organicæ non poſſunt connaturaliter exercere operationes proprias in quacumque quantitate. Quia ſi homo haberet aures ita longas, ut per unam leucam extenderentur, non poſſet connaturaliter audire. Quia propter diſtantiam non poſſet ſpecies ad auditum pervenire: ergò partes organicæ determinatam exigunt quantitatem.

Confirm. Argumentatio viventium non poteſt ſemper durare. Eo quod deficiente virtute augmentativa, non perſeverat augmentatio. Et virtus aug-

augmentativa non poteſt durare ſemper. Quia quotidie debilitatur propter continuam reactionem caloris, & humidi radicalis: ergò viventia habent terminum intrinſecum magnitudinis.

Addimus. Quod ex quo omnia viventia pereunt, inferimus, benè habere terminum durationis. Sed etiam experimur viventia non ſemper augeri, ſed augmentum ceſſare tempore determinato, ſicut in ſenibus contingit, quos paſsim minui videmus: ergò viventia terminum intrinſecum magnitudinis habent.

Sec. prob. concl. Quia ad formam determinatam ſequitur determinata quantitas. Nam ad formam determinatam ſequuntur accidentia determinata: & unum illorum eſt quantitas. Sed viventia habent formam determinatam: ergò etiam habent determinatam quantitatem, ultra quam conſervari non poſſunt.

Reſpondebis: Quantitatem non ſequi ad formam, ſed ad materiam: & ità rationem fundari in principio falſo.

Sed contra eſt. Quia licèt quantitas ſequatur ad materiam tanquam ad principium partiale, & inadæquatum; adæquatè tamen ſequitur ad formam totalem. Eo quod omnia accidentia ſequuntur ad naturam completam, vèl ad formam totalem. Sed forma totalis determinata, & finita eſt: ergò etiam quantitas conſequuta.

Secundo reijcitur. Quia quantitas ſequitur ad materiam ut determinatam per formam. Sed materia ſic determinata, determinata etiam, & finita eſt: ergò etiam quantitas, quamvis ad materiam ſequatur, determinata, & finita erit.

Tertio. Quantitas ſequitur ad materiam tanquam diſpoſitio requiſita, ut forma poſsit operari. Sed diſpoſitio requiſita, ut forma debitè operetur, non poteſt non eſſe quantitas determinata: ergò idem.

Addimus. Quantitatem eſſe terminum per ordinem ad quem conſtituitur materia principium individuationis. Sed materia non eſt individuationis principium niſi per ordinem ad determinatam quantitatem: ergò idem.

Sec. reſp. Durationem Angeli ſequi ad formam limitatam. Et tamen eſſe infinitam à parte poſt. Conſequenterque ad formam finitam poſſe conſequi accidens non limitatum.

Contra tamen eſt. Quia duratio Angeli ſequitur ad formam, ut petentem ab intrinſeco durationem perpetuam: ergò ſequitur ad illam, ut infinitam formaliter in durando à parte poſt. Prob. ant. Duratio Angeli ſequitur ad formam, ut

excludentem qualitates contrarias, & omnem corruptionem. Sed forma, quæ qualitates contrarias, & corruptibilitatem excludit, exigit ab intrinſeco durationem infinitam à parte poſt: ergò duratio ſequitur ad formam Angeli, ut exigentem ab intrinſeco durationem perpetuam.

Secundam verò partem traditæ concluſionis probamus. Quia ut forma viventis introducatur in materia, exigit diſpoſitiones determinatas. Sed una illarum eſt quantitas: ergò exigit determinatam quantitatem, ut ipſa forma in materia introducatur. Et conſequentèr viventia habent terminum intrinſecum parvitatis.

Confirmatur. Ut forma viventis poſsit exercere operationes ſuas, petit determinatam quantitatem. Quia homo non poteſt ſuas operationes in quantitate formicæ connaturalitèr exercere: ergò forma viventis, ut in materia ſit, quantitatem etiam determinatam requirit. Eo quod unumquodque eſt propter ſuam operationem. Ac proindè ſi ut operetur exigit determinatam quantitatem illam etiam requirit, ut ſit. Et conſequentèr viventia habent terminum parvitatis.

***

§. III.

Argumentis occurritur.

ARguitur primo. Non viventia habent formam determinatam. Et tamen eorum quantitas determinata non eſt: ergò ex quo in viventibus forma ſit determinata, non benè infertur etiam quantitatem determinatam eſſe.

Reſpondent aliqui. Non viventia habere formam determinatam cathegorimaticè, & quantum ad eſſentiam; non tamen ſyncathegorematicè, & in ratione principij radicantis quantitatem.

Sed contra. Ideò Div. Thomàs probat formam eſſe limitatam in radicando quantitatem: quia ipſa forma quantum ad eſſentiam determinata, & finita eſt: ergò ſi poteſt forma limitari quantùm ad eſſentiam, & non in ratione principij radicantis quantitatem, falſum, erit principium Angelici Præceptoris. Quapropter alitèr.

Reſponderur diſtinguendo minorem. Determinata non eſt in potentia: concedo minorem. In actu: nego minorem. Et diſtinguo conſequens. Determinatam in potentia: concedo conſequent. Determinatam in actu: nego conſequentiam. Quia Div. Thom. ex de-

ter-

terminatione formæ quantum ad eſſentiam ſolum probat quantitatem determinatam in actu, ut ita convincat non poſſe dari à parte rei infinitam magnitudinem in actu. Quod verò in viventibus forma ſit determinata in radicando quantitatem, non tamen in non viventibus, aliundè probat D. Thom. ex eo videlicèt, quod virtus augmentativa in viventibus reſidet in determinata parte, ſicut in animalibus in ſtomacho, & in arboribus in radice. Et ideò quando augetur vivens; non advenit nova virtus augmentativa. In non viventibus verò virtus augmentativa non reſidet in parte determinata. Quia ſunt homogenea, & habente partes ejuſdem rationis. Et ideò cum nova parte materiæ, & formæ, nova etiam advenit virtus augmentativa uſque in infinitum ſyncathegorematicè.

Secundo, & benè reſpondetur rationem noſtram procedere de quantitate, quæ conſequitur ad formam; non verò de quantitate ad formam non conſecuta, qualis eſt quantitas non viventium in quibus augmentum quantitatis non ſequitur ad eorum formam, ſed ab extrinſeco provenit ex conjunctione cum alio non vivente ejuſdem ſpecie. Sicut aqua augetur ex coniunctione cum nova parte æquæ viventia autem augentur per intùs ſumptionem. Et ideò augmentum, & virtus augmentativa ad eorum ſequitur formam.

Dices. Ignis augetur comburendo alia per virtutem combuſtivam. Sed virtus combuſtiva ſequitur ad formam: ergò etiam augmentum.

Reſp. diſt. mai. Combuſtione præſuppoſitivè ſe habente: conced. mai. Formalitèr ſe habente: neg. maj. Quia licèt requiratur combuſtio, ut ignis augeatur, non tamen augmentum formalitèr in combuſtione conſiſtit, ſed in coniunctione alterius ignis cum igne præcedente.

2. Arg. Poteſt homo terminum ſuæ magnitudinis naturalitèr excedere: ergò viventia terminum magnitudinis non habent. Prob. ant. primo Homo exiſtens in termino magnitudinis poteſt ſummere alimentum facilis de coctionis, & illum in propriam ſubſtantiam convertere, per quam converſionem augeretur. Sed hoc naturalitèr fieri poteſt: ergò poteſt homo terminum ſuæ magnitudinis naturalitèr excedere.

2. Prob. ant. Si homo percuteretur manu, vèl enſe, tumeſceret, & fieret maior. Siquidem pro illa parte occuparet maiorem locum: ergò terminum

ſuæ

ſuæ magnitudinis poteſt naturaliter excedere.

Reſpond. neg. ant. ad primam probation. dicimus: hominem exiſtentem in termino tantum deperderet de quantitate priori, quantum acquireret de nova quantitate, ut pater in ſenibus, qui tantùm, & plùs deperdunt de quantitate priori, quantùm acquirunt de nova. Et ideò licèt nutritio duret per totam vitam, non tamen augmentatio, ſicut in 3. de gener. dicitur.

Ad 2. prob. reſp. hominem via generationis, & devitæ conſervationis non poſſe terminum intrinſecum excedere, benè tamen via corruptionis, qualiter creſceret ille homo percuſſus manu, vèl enſe, quo mediantè ad corruptionem diſponeretur ab extrinſeco agente.

His ergò circa viventia ſtatutis, ad non viventia pervenimus, quæ attento ordine univerſi, terminum præfixum habent. Quia nullum elementum poteſt Cœlum pertranſire. An verò attenta eorum natura terminum intrinſecum magnitudinis habeant, & parvitatis, non eſt una Philoſophorum ſententia. Nos tamen affirmamus.

§. IV.

Secunda Concluſio.

Non viventia habent terminum intrinſecum parvitatis, non tamen magnitudinis.

PRima pars concluſionis noſtræ probatur. Quia ut forma viventis in materia introducatur, exigit diſpoſitiones determinatas. Nam ad formam determinatam, diſpoſitiones etiam determinatæ requiruntur. Sed una illorum eſt quantitas: ergò quantitas determinata requiritur. Et conſequentèr viventia habent terminum parvitatis.

Confir. Quia quæcumque res eſt propter ſuam operationem ſaltim ut finem effectum. Sed ignis ut operetur, quantitatem exigit determinatam: ergò etiam ut ſit.

Urgetur. Quia, ſi non vivens poſſet incipere in qualibet parte quantumvis minima quantitatis, data quacumque parte; in alia priori, & alia, & alia incepiſſet. Et conſequentèr inciperet per ultimum ſui non eſſe, ſicut entia ſucceſſiva. Sed hoc dicendum non eſt: ergò non viventia ut incipiant, & ſint, quantitatem determinatam in parvitate requirunt.

Sed

Sed inſtabis. Si minimum lignum eſſet quantitatis digitalis, poſſet ultra in minori quantitate, videlicèt in media digitalitate introduci forma ignis: ergò non viventia terminum intrinſecum parvitatis non habent. Probatur antec. Si ignis applicaretur digitalitati ligni, priùs introduceret formam ignis in media digitalitate, quæ proximior eſt. Quia agens producens formam, priùs illam producit in ſubiecto proximiori: ergò poteſt forma ignis in media digitalitate introduci.

Reſp. Non poſſe introduci formam ignis in media digitalitate propter incapacitatem ſubjecti non habentis ſufficientem diſpoſitionem debitam videlicèt quantitatem.

Sed contra eſt. Quia poteſt in illa mediętate introduci calor ut octo: ergò etiam forma ignis. Prob. ant. Poteſt in illa parte introduci calor ut ſeptem: ergò etiam calor ut octo. Quia calor ut ſeptem eſt ulterius intenſibilis uſque ad octo. Et intenſio fit circa eamdem partem ſubiecti.

Reſp. Quod licèt intenſio fiat in eadem parte ſubiecti, non tamen poteſt calor ut ſeptem intendi uſque ad calorem ut octo, niſi priùs extendatur ad aliàs partes. Eo quod illa pars non eſt capax caloris ut octo, niſi ſimul iuncta cum alijs. Nam quod eſt incapax formæ, etiam ultimæ diſpoſitionis incapax eſt.

Secundam verò partem concluſionis noſtræ probamus. Quia non viventia augentur per iuxtapoſitionem, & coniunctionem unius cum alio ad differentiam viventium, quæ augentur ab intrinſeco, & per intus ſumptionē, convertendo videlicèt alimentum, vèl corpus coniunctum in ſubſtantiam propriam viventis. Sed poſſunt juxta poni, & conjungi corpora infinita ſyncathegorematicè: ergò non viventia poſſunt in infinitum augeri, attenta propria natura. Conſequentèr que ab intrinſeco terminum magnitudinis non habent.

Conf. & explicatur. Dato igne quantumvis magno, ſi illi applicetur ſtupa, comburetur ipſa, & cum igne continuabitur, & hoc uſque in infinitum fieri poteſt attenta natura ignis. Sed hoc ipſo ignis ille fiet maior: ergò non eſt dabilis ignis, qui non poſsit amplius, & amplius augeri.

Sed inſtabis. Ignis per ſe unus, non poteſt augeri: ergò habet terminum intrinſecum magnitudinis. Prob. ant. Quando ignis augetur per coniunctionem alterius, non fit unus ignis per ſe, ſed tantum unus per aggregationem. Quia in tali coniunctione manent duo ignes individualitèr diſtincti: ergò ignis per ſe unus augeri non poteſt.

Reſp. quod in illa coniunctione deſtruitur uterque ignis quan-

quantum ad individuationem, & fit unicum individuum ex utroque, quod quidem eſt unum per ſe. Et ità totum argumentum nititur falſa doctrina.

Sed contra eſt: ergò ignis, qui præexiſtebat non augetur. Quia quod augetur, perſeverat ſub termino augmentationis. Et ignis, qui præexiſtebat, poſteà non manet juxta ſolutionem datam.

Reſp. Ignem præexiſtentem augeri. Quia licèt non perſeveret formaliter, materialitèr tamen perſeverat, quatenùs manet entitas ignis præcedentis, quæ ſufficit ad augmentum ſalvandum. Inſtantia eſt in quantitate minori, quæ verè augetur, & tamen non perſeverat formaliter, & ut minori, ſed tantum materialitèr perſeverat.

Ex dictis infertur quod ſi minima quantitas, in qua ſubſtantia lapidis conſervari poteſt, divideretur ab Angelo, non maneret ultrà lapidis ſubſtantia ibi; & ſi altera forma non poſſet in illa parva materia remanente introduci, non poſſet illa quantitas etiam ab Angelo dividi. Nam materiam exiſtere ſine ulla forma eſſentialitèr repugnat.

Infertur 2. quod ſi minima ſubſtantia, in qua panis conſervari poteſt, conſecraretur ab aliquo Sacerdote ſecundum ſuam medietatem, adhùc permanet in altera parte ſubſtantia panis. Quia quantitas talis ſubſtantiæ eſſet conjuncta cum quantitate ſubſtantiæ conſecratæ, quæ quidem quantitas gerit vices ſubſtantiæ. Et ità ſub alia parte quantitatis conjuncta cum ſua poſſet panis conſervari eodem modo, ac ſi propria ſubſtantia huius partis perſeveraret ibi. Et hæc de art. iſto, & de tota Philoſophia cum præcedentibus ſimul Philoſophum applicanda. Quæ omnia cedant in laudem Dei Omnipotentis, qui Trinus, & Unus vivit per ſecula Deus, in Gloriam Patris, Natique, & Flaminis Almi. In laudem Virginis, quę partu eſt digna tonantis. Eccleſię ſubdicta, ſine qua nolo ſcribere, nolo mori. In obſequium etiam Dominici Patris, Auguſtini, & Thomæ, & omnium Sanctorum, quos Zaphyrus alit, & Divinis utique continet ala choris.

LAUS DEO.

INDEX

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTI-culorum, quæ in opere continentur.

QVÆSTIO I.

Proœmialis.

ARTIC. 1. Vtrùm primum cognitum à noſtro intellectu, pro ſtatu vitæ præſentis, ſit ſpecies ſpecialiſſima? Pag. 1.

Artic. 2. Vtrùm primum cognitum ſit ens materiale formaliter? Pag. 14.

QVÆSTIO II.

Proœmialis.

Artic. 1. Vtrùm ens mobile ſubſtantiale ſit objectum primarium quod adæquatum Philoſophiæ? Pag. 45.

Art. 2. Vtrùm Philoſophia ſit una ſecundum ſpeciem athomam? Pag. 68.

LIBER I.

Phyſicorum.

QVÆSTIO VNICA.

De Principijs in communi.

Art. 1. Vtrùm principia entis naturalis ſint plura quàm tria? Pag. 82.

Artic. 2. Vtrùm principia entis naturalis in fieri ſint tria? Pag. 88.

QVÆSTIO II.

De Materia prima.

Artic. 1. Vtrùm detur à parte rei materia prima realiter à forma diſtincta? Pag. 102.

Artic. 2. Vtrùm materia pri-

ma

ma habeat actum metaphyſicum? Pag. 107.

QUÆSTIO III.

De exiſtentia materia prima.

Artic. 1. Vtrùm exiſtentia creata realiter diſtinguatur ab exiſtentia? Pag. 118.

Artic. 2. Vtrùm materia prima habeat propriam exiſtentiam? Pag. 136.

Artic. 3. Vtrùm materia prima poſsit exiſtere ſine forma? Pag. 157.

QUÆSTIO IV.

De Potentia materiæ.

Artic. Vnicus. Vtrùm materia æqualiter appetat omnes formas, & etiam formam amiſſam? Pag. 168.

QUÆSTIO V.

De Eductione formarum.

Artic. 1. Vtrùm anima rationalis ſit educibilis de potentia materiæ? Pag. 178.

Artic. 2. Vtrùm formæ Cœlorum potuerint educi? Pag. 197.

QUÆSTIO VI.

De Compoſito.

Artic. 1. Vtrùm detur modus unionis inter materiam, & formam, realiter ab utraque diſtinctus? Pag. 210.

Artic. 2. Vtrùm totum diſtinguatur realiter à partibus ſimul ſumptis? Pag. 225.

LIBER II.

QUÆSTIO I.

De Natura.

Artic. vnicus. Quibus competat ratio naturæ? Pag. 232.

QUÆSTIO II.

De Cauſis in communi.

Articulus unicus. Vtrùm diviſio in quatuor genera cauſarum adæquata, & univoca ſit? Pag. 253.

QVESTIO III.

De Cauſa efficiente.

Artic. 1. Vtrùm forma ſubſtantialis ſit principium quo operandi? Pag. 262.

Artic. 2. Vtrùm forma ſubſtan-

tantialis poſsit eſſe immediatè operativa ? Pag. 269.

Artic. 3. Vtrùm Deus concurrat ſimultaneo concurſu ad effectum cauſæ creatæ ? Pag. 293.

Artic. 4. Vtrùm detur concurſus prævius ut cauſa ſecunda operetur ? Pag. 301.

Artic. 5. Vtrùm idem numero effectus poſsit procedere à duplici cauſa totali ? P. 315.

Artic. 6. Vtrùm cauſa phyſica inſtrumentalis habeat actionem prævíam, & ſimul indigeat motione principalis agentis? Pag. 332.

Digreſsio brevis de cauſa, & fortuna ? 338.

QUÆSTIO IV.

De Cauſa finali.

Artic. 1. Vtrùm apprehenſio ſit ratio formalis finalizandi? Pag. 339.

Artic. 2. Quę ſit cauſalitas finis ? Pag. 358.

LIBER III.

QUÆSTIO I.

De Motu, & actione.

Artic. 1. Quibus competat diffinitio motus ? Pag. 365.

Artic. 2. Vtrùm actio formaliter tranſiens recipiatur in paſſo ? Pag. 370.

QUÆSTIO II.

De Infinito.

Artic. Unicus. Vtrùm à parte rei poſsit dari aliquod infinitum in actu ? Pag. 388.

LIBER IV.

QUÆSTIO I.

De Loco.

Artic. 1. Vtrum diffinitio loci bona ſit ? Pag. 400.

Artic. 2. Vtrum duo corpora poſsint eſſe penetrativè in eodem loco ? Pag. 407.

Artic. 3. Vtrum idem corpus poſsit eſſe ſimul in duplici loco ? Pag. 412.

QUÆSTIO II.

De Vacuo.

Artic. Unicus. Vtrùm corpus poſsit moveri per vacuum? Pag. 428.

QUÆSTIO III.

De Tempore.

Artic. vnicus. Vtrùm par-

es temporis ſolum exiſtant ratione inſtantis ? Pag. 436.

LIBER V.

ET UNICA QUÆSTIO.

De Motu.

Artic. vnicus. A quo motus ſuam accipiat unitatem ? Pag. 449.

LIBER VI.

QVÆSTIO VNICA.

De Continuo.

Artic. unicus. Vtrùm continuum componatur ex ſolis indiviſibilibus ? Pag. 458.

LIBER VII.

QVÆSTIO VNICA.

De Ordine moventium.

Artic. unicus. Vtrùm gravia, & levia moveantur à ſe, vèl à generante ? Pag. 469.

LIBER VIII.

QVÆSTIO I.

De Inceptione mundi.

Artic. unicus. Vtrùm mundus potuerit eſſe ab æterno ? Pag. 484.

QVÆSTIO II.

De Inceptione, & deſitione rerum.

Artic. 1. Qualitèr incipiant res ? Pag. 497.

Artic. 2. De termino magnitudinis, & parvitatis ? Pag. 501.

FINIS.



G-E 1235